HISTORIA SACRA DE BAPTISMO CONSTANTINI MAX. AUGUSTI

COLLOQUIIS FAMILIARIBUS DIGESTA

PARS PRIMA

Complectens fictitium Magni hujus Imperatoris Baptiſmum Nicomedienſem.

AUCTORE
MATHIA FUHRMANNO AUSTRIACO,
Ordinis S. Pauli primi Eremitæ Sacerdote, & Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis in Urbe Socio.



BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ROMÆ, CIƆ. IƆCC. XLII.
Ex Typographia Joannis Zempel.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO.



BEATISSIME PATER.

QUAMVIS Conſpectui ſupremæ Tuæ Majeſtatis, PATER BEATISSIME, ſubjicere non deceat, niſi quod hominum æſtimatione magnum & exi-

mium nuncupari ſolet, ea tamen, quæ de Tuis ſummis laudibus Urbis & Orbis voce prædicantur, admittunt etiam quod humile, quod demiſſum eſt. Tua namque incredibilis ergà omnes humanitas facilem ſemper petentibus ad Te aditum, communemque Conſpectûs Tui felicitatem præſtat, adeò, ut quibuſcunque hanc ſortem cupientibus ad Te accedere licuit, ad maximum Sacerdotalis Regaliſque Clementiæ, comitatiſque Thronum ſe ſe acceſſiſſe fateantur. Hujus autem communis ac exoptandæ lætæ ſortis ſenſus maximam partem in me uno excitantur, dum Hiſtoriam Sacram de Baptiſmo Conſtantini Maximi Auguſti, novâ methodô per Colloquia digeſtam, Sanctitati Tuæ oblaturo in Tuum me conſpectum dare mihi conceditur. Ad Tuos igitur Sanctiſſimos Pedes venerabundo poplite provolutus, hæc mea Colloquia, vel ſi mavis, Tuam Hiſto-

riam

riam Pontificiam, hactenùs nonnihil obſcuratam, ac in dubium revocatam, nunc denuò vindicatam Tibi confidenter ſiſto; cujus utpotè ardui operis digeſtionem, imbecillitatis propriæ conſcius, nunquam ſanè ſuſcepiſſem, minùs Tibi offerre auſus eſſem, niſi SANCTITATIS TUÆ Doctrinarum optimarumque literarum exempla, atque ipſius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enucleatiùs ab aliis quoque pertractandæ votum ac ſtudia, me ad id reluctantem, ac quodammodo diffidentem incitaſſent. Tu tantus Chriſtiani Orbis Paſtor, qui non verbô duntaxat & exemplô mores fidelium ad Evangelicæ Canonicæque perfectionis normam reducere ſatagis, quique in Tuis Sacris, & Apoſtolicis functionibus, fruſtrà reclamante negotiorum mole, indefeſsè perſonaliter obeundis; Egenos ampliſſimis Eleemoſynis ſublevando: Xenodochia inviſendo, infirmos Pater-

nâ

nâ charitate ſolando; morientes admirabili pietate ad vitæ immortalis ingreſſum juvando, advenas infimæ etiam ſortis peramanter ſuſcipiendo, aliiſque non minùs privatis, quàm publicis operibus Magnos Leones, Gregorios, Clementes, Innocentioſque exultanti Romæ exhibes; verùm etiam bonarum artium diſciplinam ac ſtudia literaria, quæ quidem antehac ſummo in Urbe floruerunt nitore, adhuc clariora, nobilioraque efficere, omni conatu allaboras. Tu, inquam, Sanctissime Pater, quod ab Eruditis fieri ardenter exoptas, idipſum quoque cum evidenti rei literariæ incremento urges, ac ſtimulos addis. Etenim pro innatâ tuâ ac planè ſuſpiciendâ doctrinâ, Eruditioniſque promovendæ zelô, varias in Urbe Conciliorum, Rerum Liturgicarum, atque etiam Hiſtoriæ cùm Sacræ Pontificiæ, tùm profanæ Antiquitatis Romanæ Academias inſtituens, viros

non

non vulgari eruditione conſpicuos, omnique Scientiarum genere excultos ſelegiſti, qui quot annis frequenter ſtatis temporibus, aſſignata cuique earum facultatum argumenta, tùm in Sacro Palatio Apoſtolico, Te Sapientiſſimô Magiſtrô præſente, tùm alibi publicis ſuis in congreſſibus diſcutiant, facundè ac fœcundè de quæſitis diſſerant, dubia ſolvant, obſcura ac intricata enodent, & quicquid demùm controvertitur, aut in quæſtionem venit, uberrimo audientium fructu dilucident & explanent. Et hoc Sanctitatis Tuæ in rem literariam ſingulare planeque excellens ſtudium, omni diffidentiæ ſcrupulô longiſſimè depulsô, mihi animos fecit, ut has qualeſcunque lucubrationes meas, etſi minùs limitas & Eruditione Tua parum dignas, non tamen ſine maxima Tui Nominis veneratione elaboratas, tanquam exiguum perpetuæ Tui in literarum ſtudia

amo-

amoris memoriæ monumentum , Tuo Nomini, Tuæque Famæ celebritati, quâ Tibi omnium animos devincis, conſecrarem. Patere igitur BEATISSIME PATER, pro Tua ſingulari humanitate comitateque, quâ unumquemque in Supremo Tuo dignitatis faſtigio blandè excipis, ut hic Liber ſub Tui Nominis ſummô ſplendore prodeat, atque omnibus ſinceræ Eccleſiaſticarum Antiquitatum veritatis ſtudioſis gratior & ſecurior evadat. Quibûs, dum Altiſſimum enixè precor, ut Te, SANCTISSIME PATER, Eccleſiæ ſuæ incolumem diutiſſimè ſervet, ſimul me ad ſacrorum pedum oſcula, ea qua par eſt reverentia proſterno, infimis precibus obſecrans, ut Sanctam Tuam & Apoſtolicam benedictionem impertiri digneris.

SANCTITATIS TUÆ.

Humillimo & Indigniſſimo Clienti & Filio
Mathiæ Fuhrmanno Auſtriaco,
Ord. S. Pauli primi Eremitæ.

FACUL-

FACULTAS, & APPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS

Ordinis S. Pauli primi Eremitæ.

CUm Opus, cui Titulus: *Hiſtoria Sacra de Baptiſmo Conſtantini Max. Auguſti Colloquiis Familiaribus digeſta &c.* à R. Patre Mathia Fuhrmann, Ordinis Noſtri Sacerdote concinnatum, aliquot ejuſdem Ordinis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut imprimatur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia, has literas manu noſtra ſubſcriptas & ſigillô noſtrô munitas dedimus. Ex Conventu noſtro Maria-Tallenſi 24. Auguſti 1742.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Andreas Muſar
Prior Generalis.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Arch. Tarſi Viceſg.

APPROBATIONES

I.

DEmandatum mihi a Reverendiſſimo P. Nicolao Maria Ridolfi Sac. Apoſt. Pal. Magiſtro Librum perlegi inſcriptum: *Hiſtoria Sacra de Baptiſmo Conſtantini Max. Auguſti Colloquiis Familiaribus digeſta à Mathia Fuhrmanno Ordinis S. Pauli primi Heremitæ*, atque in eo nedum nihil, quod Fidei, aut Morum doctrinæ adverſetur animadverti; verùm, quæ in Celeberrimâ de Conſtantini M. Baptiſmo Quæſtione a Viris Clariſſimis utrinque prolata ſunt, diligenter adeo, accuratèque diſcuſſa reperi, ut nullum argumenti genus, quod Romano præſertim hujuſce Imperatoris Baptiſmo favere queat, intactum relinquatur. Dignum propterea cenſeo qui typis mandetur.

Datum Romæ in Hoſpitio SS. Bonifacii & Alexii die 26. Novembris 1742.

Didacus de Revillas
Abbas Hieronym. Sac. Indicis Cong. Conſultor & Pub. Matheſ. Prof.

II.

I I.

Librum cui Titulus: *Hiſtoria Sacra de Baptiſmo Conſtantini Max. Auguſti Colloquiis familiaribus digeſta &c.* à Rev. P. Mathia Fuhrmanno Auſtriaco Ordinis S. Pauli primi Eremitæ concinnatum, juſſu Reverendiſs. P. Sac. Palatii Apoſtol. Magiſtri attentè legi. Scriptorem qui rem adeò difficilem arduamque tam copioſe, ac dilucide explicaverit, Romanumque Conſtantini Magni Imperatoris Baptiſmum validis rationum momentis aſſeruerit, propugnaritque, ad hanc uſque diem vidi neminem. Quum autem nihil contineat Liber, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus adverſetur, illum propterea dignum judico, ac cenſeo, ut publica luce donari poſſit.

Romæ IV. Id. Septemb. MDCCXLII.

Joſephus Catalanus Presbyter.

IM-

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Magiſter Sac. Palatii Apoſt. Ordinis Prædicatorum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Benevolum & Amicum
LECTOREM

SAncta Mater Eccleſia bis in anno, die videlicet IX. *Novembris in Dedicationis Baſilicæ Salvatoris penſo Canonico, Lectione V. & ultima Decembris, feſto S. Silveſtri Papæ Lectione IV. de Pientiſſimi Principis* CONSTANTINI *MAGNI Imperatoris Baptiſmo miraculoſo, recolendam proponit Hiſtoriam, quo nimirum modo eidem Auguſto, cùm lepræ curandæ cauſa, ſibi ex infantium ſanguine, Medicorum conſilio, balneum parari juſſiſſet; Sancti Apoſtoli Petrus & Paulus in quiete apparuerint, præcipientes ei, ut ſi leprâ liberari vellet, omiſsâ impii balnei immanitate, Silveſtrum in Soracte monte latitantem accerſeret: à quo ſalutari lavacro recreatus, per omnem ditionem Romani Imperii templa Chriſtiano more ædificari imperaret: ſublatiſque inanium deorum ſimulacris, Vero Deo cultum adhiberet. Quibus monitis cæleſtibus Conſtantinus obtemperans, Silveſtrum diligentiſſimè conquiſitum vocat: à quo, cognitis SS. Apoſtolorum Imaginibus baptizatus &*

à leprâ mundatus eſt. Quam piam atque planè admirabilem Hiſtoriam tota antiquitas venerata eſt. Univerſalis Græca & Latina Eccleſia, præcipuè Romana & Alexandrina, dignis laudibus concelebrarunt. Summi Pontifices & Concilia approbarunt: Orientales & Occidentales hiſtorici Orthodoxi æquè ac Schiſmatici ſcriptis ſuis commendarunt; quin ne unum quidem totius antiquitatis Scriptorem reperire eſt, qui eam palam negare, vel etiam contra muſſitare auſus fuiſſet. Dixi ne unum: *licèt enim nonnulli veterum contrarium tradidiſſe videantur, tamen nullus eorum propterea hanc hiſtoriam negat.*

Verumenim verò, hæc omnibus numeris abſolutiſſima Hiſtoria, quæ Dei magnalia glorificat, dogma Religionis noſtræ Sacramenti Baptiſmatis miraculô comprobatum edocet; hominem Chriſtianum in fide confirmat, in laudem & mirabilium Dei operum admirationem rapit, atque hæreticos, qui variè variis temporibus hocce Sacramentum reformare attentârunt, refrænat, eorumque errores diſſipat, hæc, inquam, hiſtoria, quæ antiquitus apud omnes, non alia de cauſa, quam ob unanimem Majorum traditionem, communem obtinuerat conſenſum, recentioribus temporibus revocata fuit in dubium, & ut fama fert, atque noviſſimi Scriptores confidenter admodùm ſcribunt, jam quaſi pro certo habetur, dictam hiſtoriam haud aliud eſſe, quam abſurdiſſimam fabulam, & ex Actis S. Silveſtri apogryphis promanans figmentum. Quæris, Amice Lector, quo nam modo hæc acciderint, qua-

Digitized by Google

qualiterque res ipſa ſe habeat? paucis, ſi benignas aures comodàris, indicabo.

Joannes Cuſpinianus Auſtriacus, Aulæ Viennenſis Medicus, & Maximiliani I. Auguſti Orator, vir ſui temporis eruditiſſimus, facilè omnium primus eſt, qui noſtram hiſtoriam vanitatis mendaciorumque arguit, dum in Cæſaribus de Conſtantino M. differens, ità ſcribit: Libellus autem de Elephantia, deque ſanguine puerorum & Silveſtri baptiſmate, tanquam apogryphus omninò eſt rejiciendus, cùm pleniſſimus ſit vanitatibus & mendaciis. *Iſtud aſſertum deſumpſit Cuſpinianus ex Hiſtoria Tripartita, & ex Pomponio Læto, ubi is legit, Conſtantinum in extremo vitæ ab Euſebio Nicomedienſi Baptiſma ſuſcepiſſe, hæc autem, cùm dictæ hiſtoriæ Tripartitæ, tùm Pomponii Læti teſtimonia, quibus nititur Cuſpinianus, fundata ſunt in Libris quatuor de Vita Conſtantini, Euſebio Pamphili adſcriptis, quos, ut ipſe fatetur, non vidit Cuſpinianus. Hunc, qui primùm aliis viam aperuit, plures ex Viris Doctiſſimis, & noſtro quoque tempore Clariſsimis, ſecuti ſunt, qui, quod ille ex rivulis, iſti ex fonte, nimirum ex dictis quatuor libris de Vita Conſtantini, Auctore, ut illi ſupponunt, Euſebiô Pamphili, aſtruunt; ubi omninò legitur, Conſtantinum in fine vitæ Nicomediæ baptizatum, non tamen exprimitur* ab Euſebio Nicomedienſi baptiſma ſuſcepiſſe, *prout Cuſpinianus in Tripartita, atque etiam in Pomponio Læto legit. Ea verò, quæ ex ipſo fonte hauriuntur, confirmant illi nonnullorum aliorum veterum teſtimo-*

ſtimoniis ; ſed parùm aptè ad mentem Auctoris , cujus itidem ipſiuſmet propria verba , non quod ſignificant , ſed quod ſonant , explicant : non de ſenſu ; ſed de verbis potiſſimum diſputantes , factum , quod Auctor enarrat , incongruè exprimunt .

Ità nimirum ſe res habet & accidit ; ſiquidem eam ob ſolam cauſam , quòd in Libris quatuor de Vita Conſtantini , Pius hic Imperator legatur Nicomediæ baptizatus , exorta hæc controverſia eſt inter eruditos , qui & propterea , poſt Cuſpinianum , de Baptiſmo Conſtantini Romano hiſtoriam , in Actis Silveſtri contentam , traducere figmentumque dicere conſuevêre ; contendentes dictorum librorum ſcriptori ætatis Conſtantini , & cum eo verſanti , atque ità affirmanti , par teſtimonium non poſſe opponi ex Actis S. Silveſtri interpolatis , & per Latinos duntaxat ad Romanorum ingenium ſerius contextis . At non video , cur non poſſit opponi illi ſcriptori par teſtimonium ex Actis Silveſtri , licèt interpolatis ; cùm tamen ipſi libri quatuor de Vita Conſtantini , qui falsò Euſebio Pamphili adſcribuntur , planè ſuppoſititii deferantur , ac præterea certò conſtet , eorum Auctorem , quoad fidei dogmata , fuiſſe perverſiſſimum Arianum hæreticum , quoad hiſtorica infidelem , lividum , & mendacem , quoad nomen incertum . Nunquam etiam obtinuerunt dicti libri publicam fidem & auctoritatem , quippè ii nullo tempore ab Eccleſia approbati , ſed potiùs in Concilio Romano à Gelaſio I. inter apogrypha fuêre rejecti . E contrà verò Acta Silveſtri tum temporis ab eodem Gelaſio Summo Pontifice approba-

ta

ta, laudata, ac inter recipiendos libros relata fuère. Eccur abs Catholicis tanta fides adhibeatur Auctori Græco juxtà & Ariano, in quæſtione præſertim dogmatica, quæ ad Religionem & Orthodoxos ſpectat, quorum tamen ipſe ſe inſenſiſſimum hoſtem prodit? Quippè qui id unum agit, ut Catholicorum Nicænam fidei confeſſionem ſupprimat, ac Arianorum ſuamque perfidiam primi Romanorum Imperatoris Chriſtiani, & Maximi Auguſti, firmet, comprobetque exemplô. Et quamquam Actis Silveſtri nulla fides, cur Auctori non poſſet opponi par teſtimonium ex aliis Græcis, ab hæreſi immunibus, qui clariſſimè in ſcripturis ſuis de Baptiſmô Conſtantini à SS. Pontifice Silveſtro collatô, cum Latinorum Romanorumque Pontificum hiſtoriis conſentiunt, ac propterea ſinceriores, etſi non majorem, ſaltem parem ipſi Auctori mereri fidem debent. Si verò neque his ulla fides, ea ratione, cùm Paulus dicat: Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: quia non eſt juſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Rom. 3. 9. *Et Cicero*: Græci neque tàm fideles ſunt, & invident non noſtris ſolum, verum etiam ſuis. Tull. Q. F. lib. 1. *Si his, inquam, nulla fides, & par teſtimonium opponi non poteſt ex illis Auctori, cur huic*

ſoli,

ſoli, qui & in aliis mendax deprehenditur, fidem omnem adhibeamus? Ab inuſtâ antiquitùs infamiæ notâ excipit Clariſſimus Orator Cic. Orat. pro Flac. *bonos doctos, atque prudentes Græcos: ac multò magis nos Chriſtianæ Religionis præclariſſimos atque Sanctiſſimos viros, Catholicæ pietatis & unitatis cultores, ab eâ contumelia cenſemus abſolvendos, ac penitùs liberandos: reliquos verò, quos ſemel hæreſis labefactavit, Ethnicis deteriores effectos eſſe, & Romanę Eccleſiæ inimicos & æmulos extitiſſe, quis neget? Cùm autem ipſe Auctor cum Doctis quidem atque prudentibus, minimè verò omnium cum bonis, ſed cum iniquis pridem reputatus ſit, ejus, utpote ſeveræ vindictæ aſſertoris de Baptiſmo Conſtantini teſtimonium, ad ingenium Arianorum contextum, atque omnes reliquæ aut auctoritates, aut rationes, quæ pro ejus confirmatione afferuntur, tanti momenti eſſe non debent, ut diſcedendum putemus à communi veterum tàm Orientalium quam Occidentalium ſententiâ; præſertim cùm hoc ipſum, quod in Actis Silveſtri de Conſtantini Baptiſmo Romano refertur, Euſebius Pamphili Epiſcopus Cæſarienſis Hiſtoriographus noſter, ſcriptis ſuis Græco ſermone conſignaverit, ex quo Acta Silveſtri Latinè reddita & à S. Gelaſio Romano Pontifice approbata, ſuam ducunt originem, quem proinde, utpote fide digniſſimum Auctorem, Pſeudo-Euſebio, ſive librorum quatuor de Vita Conſtantini Compilatori, oppono. At objicies, nullam fidem adhibendam eſſe Actis Silveſtri, Euſebio Pamphili adſcriptis, quippè quæ communiter à recentioribus jam ſunt explo-*

exploſa; nec eſſe, cur alterius, quàm ſolius Auctoris de vita Conſtantini fidem ſequamur, qui Imperatorem noſtrum Nicomediæ baptizatum tradit. Quod ſi in hac materia, ut arguis, certiſsima huic uni fides debet tribui, neceſſe eſt, ut in aliis quoque pluribus ipſi fidem adhibeamus, præcipuè, ubi cum vera ratione, cum re ipſa, ac cum aliis teſtibus fide digniſſimis convenit. Atqui ex propriis ipſius quatuor libris non unum, ſed complura eaque firmiſſima Auctori opponi poſſunt teſtimonia, dum variis in locis Conſtantinum Auguſtum apertiſſimè conſummatum Chriſtianum, imò Chriſtianorum exemplar, pridem ante mortem, extitiſſe teſtificatur; ideoque baptizatum eum Romæ non tam negat, quàm confirmat. Adde quod ſcribat Imperatorem Nicænæ Synodo interfuiſſe, oraſſe cum Sanctis Patribus, ac frequenter cum Epiſcopis & cum Univerſo Eccleſiæ Cœtu preces reddidiſſe: Paſcha cum fidelibus celebraſſe, myſteria eorum participaſſe, diebuſque feſtis ſolemnioribus aliis omnibus in Eccleſiis præiviſſe exemplô; quæ cuncta à nondum baptizato fieri non poterant, nec ipſi Conſtantino, licèt Imperatori, tanquam Catechumeno, aut prorſus nondum Catechumeno licuiſſent, nec Epiſcoporum diſpenſatio, ſive indulgentia contrà vigentem Eccleſiæ diſciplinam, propter illius temporis hæreticorum ſcandalum, admitti poteſt, cùm & ipſe Conſtantinus rigidiſſimus ſemper Canonum vindex eſſet & Conſervator.

Hæc itaque ex Libris quatuor de Vita Conſtantini prolata, quæ ex Actis Nicænæ Synodi, ac à SS. Patribus confirma-

mata habemus, utpote veriſſima, Auctori oppono, dum circà finem libri quarti his è diametro contraria ſcribit, videlicet Conſtantinum in ultima ægritudine primùm manuum impoſitione dignum habitum fuiſſe, quod Henricus Valeſius & alii poſt eum explicant, tunc primùm factum Catechumenum; ac rursùs idem primarius auctor pergens de Conſtantino dum ait, tunc primum exoptaſſe eum, ut poſthac aliquando communes cum populo Dei preces in Eccleſia conjungere poſſit: tunc primum per lavacrum Nicomedienſe myſteriorum participem factum: tunc primum revera ſe noviſſe beatum: tunc primùm immortali vita dignum habitum; ac tunc primùm veram vitam adeptum, ſeque tunc ſolum intellexiſſe, cujus felicitatis particeps factus eſſet. Quid hoc, Amice Lector, annon cuncta hæc portenta, ac turpiſſima mendaciorum monſtra? fuiſſe olim pridem ante mortem myſteriorum participem: oraſſe olim pridem ante mortem cum populo Dei, cum Epiſcopis & SS. Patribus, eaque omnia peregiſſe, quæ nonniſi baptizato & perfecto Chriſtiano competunt, (neque enim ea per Epiſcoporum indulgentiam aut diſpenſationem à Conſtantino facta, quia Imperator erat, admittere poſſumus;) ac rurſum in morte primum factum Catechumenum, tunc primum baptizatum eaque cuncta tunc primum obtinuiſſe, quorum pridem jam fuerat particeps? At quid ergò intelligit hîc Auctor? Pace tua, Benevole Lector, dixerim, non verba ſecundùm ſe, quemadmodum nonnulli recentiores faciunt, ſed ſenſus verborum ſpectari debet. Quapropter duplicem ſenſum ha-

habere poſſunt, Catholicum ſcilicet, in quo nihil aliud ſignificant ac volunt, niſi Pientiſſimum Principem Conſtantinum inſtante morte tria Sacramenta, nimirum Pœnitentiæ; Eucbariſtiæ, extremæ Unctionis, ritu Catholico percepiſſe; quibus ritè adminiſtratis lætitiâ geſtiens, piè ac Sanctiſſimè, prout à ſuſcepto Romæ baptiſmate hactenùs vixit, Orthodoxus Princeps in Domino obiit: & Arianum, in quo Auctor, utpote acerrimus Sectæ hujus ſceleſtiſſimæ propugnator nihil aliud ſignificare voluit, quàm Conſtantinum ſub exitum vitæ Sectam Arianam eſſe amplexum: tunc primùm Arianorum Catechumenum factum: tunc primùm Arianorum more baptizatum, id eſt rebaptizatum, *tandemque tunc primùm Arianorum myſteriorum dignum & participem factum; quibus, dum vafer ac peſſimus Auctor Conſtantinum ſuum facere, ſuamque ſectam ejus exemplô firmare nititur, non negat Imperatorem Romæ baptizatum, ſed pro ſui animi perverſitate, reprobat & damnat Catholicorum baptiſmatis Sacramentum, cunctaque Sacra myſteria, pia opera ac precum participationem, pro nullis ac irritis declarat; atque nonniſi Arianorum Sacra pro Legitimis obtrudere & ſub Conſtantini pietate, itemque ſub Catholicorum myſteriorum ſpecie, vendere molitur.*

Neutiquam tamen, Amice Lector! exotica tibi videri debet explicatio, de qua apud recentiores altum ſilentium, cùm veteres non ſileant, quorum nonnulli Ariani ſcriptoris auctoritatem ſequuti, factum credentes,

tes , textum nimium religioſè ad literam explicant ; aptè quidem ad perverſam Criminoſi Auctoris mentem ; ineptè verò ad Conſtantini , utpote cum ſummo ejus famæ ſanctitatis præjudicio , à vera fide defectionem. Sic interpolator aut corruptor Chronici Hieronymiani , Nicomedienſem Conſtantini baptiſmum , Arianorum Dogma , *quod eſt* rebaptizatio , *nuncupat , ac propterea Conſtantinum in extremo vitæ tempore in Arianum dogma declinaſſe ſcribit ; quod ex nonnullis ejus Chronici exemplaribus ad ſenſum Auctoris magis declaratur , ubi pro* baptizatus , *expreſsè* rebaptizatus *legitur . Propter illum Baptiſmum ſcribunt quoque SS. Proſper & Iſidorus Hiſpalenſis Conſtantinum declinaſſe in* Arianorum Dogma ; *quapropter idem Iſidorus ex dicto Chronico Hieronymi deceptus , miſerum Conſtantini vitæ exitum deplorat exclamando* : Heu , proh dolor ! bonô uſus Principiô , & fine malô .

Verùm his , atque aliis quibuſcunque teſtibus , qui vel ex auditu , vel ex ſcriptis alienis in hoc facto nihil probant , prætermiſſis , agendum ſolùm eſt de primario hujus rei Auctore , quærendumque num is idoneus , & omni exceptione major teſtis habendus , ad plenè probandum Nicomedienſem Imperatoris Noſtri Baptiſmum . Sanè Auctor , qui ſcribit Epiſcopos præſentes Nicomediæ baptizâſſe Conſtantinum , non prodit ſe unà adfuiſſe , eorumque , quæ circà mortem Imperatoris in Palatini cubiculi angulo peracta ſunt , teſtem eſſe ocularem , adeò , ut facilè ab aliis deceptus

dici poſſit. Etenim & ipſe Euſebius Pamphili, cujus nomen quatuor libri de Vita Conſtantini profitentur, Epiſcopus fuit, qui, ſi libros illos ſcripſiſſet, non de aliis duntaxat præſentibus Epiſcopis, ſed etiam de ſe pſo præſente loquutus eſſet; hinc ipſum abſentem fuiſſe convincitur; ac propterea, licet Auctor eſſet, decipi ab aliis potuiſſet, adhæc eum, ut teſtem unicum ex audito alieno, ne ſemiplenam quidem facere poſſe probationem, certum eſt. Quis ergò Teſtis ocularis verus & certus, omnium eorum, quæ tempore mortis Pii Conſtantini in Villa Nicomedienſi contigerunt? Profectò nemo alius niſi presbyter quidam occultus Arianus, qui ſub pallio veri Catholici & ſpecie pietatis, cum ſemiviris Eunuchis, morienti Conſtantino adſtitit, cui Imperator teſtamentum tradidit, præcipiens, ut illud Natu Maximo filio Conſtantino, *quem Pater Orientis ſcripſit hæredem, tradat, qui tamen Deo & Imperatoriæ Majeſtati perjurus factus, illud filio natu minori* Conſtantio *reſtituit. Et hunc ipſum presbyterum vehementer ſuſpicor non alium fuiſſe quàm* Acacium Luſcum, *Euſebii Pamphili Cæſarienſis Epiſcopi diſcipulum, atque etiam ejus in Epiſcopatu ſucceſſorem, qui adeò ſub dicto Conſtantio Imperatore claruit, ut etiam Liberium Romanum Pontificem ſede ſua dejecerit. Num multum à vero aberrare videar, ſi* Acacium *per conjecturas baptiſmi Nicomedienſis teſtem ocularem dixero, eumque de Vita Conſtantini quatuor librorum, quos nomine ſui Magiſtri, ut quidem arbitror,*

bitror, publicârit, ſuſpectum reddam Auctorem, ipſe lector! judices.

Utut ſit, obſcura ac incerta res eſt, quis Auctor illorum librorum, & quis inventor turpiſſimi mendacii de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi extiterit. Id unicum compertum habetur, presbyterum Arianum cum Eunuchis fuiſſe teſtem ocularem, quem tamen vel quos in crimine Apoſtaſiæ contrà Catholicum Principem dantes teſtimonium, nemo dixerit idoneos teſtes. Nam etſi aliquando Conſtantinus apud nonnullos Veteres, propter confictum baptiſmum Nicomedienſem, in Arianæ hæreſis ſuſpicionem venerit; attamen Eccleſia univerſalis longè aliter de eo cenſuit, quippè Latina eum ſemper ut Pium : *Græca verò ut* Sanctum *etiam poſt mortem coluit. Sancti Patres Athanaſius, Epiphanius, Hilarius, Auguſtinus, Chryſoſtomus & alii, ac Summi Romani Pontifices, Concilia, & primi ordinis tùm Orientis, tùm Occidentis Scriptores, Sanctitatem ejus, ac fidem Nicænam ad mortem uſque conſervatam deprædicarunt, de quibus non ſolùm à recentioribus Criticis quæſtio nulla mota eſt, ſed inſuper Viri Clariſſimi Daniel Papebrochius, & Natalis Alexander Imperatoris noſtri pientiſſimi Sanctitatis famam peregregiè vindicarunt, ejuſque fidem Orthodoxam ad extremum anhelitum integrè ſervatam, pluribus probârunt argumentis.*

His autem omnibus, quæ de fidei integritate Conſtantini proferuntur, nihil magis repugnat, quàm bap-

baptiſmus Nicomedienſis , quem ſi propugnamus , idipſum affirmamus , ob quod olim Pius Imperator in Arianæ hæreſis ſuſpicionem venit . Quomodo enim ea, quæ juxtà communem ſenſum Eccleſiæ ex SS. Patrum, Conciliorum aliorumque ſcriptorum teſtimoniis pro Conſtantini Sanctitatis commendatione dicuntur , vera eſſe poſſunt , ſi vera quoque cenſeamus ea , quæ Auctor in ejus vita ſcripſit , nempè , eum ſub finem vitæ Arianam hæreſim amplexum atque in Arianorum perfidia baptizatum eſſe . Equidem non ſum neſcius , reponi à nonnullis , Conſtantinum nequaquam ſuſpectum reddi de Ariana hæreſi ob baptiſmum Nicomedienſem , perinde ac ſi rebaptizatus fuiſſet , ſed quod unica duntaxat vice Nicomediæ (quemadmodum baptiſmum Romanum negantes defendunt) hoc Sacramentum ſuſceperit : ad hæc credibiliorem videri ſententiam baptiſmi Nicomedienſis , quod eam hactenus viri eruditiſſimi ſatis claram & probabilem reddiderint . Aſt nec ideò credibilem dicere poſſumus illum baptiſmum . Nam ſi alicubi rem quampiam legimus , cui Auctores alii , quin & ipſa ratio contradicit , licet eandem tractu temporis novitatum ſtudioſi (patet enim latè hoc vitium & eſt in multis) inventis data opera argumentis , ad ſpeciem veram reddiderint , cum nihil tam abſurdum , tamque infirmum , quod dicendo non fiat probabile , minimè tamen ſequitur , contrarium , quod ab origine verum & ſine vitio extitit , pro falſo & improbabili habendum eſſe . Id quod in præſenti quæſtione accidiſſe videtur . Licet enim factum ,

quod

quod in quatuor libris Vitæ Conſtantini de ejus Baptiſmo narratur, hactenùs dicendo nonnihil probabile ſit redditum, tamen non ideo credibile aut planè certum videri debet, cùm illud ab origine certè vitioſum extiterit, quippe cui Antiqui, propter contrarium à ſuo primordio verum, contradixerunt. Quod ſi verò etiam demus, quod unica duntaxat vice & quidem verum baptiſma Nicomediæ ſuſceperit, tamen etiam per hoc ejus pietati, cunctiſque teſtimoniis, pro ea allatis derogatur, quia inſtante morte Sacramentum hoc non ex pietate, ſed ex neceſſitate & timore ſuſcepiſſet, quod vitiô non caret; ac ideò talis Clinicorum baptiſmus minùs ſolemnis ac parum rectus ab Eccleſia declaratus eſt. Quicquid contrà objiciatur, Conſtantinum nempe ex voto & pietate baptiſmum diſtuliſſe, eò quòd in Jordane ad exemplum Servatoris hoc Sacramentum ſuſcipere deſideraverit. Quale enim hoc votum, quod majus bonum impedivit? Certè baptiſmus non ſolùm eſt neceſſarius neceſſitate medii, verum etiam neceſſitate præcepti, quod obligat adultos, ut quam primum, moraliter loquendo, commodè poſſunt, baptiſmum ſuſcipiant, vel ſaltem non multo tempore differant.

Cùm autem dilati baptiſmi cauſa parum probabilis videatur, meritò mirabantur Pomponius Lætus & Cuſpinianus in Conſtantino, quod quum Chriſtianæ religioni deditiſſimus eſſet, lavacrum renaſcentis vitæ in extremum vitæ ſuæ tempus diſtulerit. Cur iſti mirantur? Ab horrent nimirum ab ea dilatione Conſtantini vita & virtutes.

tes. Quis Religioſiſſimum & Pientiſſimum Principem adeò ſegnem aut vecordem, ſuæque ſalutis adeò immemorem dicat, ut primum ſuæ noſtræque ſalutis Sacramentum in decrepitam ſenectutem, ad mortem uſque, diſtulerit? Qui cunctos mortales ſub Imperio Romano degentes verbo & exemplo: itemque ſcriptis publicis ad Veri Dei cultum invitabat, qui toto pectore in id incumbebat, ut omnes ea, quæ ex Dei Eccleſiæque præceptis conſtituta erant, adimplere ſatagerent, nihilque eorum negligerent, quæ homines nomine & Profeſſione Chriſtianos decent. Huncne Phariſæorum inſtar ſugillemus, ſecundùm quorum duntaxat dicta, non item opera facere præcepit Dominus? Grandi ſanè piaculo nos obſtringeremus, ſi quem Auctor meritò laudat, quod ſapientiam à Deo didicerit, & ſapientiſſimè quoque de fidei noſtræ myſteriis diſſeruerit, ut ipſemet Auguſtus in Oratione ad Sanctorum Cœtum abundè demonſtrat, adeò inſipientem diceremus, ut prima homini ad ſalutem neceſſaria media : Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque Veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum. *Act.* 3. 38. *Item*. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Eccleſ.* 5. 8. *aut ignoraverit, aut contempſerit? Aſt probè hæc novit Conſtantinus, nec Baptiſmum diſtulit in extremam ægritudinem, quippè qui pridem ante mortem, ſe* nomine *&* profeſſione *Chriſtianum palam eſt profeſſus: & animam juſtificatam ſe habere gloriabatur, nihilque niſi ut pro acceptis bonorum omnium Largitori Deo gratias referret,*

ret, ſibi deeſſe, jam coram Nicænis Patribus teſtificatus eſt.

Atque hæc ſunt, quæ ſatis clarè fortiterque pugnant pro Baptiſmi Romani aſſertione, & hiſtoriæ Pontificiæ in Actis Silveſtri, atque alibi, contentæ auctoritate; contrà Baptiſmum autem Nicomedienſem validè urgent. Quoniam verò ab adverſa quoque parte haud pauca producuntur argumenta, quibus Baptiſmus Nicomedienſis valdè probabilis reddi videtur, ac ea, quæ hiſtoriæ de Baptiſmo Romano favent, obſcurantur & fides, & auctoritas ejus elevantur, quin & Conſtantini Pietatis famæ non parum derogatur, arduam, ut vides, ſuſcepi provinciam, dum quaſi contra torrentem nitens Nicomedienſis Baptiſmi Patronis me oppono, & Conſtantini illibatam fidem ac conſtantem pietatem ad vitæ exitum ſervatam, aſſertô Baptiſmate Romanô pro viribus defendendam ſuſcipio, id quod eò faciliùs me præſtaturum confido, ſi hiſtoriam de Baptiſmo Romano ab omni ſuppoſitionis ſuſpicione vindicavero, atque Baptiſmum Nicomedienſem diabolicum, ut ipſi Græci loquuntur, Arianorum figmentum demonſtravero. Sic præterea fiet, ut non ſolum Pius Noſter Conſtantinus ab omni Arianæ Hæreſis nota liberetur, verùm etiam hiſtoriam de ejus Baptiſmo Romano à Majoribus piè ſancteque traditam, nonnullam paſſam eſſe injuriam demonſtretur. Hæc itaque imploratâ Auxiliatrice Divini Numinis gratiâ magnô animo ſum aggreſſus; benè an temerè, Tuo Benevole Lector, comitto judicio.

Oc-

Occurrentes hac in quæſtione controverſa materias in Colloquia familiaria , SILVESTRINUM *inter &* EUSEBIANUM *digerens , in duas diſtribui Partes ; in quarum prima , Colloquiô primô & ſecundô variæ de Baptiſmo Conſtantini ſententiæ trutinantur ac diſſipantur . In reliquis autem Colloquiis de fictitio Baptiſmo Nicomedienſi agitur , qui & refutatur . In ſecunda Parte ſolus verus ac unicus Conſtantini Baptiſmus Romanus defenditur , ſacra de eo hiſtoria vindicatur , ac in fine vera Conſtantini fides Orthodoxa , in quâ etiam deceſſit , demonſtratur ; quibus ita diſpoſitis non ambigo , quin variis iiſdemque multiplicibus interrogationibus & reſponſionibus cunctarum rerum error excludatur , & iteratis objectionibus latens veritas aperiatur .*

Rem omnem fuſius aliquantulum pertracto , indicatis more debito fontibus , nihil de inventorum à recentioribus pro & contra argumentorum congerie prætermittens , quæ ad rem ſpectare videntur . Magno præterea ſtudiô & labore ſingula ad invicem confero , & pro rerum varietate ordine diſponens conjungo , illud memoriâ retinens : Multa juncta juvant , quæ ſingula non proſunt . *Ex quibus perſpicuum erit , ſi conjecturam de* Acacio Luſco , *Epiſcopo Cæſareenſi Palæſtinæ , Euſebii Pamphili Diſcipulo , & in Epiſcopatu ſucceſſore , Ariano , librorum quatuor de Vita Conſtantini ſuſpecto Auctore , & de Baptiſmo Nicomedienſi , hactenùs intentatam verborum interpretationem : ac etiam aſſertum de oculato teſte Presbytero Ariano excipias , me*

Digitized by Google

nihil novi aut inſolitum dixiſſe: ſed majorum; præcipue Eminentiſſimorum Cardinalium Reginaldi Poli & Cæſaris Baronii ſequutum eſſe ſententiam. Quorum æmulari malo temperatam Criticam, quam aliorum raro proſperam in eoſdem Cenſuram. Quod dum facio, contrarium tamen ſentientibus non inſulto, ſed quæ ſit mens mea, amicè declaro, minùs iis, qui juſto acerbius Baronium, propter hiſtoriam de Conſtantini Baptiſmo Romano perſtringunt, protervia notam inuro. Illud duntaxat, Te Amice Lector! monitum volo, ne facilis ſis in credendo, præſertim ubi agitur de hæreticorum in dogmaticis, jure meritò ſemper ſuſpectis teſtimoniis. Etenim illud tenendum eſt, *inquit, Canus*, nervos atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere, iis præſertim hiſtoricis, qui quoniam fidem Divinam violarunt, fidei humanæ auctoritatem amiſerunt. *Nullum ſcienter lædo; nullius nomen in his Colloquiis de induſtria, ſugillandum propono. Nemo ſermonibus noſtris vapulat; Generalis eaque familiaris Silveſtrinum inter & Euſebianum de Baptiſmo Conſtantini inſtituitur diſputatio; in qua primarium de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi Auctorem impugnare, perſtringere, ejuſque turpia mendacia confutare in animo eſt. Nec ideò mihi ſuccenſebis, quod generatim illorum mentionem faciam, qui ſententiam noſtram impugnant, perinde ac ſi in iis caſtigandis juſtò acerbiorem Criticum agam. Licet enim hac in quæſtione aliter ſentiant, & meo multorumque judicio à verô deflectant, non tamen inficior, plurimum iis in reliquis literarium Orbem debere; quin*

novi

novi & me eſſe hominem, atque adeò errori obnoxium nec à talionis lege immunem.

Cæterùm te admonitum velim, Candide Lector, me miſſis humanæ eloquentiæ phaleris & calamiſtris, ſtylo ſimplici & minimè fucato ſcripſſe, digeſſiſſeque hæc Colloquia iis duntaxat verbis, quibùs intelligar, & quæ ad quæſtionem admodùm intricatum enucleandam, neceſſaria eſſe exiſtimaveram. Neque ex eo, quod complures ſuper eadem quæſtione commentati fuerint, laborem meum ſupervacaneum dixeris; aliter illi, aliter ego eam pertracto, cuncta argumentorum genera in unum congerens, ut contraria ex contrariis, atque adeò ipſa veritas magis eluceſcat. Quapropter confido fore, ut Colloquia mea lectitaſſe te non pœniteat, & lubens volenſque in meam ſententiam deſcendes.

Hæc igitur ſunt, quæ pro faciliori notitia præmittenda putavi. De reliquo non dubito, quin laborem meum ſis æqui bonique conſulturus, ſuſceptaſque pro Dei gloria ac Pii Conſtantini Auguſtorum Maximi honore curas & ſtudium judicio tuo ſis probaturus; maximè ubi opus infinitis propemodum difficultatibus involutum, & variantium Auctorum judiciis penitùs obſcuratum, nonnulla ſaltem ex parte meo labore illuſtratum videbis. Neque tamen quod eſſet imprudentis, omni ex parte perfectum deprædico, quin potius, ſi qua in parte, quæ eſt conditio humana, offendi, à Doctis errati veniam peto; qui, ſi quid mancum aut mutilum animadverterint, facilè ſupplebunt, meliora ſuppeditantes; ſiquid abſonum repererint

pro ſua prudentia emendabunt. Te autem ſi benignum in iſta Colloquia Lectorem intellexero, ſpondeo me non retardaturum, alteram partem de Vero ac Unico Conſtantini M. Baptiſmo Romano vulgare, ipſamque de eo Sacram hiſtoriam vindicatam, nonnullis æri inciſis monumentis & numiſmatibus illuſtratam, obtutibus tuis exhibere. Vale.

I N D E X
COLLOQUIORUM.

Quæ in hac prima Parte continentur.

COLLOQUIUM I.

De Quæſtionis hujus Hiſtorię Statu, Difficultate, opinionum differentia; ac ſpecialiter de prima atque eorum ſententia, qui Conſtantinum Romæ ſub Melchiade Papa baptizatum probare perperàm contendunt. Pag. 1.

COLLOQUIUM II.

De ſecunda atque eorum hujus Quæſtionis ſententia, qui Conſtantinum Nicomedię ſub finem Vitæ rebaptizatum exiſtimant. Pag. 12.

COLLOQUIUM III.

De tertia atque eorum hujus Quæſtionis ſententia, qui Conſtantinum Nicomedię ſemel duntaxat baptizatum arbitrantur. Hoc ex Euſebio Pamphili probant, & aliorum veterum teſtimoniis confirmant. Sed primarium teſtimonium falſitatis arguitur, in dubium revocatur, & in ocularem Teſtem inquiritur. Pag. 24.

COL-

Digitized by Google

COLLOQUIUM IV.

Quis Teſtis ocularis fictitii Conſtantiniani Baptiſmi Nicomedienſis, veriſimiliter demonſtratur. Pag. 53.

COLLOQUIUM V.

De ſcriptis Euſebii Pamphili Operibus. Num idem Euſebius Vitæ Conſtantini Auctor, incertum eſt & dubium maximum. Ecquis alius Auctor, conjecturâ commemoratur. Pag. 73.

COLLOQUIUM VI.

De Vitę Conſtantinianę Quatuor libris, Euſebio Pamphili potiùs falſò attributis, nunquam ab Eccleſia receptis aut approbatis, ſed probabiliter inter Apogrypha rejectis; qui ad aſtruenda fidei dogmata, nunquam publicam obtinuerunt auctoritatem. Pag. 93.

COLLOQUIUM VII.

De Criticorum Judiciis ſuper Quatuor de Vita Conſtantini Libris, quorum nonnulla vitia deteguntur. Pag. 106.

COLLOQUIUM VIII.

De ſpeciali Imperatoris Conſtantini Baptiſmi Nicomedienſis in libris ejus Vitæ contenta narratione, quæ nec hiſtoria, nec fabula, ſed confictum mendacium demonſtratur. Pag. 130.

COL-

COLLOQUIUM IX.

Priora textûs de Baptiſmo Nicomedienſi verba trutinantur, & refelluntur. Pag. 143.

COLLOQUIUM X.

De ſubſequentibus textûs Nicomedienſis Baptiſmi verbis; ac præcipuè de falſa Baptiſmi Conſtantini dilationis causâ. Pag. 169.

COLLOQUIUM XI.

De reliquis. textûs Nicomedienſis Baptiſmi verbis, quæ manifeſtæ falſitatis convincuntur, & refutantur. Pag. 185.

COLLOQUIUM XII.

De confictis mendaciis, quibus incertus Auctor de Vita Conſtantini ſuam, de hujus Pii Imperatoris Nicomedienſi Baptiſmo, narrationem claudit. Pag. 203.

COLLOQUIUM XIII.

De exiguo atque mendico trecentorum Patrum Ariminenſium, in unica corruptâ voculâ consiſtente teſtimonio, pro Confirmatione Pſeudo-Baptiſmi Conſtantiniani Nicomedienſis adducto. Pag. 225.

COL-

COLLOQUIUM XIV.

De obnitente SS. Martyrum Joviani & Hercoliani, pro Baptiſmi Nicomedienſis confirmatione producto teſtimonio, cui nec S. Ambroſius favet. Pag.248.

COLLOQUIUM XV.

De vulnerato, mutilo, ac rursùs interpolato S. Hieronymi in Chronico textu, pro confirmatione Baptiſmi Nicomedienſis adducto. Pag. 259.

COLLOQUIUM XVI.

Baptiſmus Conſtantini Nicomedienſis, juxtà genuinas Theologicæ Criſeos Regulas examinatus, nonniſi inane ac putidum figmentum eſſe demonſtratur. Pag.281.

HISTO-

HISTORIA SACRA
DE
BAPTISMO
CONSTANTINI M.
COLLOQUIIS FAMILIARIBUS DIGESTA.

PARS PRIMA.

De fictitio Magni hujus Imperatoris Baptiſmo Nicomedienſi.

COLLOQUIUM I.

De Quæſtionis hujus Hiſtoriæ Statu, Difficultate, Opinionum differentia; ac ſpecialiter de prima atque eorum Sententia, qui Conſtantinum Romæ ſub Melchiade Papa baptizatum probare perperàm contendunt.

SILVESTRINUS, EUSEBIANUS.

EUSEB. Viderim te nuper, ni fallor, viderim te in Archigymnaſio Romano, quando pro Actibus publicis diſputabatur, & Propoſitio: *Conſtantinus Magnus ſemel Romæ baptizatus fuit, qui etiam Catholicus deceſſit*, propugnata eſt. Anne tu adfuiſti, nec ne?

Silvest. Adfui.

Euseb. Ecquid tibi de propoſitione illa videtur? Animadverteram enim impenſum te habuiſſe animum.

Silvest. Cupio audire, quid tu ſentias? Etquid tibi de illa videatur?

Euseb. Sentio propoſitionem hanc falſiſſimam.

Silvest. Sentio contrarium, & teneo illam veriſſimam conſtanter aſſeverans: *Conſtantinum M. ſemel Romæ à S. Silveſtro Papa baptizatum, pium quoque ac Catholicum deceſſiſſe.*

Euseb. Miror te, & opto, non temerè credas fabellis. Homines noſtri temporis eruditiſſimi, qui ſolido Criterio Baptiſmi Conſtantiniani hiſtoriam ſatis ſuperque trutinârunt, exſufflant omnes, quod aſſeris.

Silvest. Ne cures ea, quæ ſtultè miraris & optas. Familiariter loquor. Aſpera confeſſo verba remitte reo. Diſcere & audire, & meliori credere non vis?

Euseb. Si fas eſt & ab hoſte doceri, vellem diſcere, & audire. Aſt ut credam, ægrè mihi perſuadebis. Nam unus ex illis mihi videris, qui cùm ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vanis vana defendunt. Hinc ſimulata remove, non facilè eſt tibi decipere Ulyſſem. Dic quæſo, undè repetis tuæ aſſertionis argumentum?

Silvest. Antequam tibi ad hoc reſpondeam, neceſſum arbitror, præmittere ea, quæ ad quæſtionem ipſam, atque ad hujuſce hiſtoriæ difficultatem ſpectant: item quàm variæ propterea ſint Eruditorum opiniones. Si lubet, ediſſeram nonnulla.

Euseb. Ediſſere. Sed quicquid præcipies, eſto brevis, ut citò dicta percipiam. Tu uno verbo dic, quid eſt, quod me velis. Eſt etenim comis brevitas, ſic fama renatum Pythagoram docuiſſe refert, cùm multa Loquaces ambiguis ſererent verbis, contra omnia ſolum *eſt*, reſpondebat, vel *non*. O certa loquendi regula: nam brevius nihil eſt, nec plenius iſtis, quæ firmata probant, aut infirmata reclinant. Placent multi brevitate loquendi.

Sil-

Silvest. Parce. Nimia brevitas obſcuram reddit Orationem. Non longus, ſed ſatis brevis ero, dum eloquar, quæ præteriri nequeunt.

Euseb. Faxis ut libeat, quod neceſſe eſt.

I. Silvest. Percelebris, ut antè nôris, eſt circà hanc Quæſtionem Controverſia, ac quidem de Conſtantiniani Baptiſmi loco, tempore, atque Miniſtro. Res plena turbarum eſt, & quæſtio ferè innumeris implicita difficultatibus, quas haud pauci noſtri temporis Criticorum præſtantiſſimi enodare quidem ſunt aggreſſi, verùm rem acu tangere exiſtimantes, multumque non tamen omnia in medium producentes, controverſiam non tàm diremerunt, quàm novis ac rursùm aliis implicârunt difficultatibus.

II. Euseb. Magna ſanè, pervetuſta & intricata valde eſt queſtio hæc inter Eruditos, quorum eâ ratione alii in hanc, alii in aliam deſcenderunt ſententiam. Alii verò Doctiſſimorum clariſſimi, rerumque Eccleſiaſticarum Scriptores nobiliſſimi, conſultò potiùs præſcindendum putârunt, veritatem quæſtionis eruendam aliis relinquere ſatiùs ducentes. Cùm autem noſtro, & præterlapſo ſeculo non pauci ac in omni Scientiarum genere viri verſatiſſimi, quæſtionem hanc fuſiſſimè pertractarint, æquaque veritatis lance rem æſtimarint, dubium mihi nullum eſt, quin cum illis, qui unanimi conſenſu in meam ſententiam conſpirant, rectè contrarium tibi opponam, affirmando: *Conſtantinum M. ſub finem vitæ Nicomediæ baptizatum.*

III. Silvest. Parùm abeſt, quin diceres verum, jam nunc eſſe ſenſum communem, Conſtantinum Nicomediæ baptizatum. Id verò initio, cùm fuerit vitioſum dicere, & tractu temporis convaleſcere non potuerit, etiam nunc ſenſum communem ſine vitio efficere nequit. Ecquos dicis unanimi conſenſu in tuam ſententiam conſpirantes?

IV. Euseb. Omnes ferè recentioris ævi Criticæ peritos, qui abjectâ ac prorsùs jam dudum antiquata tua ſententiâ, itâ cenſent.

V. Silvest. Antiquitùs vulgatæ, & contrariæ tibi ſententiæ inſiſtens, Criticæ larvam hoc loco aſpernor, quia Criticos hac in quæſtione ſani Critici munere defunctos non video, qui ſolùm, quæ tuæ, non item, quæ meæ favent ſententiæ, pertractantes, quæſtionem & obſitam tenebris controverſiam leviter admodùm perſtrinxerunt, & tantundem ac, ut ità dicam, per tranſennam attigerunt.

Euseb. Apageſis, qui tàm præpoſterè de Viris doctis judicas.

VI. Silvest. Dictum id intelligas abſque ullius injuria: & factum ab Eruditis non ſine ratione. In primis labor ingens, & rerum perturbatio abſterruere illos. Deinde, omnigenam illi ex inſtituto ſcripſerunt hiſtoriam, & particulari controverſæ hiſtoriæ diutiùs immorari non licuit. Siſte, precor, & auſculta pauliſper difficultatem, & varietatem, circà quæſtionem propoſitam.

Euseb. Quotuplex ergò eſt Sententia?

VII. Silvest. Quadruplex. Una eſt eorum, qui Magnum Conſtantinum Imperatorem Romæ quidem: non tamen ſub Silveſtro Papa, ſed ſub ejus Anteceſſore S. Melchiade baptizatum aſſerunt. Altera eſt eorum, qui eum à Sancto Silveſtro Papa Romæ quidem baptizatum admittunt, ſed dicunt eum poſteà in Arianum dogma declinaſſe, ac tandem, ſub finem vitæ Nicomediæ, ab Euſebio ejus Urbis Epiſcopo Ariano, rebaptizatum. Tertia eorum eſt, qui eum ſemel tantùm in fine vitæ Nicomediæ baptizatum tecum ſentiunt. Quarta demùm, eorum, qui eum pluribus ante mortem annis, Romæ tantùm ſemel, à Sanctiſſimo Silveſtro Pontifice, Sacramento Baptiſmatis initiatum conſtanter mecum defendunt.

VIII. Hac ex multiplici inter ſe diſceptantium ſententiarum varietate, nonniſi enormis perplexitas naſcitur. Momentoſa adeò quidem non eſt opinio eorum, qui Imperatorem noſtrum ſub Melchiade Papa baptizatum putant, qui quoad tempus duntaxat diſcrepant ab iis, qui hoc ſub Silveſtro, & ab hoc ipſo S. Pontifice Miniſtro, factum affirmant; quique parùm, aut prorſus nihil ſuis proficiunt argumentis, utpote cæteris

teris paribus maximoperè infirmis. Major difficultas eſt circa ſententiam eorum, qui hunc Imperatorem Romæ baptizatum ſuſtinent, ſed ſub exitum vitæ Nicomediæ rebaptizatum exiſtimant. Verùm & iſti incaſſum laborantes nonniſi tædium Eruditis pariunt, & Conſtantino Sanctitatis famam detrahunt. Maxima verò difficultas eſt in aſſertione quæſtionum, num Romæ tantùm à Silveſtro: vel Nicomediæ tantùm ab Euſebio baptiſmatis Sacramentum ſuſceperit. Equidem cujuſque ſententiæ defenſores haud infirmis, ut videtur, nituntur fundamentis,& unaquæque, ut quiſque credit, cenſetur probabilis.

IX. Euseb. Mea ſententia certè maximè probabilis eſt; quippè ea liquidiſſimis, fortiſſimiſque evincitur argumentis.

X. Silvest. Ita cenſes. Verùm enim verò mea ſententia non probabilis tantum, ſed communis eſt, utpote tradita ſemper, & defenſa ubique à Latinis, Græcis, Syris, Arabibus, Anglis, Germano-Francis, atque priſcis Gallis. Nec obſtat quorumdam pauciſſimorum antiquorum Græcorum, Latinorumq; contraria, & ab origine vitiata ſententia, quæ pridem exolevit, exploſaque eſt; nec ejus nunc temporis à nonnullis paucis tentata recoctio derogare quidpiam poteſt. Major pars concludit. Servemus leges Patrias, infirma minoris vox cedat numeri, parvaque in parte ſileſcat. Et quem, quæſo, quem ſequeris cum tuæ ſententiæ defenſoribus, tanquam primarium tui aſſerti Auctorem?

XI. Euseb. Sequor cum illis Euſebium Pamphili, celeberrimum quondam Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopum,ipſiuſmet Conſtantini M. familiarem, atque primum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Conditorem; qui adeò clarè Conſtantinum noſtrum in fine vitæ baptizatum tradit, ut temerarium exiſtimarem ſentire aliud, quàm quod ego cum Doctiſſimis viris ſentio. Quem autem tu ſequeris?

XII. Silvest. Percipe. Illi, qui hactenùs tàm aſſeveranter meam ſententiam propugnarunt, cuncta tribuerunt S. Silveſtri Actis, ut nunc vulgata habentur, quibus tanquam primario ſui aſſerti fundamento, inhærent, ſuamque piam

opi-

Digitized by Google

opinionem non paucis aliis utrimque confirmant argumentis.

XIII. Euseb. Quid memoras de Actis Silveſtri, quæ Romano Baptiſmo tantùm favent, ſed non probant. Iſta culpantur ab omnibus, ab ipſiſmet quidem, qui tuam tuentur ſententiam, tanquam interpolata, & infarta ineptis additamentis: & ab illis, qui mecum ſentiunt, tanquam fictitia; cunctaque argumenta, & rationes, quibus tuæ ſententiæ aſſertores relatam ex Actis Silveſtri de Conſtantini Baptiſmo hiſtoriam confirmant, abſque injuriâ, cùm ex una eademque fabularum officina prodierint, jam communiter à recentioribus ſunt exploſa.

XIV. Silvest. Verum dixeris. Atqui etiam hiſtoria, quam Euſebii nomine jactas, quæque Nicomedienſis lavacri partes juvat, defertur veluti dubia, obſcura, imò non pura hiſtoria, ſed ænigmati ſimilior abſtruſa fabula, maximè ſuſpecta & contexta ab incerto, Arianis certè devoto Auctore, & inflexa ad ingenium Arianorum, Arianique Principis Conſtantii. Quin etiam veraciorum Scriptorum teſtimonia, quæ pro tui aſſerti Euſebiani confirmatione allegantur, partim pugnantia & fictitia, partim vitiata, perversè interpretata, ac in ſenſum reprobum detorta noſcuntur. Sed jam ad quæſtionem reſpondeo, & dico, me non ſequi vulgata Silveſtri Acta tanquam primarium ſententię de BaptiſmoRomano fundamentum, ſed quædam priora, & quidem Conſtantini *fidei Confeſſionis* hiſtoriam, ex qua, veluti, fonte corrupta & vulgata Silveſtri Acta, atque alia hujuſmodi, quæ præcipuè ad præſentem quæſtionem ſpectant, profluxerunt; de quibus autem alibi dicendum erit.

Euseb. Satis perſpectum habeo ſtatum hujus controverſiæ. Diſcutiamus nunc, ut ſuprà meminiſti, opinionem eorum, qui Conſtantinum ſub Melchiade Papa baptizatum aſſerunt.

XV. Silvest. Extat Epiſtola ſub nomine Melchiadis de primitiva Eccleſia, & munificientia Conſtantini M. Imperatoris, ubi legitur (*a*) *Cùm inter turbines, & adverſa mundi ſuccreſceret Eccleſia; euſque pervenit, ut non ſolum gentes, ſed etiam*

(*a*) Ap. Lab. tom. I. Concil. col. 1562.

etiam Romani Principes, qui penè totius Orbis Monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti, & Baptiſmi Sacramenta concurrerent. E quibus Vir Religioſiſſimus Conſtantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per univerſum orbem, ſub ſuo degentes Imperio, non ſolùm fieri Chriſtianos, ſed etiam fabricare Eccleſias, & prædia tribuere poſſe conſtituit. Et idem textus habetur in (*a*) Decretis C. *Futuram*, ſub eodem titulo Melchiadis Papæ. Ex quibus itaque nonnulli eruunt & dicunt, Conſtantinum non duntaxat Chriſtianum, ſed etiam baptizatum fuiſſe ante Nicænam Synodum, jam tempore S. Melchiadis Papæ.

(*a*) Cauſ. 12. quæſt. 1. capit. 15.

XVI. Euseb. Simile quid me legiſſe recordor in (*b*) Lactantio, ubi Conſtantinum alloquitur: *Conſtantine Imperator Maxime; qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, Majeſtatem Dei ſingularis ac veri & cognoviſti & honoraſti*. Obiit autem Lactantius paulò poſt S. Melchiadem circà An. 316. Optatus quoque Milevitanus, qui de Donatiſtarum Epiſcopis ad Conſtantinum profectis, ut eidem litem, quam cum Cæciliano Epiſcopo Carthaginenſi habebant, exponerent, illudque in re poſtularent, ut Gallicanos judices daret, ſic ait (*c*) *Conſtantinus, pleno livore reſpondit: Petitis à me in ſæculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem*. Quod contigit, antequam Silveſter Pontificatum iniret; nam Conſtantinus Eccleſiaſticorum cauſam cognoſcere recuſans, ad Melchiadem Papam rem ex integro, in Synodo Romana decernendam detulit. Qua de re clariùs loquens Magnus S. Auguſtinus, & Conſtantinum Chriſtianum Imperatorem ſub Melchiade Papa inducens ait (*d*) *Neque auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, ut de judicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe judicaret*. Et Sulpicius Severus narrans de perſecutione Diocletiani hæc ſubjungit: (*e*) *Sed finis perſecutionis illius fuit, ab hinc Annos IX., & LXXX. à quo tempore Chriſtiani Imperatores eſſe cæperunt. Namque tum Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Chriſtianus fuit &c.*

(*b*) Lib. 1. c. 1. de falſ. Relig.

(*c*) Opt. Milevit. l. 1. adverſ. Parmé.

(*d*) S. Aug. Ep. 162.

(*e*) Sulp. Sev. hiſtor. Sac. lib. 2.

Igi-

Igitur cum hæc, de quibus S. Auguſtinus memorat, acta ſint An. 313. ſub Melchiade Papa, & Sulpicius Severus, qui eodem ſeculo deſinente floruit, atque Lactantius his rectè conſentiant, videtur ab illis, qui cum (*a*) Franciſco Macedo hanc ſententiam defendunt, inferri & haud incongruè dici poſſe: Si Conſtantinus tempore Melchiadis Papæ Chriſtianus: ergò non Catechumenus, ſed baptizatus, quia Catechumenus multum differt à Chriſtiano, ut paſſim indicant Patres. Quid reſpondes ad hæc?

(a) Hiſt. Eccl. vindic. 6. c. 7.

XVII. Silvest. Ad textum Epiſtolæ, & C. *Futuram*, ſub titulo Melchiadis, in primis reſpondeo cum Gloſſa in dictum caput: & cum Labbeo ac Binio in notis ad illam Epiſtolam: *Falſus eſt titulus*, & Epiſtola *Melchiadi falsò adſcripta eſt*, quod inde patet, quòd tum in ea Epiſtola tùm capite illo, de Nicæno Concilio, atque de aliis, quæ longo tempore poſt Melchiadem geſta ſunt, mentio fiat; ſicque liquidò conſtet plagiarii cujuſdam impoſtura intollerabilis, ſi quis unquam hoc Melchiadi tribuere molitus eſt. Cùm itaque certum ſit, Auctorem iſtius Epiſtolæ & Capitis non fuiſſe Melchiadem, certum quoque eſſe debet, probari non poſſe teſtimonio Melchiadis, ejus tempore Conſtantinum fuiſſe baptizatum, pleneque Chriſtianum.

XVIII. Deinde ad verba Lactantii, Optati Milevitani, Sulpicii Severi & S. Auguſtini reſpondeo: Licet iis mentio fiat de Melchiade & Conſtantino Principe Chriſtiano, non tamen dicitur, quòd jam tunc perfectè talis, ac quidem Sacramento baptiſmatis initiatus eſſet Chriſtianus. Sicut ſi hodie allegando Antonium de S. Georgio Alexandrinum, cognomento Præpoſitum, ſuper uſibus feudorum, vel ſuper IV. Decretalium, dicerem: ità dicit Cardinalis Alexander in uſib. Feudorum, vel in IV. Decret. rectè allegarem, quamvis tempore editionis dictorum librorum Alexander nondum eſſet Cardinalis, quia ſufficit, quod ſit, vel fuerit Cardinalis tempore allegationis. Quod idem intelligendum de Conſtantino Chriſtiano. Et illam ſolutionem dedit (*b*) Card. Jacobatius, qui plura de his tractat.

(b) De Conc. art. 8. apud Rocabert. tom. 9. Bibl. Max.

XIX. Eu-

XIX. Euseb. Sed videtur, quod reſponſio data ad Melchiadis Epiſtolam, & ad Capitulum *Futuram* non ſit bona, quia textus videtur clarè ſentire, quod Conſtantinus tempore Melchiadis eſſet Chriſtianus, quia textus dicit: *Sed etiam Romani Principes, qui penè totius Orbis Monarchiam tenebant, ad Fidem Chriſti, & ad Baptiſmi Sacramenta concurrerent, ex quibus vir Religioſiſſimus Conſtantinus primus fidem veritatis patenter adeptus &c.* quod referendo ad verba præcedentia intelligi debet *fidem veritatis adeptus*, ſcilicet per Baptiſmi Sacramentum, & ſi tunc non fuiſſet baptizatus, aliis verbis de Conſtantino locutus fuiſſet.

XX. Silvest. Fidem patenter adeptus eſt Conſtantinus per miraculoſam Crucis in Cœlo viſionem ſub Melchiade; ad Baptiſmi autem Sacramentum cucurrit ſub ejus Succeſſore Silveſtro. Cœterum impoſſibile eſt dare aliam reſponſionem, quam dedit Gloſſa, ait laudatus Card. Jacobatius, quòd ſit falſus titulus, quia oportet, quòd ille textus ſit, vel Silveſtri, vel alicujus ex ejus Succeſſoribus. Sic communiter dicitur, & ſunt, qui illum textum Julio, & alii Lucio adſcribunt. Quicquid ſit, opinio Gloſſæ eſt vera; quod eſt error in ſuperſcriptione. Si plura voles, vide (*a*) Jacobum Zenum Epiſcopum Patavinum, & laudatum Cardinalem Jacobatium. (*a*) De Vit. Pontiff. in Vit. B. Silveſt.

XXI. Euseb. Contra obiici poteſt, quod Georgius Cedrenus tradit his verbis: (*b*) *Septimo Imperii ſui anno magnus Conſtantinus Roma potitus, nihil antiquius habuit, quam Reliquias SS. Martyrum honeſtè ſepelire, & exules revocare. Tunc etiam à Silveſtro Sanctiſſimo Romæ Papa baptizatus.* Annus ſeptimus autem Imperii Conſtantini eſt Chriſti 312. quo devictus eſt Maxentius. Sed hoc eodem tempore, ideſt ſub Melchiade, Conſtantinum baptizatum ſcribit etiam (*c*) Nicephorus Calliſtus: *quod autem Romæ à Silveſtro ſacratus, & divus Conſtantinus baptizatus ſit, poſt Maxentii oppreſſionem &c.* Quod etiam (*d*) Neſtorianus Chronographus confirmare videtur, qui Imperatorem baptizatum ait *tunc*, quando poſt devictum Maxentium Victor Urbem intraverat, & hoc fuit ſub

(*b*) Cedren. Comp. hiſt. in Conſt. M.

(*c*) Hiſt. Eccl. lib. 7. c. 35.

(*d*) Apud Maial. in Chronograph.

Melchiade. Quibus ſatis clarè indicari videtur, Conſtantinum noſtrum tempore S. Melchiadis Papæ fuiſſe baptizatum.

XXII. Silvest. Cedrenus hallucinatur in rationario temporis, quia anno Imperii Conſtantini ſeptimo, non Silveſter, ſed ejus Anteceſſor Melchiades in Petri Cathedra ſedit, quem errorem is ipſe Auctor in contextu clarè indicat, dum Conſtantinum non à Melchiade, ſed *à Silveſtro Sanctiſſimo Romæ Papa* baptizatum ſcribit, quod de longe alio, non autem de ſeptimo Imperii Conſtantini anno, intelligendum. Et ſic etiam Nicephori verba accipio, & Conſtantinum pluribus annis poſt Maxentii oppreſſionem Baptizatum ex eo intelligo. Neſtorianum in eundem errorem lapſum, ſicut Cedrenum, certum eſt. Quomodo enim verum erit *tunc*, id eſt, mox poſt devictum Maxentium, Conſtantinum ſub Melchiade à Silveſtro baptizatum?

(a) Franc. Maced. loc. cit. Cófer. An. Paulut. de Sum. Pontif. Bibl. Max. apud Rocabert. tom. 4.

XXIII. Euseb. (a) Reſpondent ad hoc, non implicare baptizatum dicere Conſtantinum ſub Melchiade, & tamen id factum dici à Silveſtro, prout Cedrenus ſcribit. Nam ſine omni implicantia ſtare poſſe certum eſt, inquiunt, abſente Melchiade Papa, Silveſtrum ejus Vicarium, & Chor Epiſcopum Conſtantino contuliſſe Baptiſmi Sacramentum. Aberat enim tunc, ajunt, Melchiades ab Urbe in Maxentii comitatu, & cùm ipſe non poſſet, debuit à Silveſtro baptizari Conſtantinus.

XXIV. Silvest. Adversùs hæc ſic diſcurro: Primò nihil evinci, dico, ab illis, qui talia ſentiunt; ſiquidem Conſtantinum nec à Melchiade, nec à Silveſtro ejus Vicario ſub Melchiade, ſed ab ipſo *Silveſtro Sanctiſſimo Papa* (ut Cedrenus innuit) fuiſſe potius baptizatum, ut (b) Martyrologium Alexandrinum clarè docet: *Pater Sanctus Silveſter ... cum ſediſſet ſuper Sedem Petri baptizavit Conſtantinum*. Ergo à S. Silveſtro, cum ipſemet eſſet Summus Pontifex, non autem Vicarius Melchiadis. Secundò à vero planè abhorret, quòd annô eodem, nempe Imperii Conſtantini ſeptimô Chriſti 312. quo debellato Maxentio Conſtantinus Victor Urbem ingreſſus, illi-

(b) Apud Abr. Ecchelés. apud Rocabert. Bibl. Max. tom. 1. de Rom. Pontif. c. 26. p. 53.

illicò abſente, & in Maxentii comitatu exiſtente Melchiade, ab ejus Vicario Silveſtro Imperator fuerit baptizatus. Quis credat, Conſtantino Triumphatore Urbem ingreſſo, & Maxentio in Tiberis gurgite ante abſorpto, exercituque ejus penitus diſſipato, Melchiadem Papam Sanctiſſimum extitiſſe in Tyranni Maxentii comitatu? Tertiò: quanquam hanc ſententiam de abſentia Melchiadis, & de Baptiſmo, à Silveſtro Melchiadis Vicario, collato, acriter admodum defendat Franciſcus Macedo, utpote noviter à ſe inventam, tamen aliis opinionibus eam præferre non audet, & meritò, cùm potius exercendi ingenii cauſâ eſſet producta, atque aliæ ſententiæ multo ſolidioribus nitantur fundamentis.

XXV. Quare nulla ex ratione veriſimile videri poteſt, Conſtantinum Melchiadis tempore fuiſſe plene Chriſtianum, id eſt, baptizatum. Quemadmodum enim S. Marcellus Papa in quadam (a) epiſtola ipſum Maxentium ſæviſſimum Tyrannum, perindè ac hominem propemodum Chriſtianum compellet, quippe Marcello, & cunctis Romanis, præſertim Chriſtianis, conſtabat, vaſrum hominem ſimulaſſe Chriſtianam ſe fidem ſectarì velle, & de Chriſtianis optimè meritus videretur, qui tamen nunquam talis fuit; ita quoque Conſtantinus potiori jure à S. Auguſtino, Sulpicio Severo, & aliis, tempore Melchiadis appellatur Chriſtianus, quia tunc non tantùm ſigno Crucis ad Fidem Chriſti converſus, *Majeſtatem Dei*, ut lactantius loquitur, cognoſcere, & honorare cœpit; verum etiam poſtea, ſedente ſuper Sedem Petri Silveſtro, Baptiſmatis Sacramentô reipſa, & conſummatus effectus eſt Chriſtianus.

(a) Vid. Baron. tomo 3. Annal. an. 308. n. 24.

 COL-

COLLOQUIUM II.

De ſecunda atque eorum hujus Quæſtionis ſententia, qui Conſtantinum Nicomediæ ſub finem vitę rebaptizatum exiſtimant.

EUSEB. Plura paucis complexus es in præcedenti Colloquio, primamque de Baptiſmo Conſtantiniano ſententiam delibaſti, ac dilucidè explanaſti. Nunc ſupereſt, ut ad eorum ſententiam tranſeamus, qui noſtrum Imperatorem, & Romæ baptizatum, & Nicomediæ rebaptizatum arbitrantur, deque ea brevem jam quoque ſermonem inſtituamus.

Silvest. Horum opinionem quod attinet, ſane pauci admodùm Priſcorum inveniuntur, qui eam tradere voluiſſe videntur; pauciores verò ex recentioribus, qui eam quodammodo defendendam ſuſcepêre.

Euseb. Qui ſunt illi veteres, qui hanc ſententiam tradunt; qui recentiores eam ſequentes?

Silvest. De veteribus in colloquio XV. fuſiùs differendi commodior erit locus. In præſentiarum de recentioribus duntaxat nonnulla diſcutiamus, ex quibus facilè, ſi attentas, ſatis intelliges, unde ſermo promanaverit; quem qui auſi ſunt affirmare, meritò notati ſunt ab eruditis.

I. Euseb. Veriſſimum dicis. Si namque Conſtantinus in fine vitæ rebaptizatus diceretur, antecedenter certè baptizatus eſſe debuiſſet, & non niſi ab Orthodoxis, quorum fidei integritatem atque formulam in Nicæna Synodo à Ss. Patribus ſtabilitam, ad mortem uſque firmiſſimè tenuit. Itaque ſi verum eſt, quod inſtante morte rurſum baptizatus fuiſſet, ſequeretur, & manifeſtum fieret, eum à fide orthodoxa defeciſſe, tranſiiſſeque ad Arianorum partes, ſicque deceſſiſſe cum Arianæ hæreſeos infamia. Quod impium eſſet & dicere & cogitare, ac prorsùs alienum à communi conſenſu Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ Sanctorumque Patrum. Recenſe igitur, quæſo, recenſe

ordi-

ordine eos,qui plus minuſvè huic ſententię videntur indulgere.

II. Silvest. Primus ex recentioribus huic opinioni viam aperit Anſelmus Havelburgenſis Epiſcopus, qui ſub Lothario II., & Eugenio Papa III. floruit, quique Cæſareus Legatus Conſtantinopolim miſſus ad Græcorum Imperatorem, ubi à Græcis Epiſcopis provocatus, celebrem Conventum inſtitui curavit, in quo de Controverſiis Græcos inter & Latinos, Patriarchâ Conſtantinopolitano, aliiſque utriuſque Eccleſiæ viris doctiſſimis præſentibus, ultrò citroque cum Nechite Archi-Epiſcopo Nicomedienſi diſputavit. Is igitur inter alia, quæ adverſario objecit, hæc protulit.

III. (a) *Si ita eſt, quod noſtros latinos, vel etiam alios Chriſtianos; ſub invocatione Sanctæ Trinitatis baptizatos quoquo modo judicatis rebaptizandos; planè juxtà quamdam Arianorum Sectam, manifeſtiſſima hæreſis eſt; nec Concilia vobiſcum, ſed contra vos ſunt celebranda, & ſine ulla quæſtione vel audientia eſtis anathematizandi; & quidquid facitis vel dicitis, totum eſt abominabile, & coram Deo & hominibus deteſtabile & execrabile: maximè ſi nomen Domini in vanum accipitis, & invocationem S. Trinitatis, qua in nomine Patris & filii & Spiritus Sancti baptizamur, caſſare præſumitis.*

(a) Anſelm. Havelburg. Dialog. lib. 3. c. 21 in Spicileg. p. 207.

IV. *Euſebius quondam Nicomediæ Epiſcopus, totus Ariana hæreſi fermentatus, ſicut narrat hiſtoria à Theodoreto Venerabili Epiſcopo Græco ſermone conſcripta, & à Caſſiodoro per Epiphanium Scholaſticum in Latinum noſtrum tranſlata, Magnum Conſtantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizavit. Itâ enim ibi legitur: Conſtantinus ægritudine captus, ex Urbe Conſtantinopolitana, quaſi ad calidas aquas egreſſus eſt, qui cum Nicomediæ degeret, languore gravatus, nec ignorans vitæ hujus incertum, gratiam ſacri baptiſmatis eſt adeptus. Hunc eundem Conſtantinopolitanum Imperatorem, ſicut narrat hiſtoria Eccleſiaſtica, ab Euſebio Cæſareenſi Palæſtinæ Epiſcopo conſcripta, Beatiſſimus Papa Silveſter priùs, in initio ſuæ converſionis, Romæ intrà Palatium Lateranenſe baptizaverat: Utraque autem hiſtoria tàm Euſebii, quàm Caſſiodori Eccleſiaſtica meruit appel-*

appellari, propter veritatem rerum in Eccleſia diverſis temporibus geſtarum. Hactenùs Anſelmus Havelburgenſis Epiſcopus, cujus ſententia ideò nonnullam vim habere videtur, quia planè incredibilis videri non debet rebaptizatio Conſtantini, cùm iterationem baptiſmi à Catholicis collati, inter Arianorum errores S. Auguſtinus memoret. Quid reſpondes ad hæc Euſebiane?

V. Euseb. Reſpondeo: nullius ponderis eſſe Anſelmi Havelburgenſis teſtimonium, qui circà medium Sæculi 12. duntaxat floruit. Ipſum falsò laudare Euſebium Cęſareenſem, ut teſtem baptiſmi Conſtantino Imperatori Silveſtri Papæ miniſteriô collati. Falsò item laudare Theodoretum velut aſſerentem in hiſtoria Eccleſiaſtica *Conſtantinum in Arianum dogma fuiſſe rebaptizatum*. Hunc Epiſcopum in hiſtoria Eccleſiæ & Arianæ hæreſeos peregrinum & hoſpitem fuiſſe. Actis Pſeudepigraphis Silveſtri fidem imprudenter adhibuiſſe, illiſque adductum ad novum illud ſyſtema de Conſtantini rebaptizatione fingendum, quo Acta illa cum veteribus Auctoribus Eccleſiaſticis conciliaret. Nullo antiquorum teſtimonio nixum commentum illud, ſponte ſua ruere.

VI. Silvest. Sed hæc reſponſio non videtur ſolvere argumenti difficultatem. Eccur falsò laudat Havelburgenſis Euſebium Cæſareenſem ut teſtem baptiſmi Romani? Cur imprudenter fidem adhibet Actis Silveſtri Euſebio attributis? Noverit ille quoad ſcripta hunc teſtem, ſicque illum benè laudat, & Actis Silveſtri ab Euſebio ſcriptis prudenter fidem adhibet, quæ ſuo tempore Havelburgenſis quidem perperàm paris cum Theodoreti ſive Caſſiodori hiſtoria auctoritatis cenſebat, quia jam tempore Theodoreti is ipſe circà hanc quæſtionem ab aliis convicti mendacii arguebatur; Euſebii verò narratio in Actis Silveſtri de baptiſmo Romano, pridem ante Havelburgenſem & ab origine, certam omnemque in Eccleſiis obtinuit fidem & auctoritatem, nec Eruditorum quiſpiam hactenùs Acta Silveſtri, quoad præſentem quæſtionem, ullius falſitatis convicit, minùs cum veritate, aut ſolida ratione pſeudepigrapha dixit.

VII. Theo-

VII. Theodoretum quod attinet, cùm ille primus hujus rei Auctor non ſit, dico omninò falsò laudari eum ab Havelburgenſi, nam Theodoretus à quopiam ſeniore, & per conſequens Havelburgenſis à Theodoreto, quoad alterum Conſtantini baptiſmum, inſigniter decepti ſunt. Porrò ſi doctiſſimum Havelburgenſem Epiſcopum, qui in percelebri Conventu, Græcis Schiſmaticis juxtà & Latinis Arbitris, diſputavit, cujuſque doctrina ſatis elucet in ſuis Dialogis, quos Eugenio Papæ III. An. MCXLV. nuncupavit, hunc Epiſcopum, inquam, ſi fas eſt dicere, in hiſtoria Eccleſiæ, & Arianæ hæreſeos peregrinum & hoſpitem fuiſſe, quem quidem à Theodoreto, propter Conſtantini rebaptizationem, deceptum certò conſtat, nefas non erit dicere, nonnullos recentioris temporis Eruditos hoſpites, & peregrinos eſſe in Arianorum fraudibus, & ſpeciali hac in hiſtoria Eccleſiæ, qui, quod Havelburgenſis Theodoreto credidit, & ipſi credunt, & quod ipſi in eo culpant, meritò & illi ab aliis culpantur, quique dum confidentiùs cum Theodoreto primum hujus Controverſiæ Auctorem ſequuntur, ac inſuper laudantes eum neſcienter laudant, & imprudenter fidem adhibent, æquè ut Havelburgenſis decipiuntur, & negare non poſſunt, quod ille affirmat.

VIII. Igitur, ut tuam expediam reſponſionem, dico, Havelburgenſis rectè laudat Euſebium propter baptiſmum Romanum, falsò laudat Theodoretum propter Baptiſmum Nicomedienſem. Prudenter fidem adhibet Euſebio; imprudenter fidem adhibet Theodoreto apud Caſſiodorum, quorum teſtimonia cum Euſebii hiſtoria diſpari admodùm paſſu ambulant. Quicquid Theodoretus, Caſſiodorus & alii veteres de quæſtione hac tradiderunt, & Havelburgenſis de rebaptizatione, tu verò de ſolo ac unico baptiſmo Nicomedienſi intelligis, abſurdum mendacium eſt & figmentum Arianorum. Syſtema tamen de Conſtantini rebaptizatione nequaquam finxit Havelburgenſis, nec ſua ſponte ruit, nititur enim antiquorum in Chronicis SS. Hieronymi, Proſperi, & Iſidori Hiſpalenſis teſtimoniis. Nec latere potuit virum doctum Havelburgenſem

Aria-

Arianorum rebaptizatio, quam in ordine ad concludendum ſuum argumentum quidem rectè, de Conſtantino autem falsò intulit.

IX. Euseb. Excipio contrà & dico falſum eſſe, quòd Ariani Conſtantini, & Conſtantii Imperatorum temporibus rebaptizarint, cùm nec S. Athanaſius, nec S. Hilarius, nec S. Epiphanius, nec SS. Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Hieronymus id ipſis exprobrent, aut inter eorum errores iterationem baptiſmi referant. Ex Concilii Nicæni & cæterarum Synodorum contrà ipſos habitarum ſilentio colligo, nuſquam ipſos rebaptizaſſe iis temporibus, cum nullo Canone hic eorum error & uſus percellatur ac damnetur. Tempore primum Wandalicæ perſecutionis rebaptizationem hujuſmodi ab Arianis Wandalis & Hunnis tentatam, & uſurpatam legi apud Victorem Vitenſem *in libris de perſecutione Wandalica*. Wandalorum Hunnorumque Arianorum morem dico S. Auguſtinum ſpectaſſe, cum hunc errorem Arianis tribuit. Non eſſe veriſimile quòd Conſtantinus, cujus Auctoritate compreſſi fuerant Schiſmatici Donatiſtæ rebaptizantes, ſe rebaptizare paſſus eſſet. Non eſſe etiam veriſimile quod Euſebius Nicomedienſis, aliique Ariani, qui ab Eccleſia, externa profeſſione non receſſerant, ejuſque fidem ſe ſectari exterius mentiebantur, Baptiſmum in Eccleſia collatum iterarint. Itaque Anſelmi Havelburgenſis figmento nulla fides.

X. Silvest. Num Sancti Patres, ac ſpeciatim S. Athanaſius, & alii Seculi Conſtantiniani Scriptores, id eſt ante Wandalicam perſecutionem ſilentio planè obvolvant Arianorum rebaptizationem, nunc reſponſum ſuſpendo, in Colloquio XV. n. XVI. reſponſurus. Solum hìc laudo plauſibile judicium, videlicet: *non eſſe veriſimile quod Conſtantinus, cujus Auctoritate compreſſi fuerant Schiſmatici Donatiſtæ rebaptizantes, ſe rebaptizare paſſus eſſet*. Nam ratio accepti atque expenſi inter nos convenit. Havelburgenſis verò Epiſcopi argumentum non patitur ex hoc tuo paragrapho falſum dici, quia, cùm fortioribus & antiquioribus, quam Theodoreti, Scriptorum

nita-

nitatur fundamentis , nequaquam ſatis refutatum eſt .

XI. Euseb. Præter iſtam Controverſiam Seculo 12. ab Anſelmo Havelburgenſi excitatam , quam quidem breviter , ſed nondum liquidò enodaſti, quæ ſunt aliæ hujuſmodi difficultates , & qui ſunt illi Auctores , ultrà de Conſtantini rebaptizatione commemorantes?

XII. Silvest. Poſt Havelburgenſem Controverſiæ hujus meminit (*a*) Jacobus Zenus Epiſcopus Patavinus , qui ſub Martino Papa V. floruit , quique allegatis omnium auctoritatibus tandem concludit , credendum eſſe Conſtantinum baptizatum fuiſſe à Silveſtro , & quod ſcribitur Conſtantinum rebaptizatum fuiſſe ab Euſebio Nicomedienſi Præſule Ariano, dicit intelligendum eſſe de *Conſtantino* (ſivè *Conſtantio*) Conſtantini filio , ut legitur in vita Felicis Papæ, qui quartus fuit à Silveſtro . Et ibi adducit Zenus multos Auctores , de Conſtantini vera fide & perſeverantia , & quomodo juſſerit Eccleſiam in honorem Salvatoris conſtrui , & deſtrui Templa Gentilium. Ex quibus patet, Zenum laudatum Præſulem penitùs , & quidem rectè amoliri voluiſſe à Conſtantino rebaptizationis , & Arianæ hæreſeos infamiæ notam , à verſipellibus Arianis ipſi inuſtam; prout hoc Sacratiſſimi Imperatoris pietati atque integræ ejuſdem fidei orthodoxæ , ad extremum uſque halitum fideliter conſervatæ, convenit .

(*a*) De Vit. Pontif. in Silveſt. apud Card. Jacobat. de Concil. art. 8. n. 29. Bibl. Max. Rocabert. to. 9.

XIII. Euseb. Ut candidè fatear , non capio , quid ſibi velint Zeni verba , ubi memorat *Conſtantinum* , vel *Conſtantium* Conſtantini M. filium fuiſſe rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi , cùm conſtet , Patrem , & non filium ab eodem Epiſcopo fuiſſe *baptizatum* ?

XIV. Silvest. Hoc plures non capiunt , ac idcircò in varios ruunt errores . Quod Zenus aſſerit ex vita Felicis Papæ II. legitur quoque ex uno Codice MS. Chronici Hieronymiani apud (*b*) Pontacum : *Conſtantinus filius Conſtantini Magni extremo &c.* addo totum : *vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus* (*c*) alibi *rebaptizatus* . Et quod iſti de Conſtantino Juniore : alii de ejus fratre *Conſtantio* ſcri-

(*b*) In not. ad Chron. Hier. p. 703.

(*c*) Apud Guill. de Nayes ad Ann. 339. & in MS. chron. Marian. apud Miræ. in marg.

C bunt

(a) Antiq. Eccl. to. 1. diſſert. 2. c. 9. p. 226.

(b) Dialogor. lib. 3. loc. ſup. cit.

bunt. Sic in antiquiſſimis ejuſdem Felicis Papæ Actis apud (a) Schelſtratem à Mombritio editis habetur, quod Felix declaraverit *Conſtantium filium Conſtantini hæreticum, & ſecundò rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi, juxtà Nicomediam in Aquilone villa*. Auctor ſecundi Catalogi Rom. Pontificum, ſic etiam in Felice Papa ait: *declaravit Conſtantium hæreticum & rebaptizatum ſecundo*; quę & ſupra recitata etiam in libro Pontificali leguntur in eodem Felice. (b) Havelburgenſis quoque hujus rei memor inquit: *Conſtantius Auguſtus, M. Conſtantini filius eâdem hæreſi fermentatus, & à præfato Euſebio Nicomediæ Epiſcopo rebaptizatus*. Sic etiam Platina in vita ejuſdem Felicis II. ubi addit, quod inde clarè pateat error eorum, qui hanc rebaptizationis infamiam Conſtantino M. affingunt.

(c) Lib. de Synod.

(d) Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 37. Criſtoph. interpret. p. 476.

(e) Apolog. ad Conſtantium.

(f) In Epiſt. ad Conſt. apud S. Athanaſ. & S. Hilar. in fragm.

XV. De *Conſtantino* juniore, ſeu Conſtantini Magni ex Fauſta filio primogenito, planè falſum eſt, eum ab Euſebio Nicomedienſi in fine vitæ fuiſſe rebaptizatum. Hic enim Conſtantinus junior anno Imperii ſui, & poſt mortem Patris, tertio, ad Aquilejam bellô periit, Euſebiô Nicomedienſi in Bithynia exiſtente. Cæterùm autem, ubi, quando, vel à quo hic Conſtantinus baptizatus? non conſtat. De *Conſtantio* verò hujus Conſtantini fratre, & Conſtantini Magni ex Fauſta filio ſecundo genito, (c) Athanaſius (d), Socrates, & alii in fine vitæ ab Euzojo Epiſcopo Antiocheno Ariano baptizatum teſtantur. Ne tamen *Conſtantem* natu minimum Magni Conſtantini filium prætereamus, dubium non eſt, quin paulò antequam à Magnentio proditore occideretur, baptizatus fuerit ab Orthodoxis, quia Princeps optimus & Catholicus erat, de cujus baptiſmo ſub finem vitæ collato (e) S. Athanaſius, & (f) Patres Concilii Ariminenſis ſatis clarè Loquuntur. Ex quibus omnibus rerum perturbatio liquet, eò magis, quòd duo Conſtantini M. filii circa vitæ exitum baptizati: item & Pater tunc primùm *baptizatus*, vel *rebaptizatus* promiſcuè ſcripti inveniantur, quod tamen utrumque de Patre M Conſtantino in fine vitæ aſſerere & defendere ludibrio nobis eſto.

Euseb. Unde, obſecro, unde tanta ſcriptorum varietas?

Sil-

Silvest. Ea provenit ab errore, & error à mendacio: Mirum enim non eſt, ſi Scriptores prolabuntur ex uno in alium errorem, qui pro baſi, & fundamento habent mendacium,

Euseb. Expone, ſi Lubet hunc errorem.

Silvest. Parùm nunc hoc ad rem conducit; alibi de eo fuſiùs agemus.

Euseb. Placet. Ergò ad alios tranſeamus, qui de Conſtantini M. rebaptizationis abſurditate adhuc memorant.

XVI. Silvest. Poſt Zenum Antiſtitem Patavinum pauca hac de re ſcriptis conſignavit Card. Dominicus Jacobatius, & ſolùm proponit, quòd nonnulli aſſerant Conſtantinum noſtrum Romæ a S. Silveſtro fuiſſe baptizatum, poſteà vero in Arianam hæreſin Lapſum, ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo fuiſſe rebaptizatum. (a) *Et hoc*, ait ille, *conſonat iis, quæ tunc plures viri Catholici dicebant, qui volebant ab hæreſi reverſos eſſe rebaptizandos, ut fuit Cyprianus Martyr, ut legitur in ejus Epiſtolis, & patet per multa jura*. Ex his autem nil aliud concludit Eminentiſſimus, quàm quod laudatus Zenus, quem allegat, ex multorum Scriptorum collationibus deduxit, nimirum vulgatam rebaptizationem, non de Conſtantino M., ſed ejus filio *Conſtantio* intelligendam eſſe.

(a) Jacobat. de Concil. Art. 8. n. 18. Bibl. max. Pont. Rocabert. tom. 9.

XVII. Poſt Jacobatium hanc ſententiam defendendam ſuſcipere viſus eſt (b) Emanuel à Schelſtrate, præfatos Auctores Zenum & Jacobatium ſequutus; argumentum autem fortiùs urget, & plus profert, quam quod illi expreſſerunt. Nam verbis à me recitatis inſinuari dicit, Jacobatium non abhorrere ab eorum ſententia, qui olim reverſos ab hæreſi rebaptizandos dixerunt. Sed perperàm hoc eruit Schelſtrates ex illis verbis, neque quòd Jacobatius in minimo videatur favere rebaptizazionis ſententiæ, quippè qui ſolùm ex Zeno multorum Scriptotum varietates ſynopticè enarrat dicens (c) *Iſta varietas ibi naſcitur ex varietate ſcribentium. Sed idem Jacobus Zenus allegatis omnium auctoritatibus concludit, credendum eſſe eum baptizatum fuiſſe à Silveſtro, & quod ſcribitur Conſtantinum rebaptizatum fuiſſe ab Euſebio Nicomedienſi Præſule Ariano di-*

(b) Diſſert. 3. de baptiſ. Conſt. c. 6. n. 318. in Bibl. max. Rocabert. tom. 11.

(c) Jacobat. ſup. cit. n. 29.

eit intelligendum eſſe de Conſtantino ejuſdem Conſtantini filio. Hæc non ſecùs Jacobatius, qui mox ad alia tranſit.

XVIII. Euseb. Non benè allegat Schelſtrates Jacobatii auctoritatem, perindè ac ſi ſententiæ rebaptizationis generatim: ſpeciatim verò Conſtantinianæ rebaptizationi faviſſet. Sed quæ ſunt alia Schelſtratis argumenta, quibus ſuam ſententiam aſtruit?

XIX. Silvest. Primum argumentum repetit ex vita Conſtantini, ubi, ut ille credit, Euſebius ſcribit, Conſtantinum Nicomediæ circà finem vitæ baptizatum, abſquè eo tamen quòd Euſebius miniſtrum expreſſiſſet, quòd ſciret ex Euſebii Nicomedienſis miniſterio, hunc Conſtantini baptiſmum apud poſteros ſuſpectum fore, & reprobatione dignum. Quidquid ſit, inquit Schelſtrates, non ità ſe moderari potuit Euſebius, quin alibi hunc baptiſmum iteratò collatum in ſinuare viſus ſit. Enim verò libro 4. de vita Conſtantini c. 17. ſcriptum reliquit de ejuſdem Imperatoris pietate, qua frequenter *conſtitutas cum univerſo Eccleſiæ Cœtu preces reddebat*; quod ſolo baptizato competiiſſe lucet ex antiqua Eccleſiæ regula, quæ Catechumenos, multo magis Ethnicos, cum fidelibus orare vetabat. Ut vel ex hoc pateat, quòd, dum Conſtantinum ſæpiùs, cum fidelibus publicè in Eccleſia oraſſe ſcribit Euſebius, ſimul & Romæ à Silveſtro baptizatum fuiſſe inſinuet. Hæc Schelſtrates.

XX. Euseb. Ex Euſebio nihil aliud probatur, quàm Conſtantinum Nicomediæ baptizatum, minimè verò rebaptizatum. Sed etſi in Eccleſiis oraviſſet, non ſequeretur eum fuiſſe baptizatum, Eccleſias enim ingredi licebat etiam gentilibus, excepto Miſſarum tempore, quanto magis Imperatori, qui ſe Chriſtianum profitebatur.

XXI. Silvest. At Schelſtrates urget argumentum, illudque de precibus confirmat S. Theophanis Martyris, & Nicephori Calliſti teſtimoniis, qui antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ haud ignari fortiter argumentantur, dicentes, Conſtantinum nondum baptizatum intereſſe non potuiſſe Concilio Nicæno,

nec

nec oraſſe cum Sanctis Patribus, nec benedictione eorum dignũ, aut communis menſæ participē fuiſſet. Iſta autem omnia aliaque hujuſmodi plura Sacra, Conſtantinum tempore jam Nicænæ Synodi participaſſe conſtat, atque hinc tunc certo baptizatum jam eſſe produnt. Quare Theophanes, & Nicephorus opinionem tuam diſſipant, qui Conſtantinum nondum baptizatum Sacris intereſſe eaque participare potuiſſe exiſtimas. Quô poſitô ſequeretur eum in fine vitæ rebaptizatum, licèt tum dicatur tantùm baptizatus.

XXII. Euseb. Necque hoc argumento Schelſtrates quicquam efficit. Conſtantinum Nicæno Concilio interſuiſſe, & oraſſe cum Patribus non probat eum antè baptizatum, atque adeò, ut poſteà ſub exitum vitæ dici poſſit rebaptizatus.

XXIII. Silvest. Schelſtrates inſtat, & probat Conſtantium rebaptizatum ex Chronico S. Hieronymi, ubi legitur, Conſtantinum extremo vitę ſuę tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatum in Arianorum Dogma declinaſſe; quem locum Schelſtrates explanat, dicens, Arianorum Dogma aliud non eſſe, quam rebaptizationem, prout in hoc ipſo textu Hieronymiano ex aliis codicibus expreſsè legitur: *Conſtantinus ... rebaptizatus*. Hinc, cùm conſtet, Euſebium Nicomedienſem fuiſſe Arianum, nihil vetat, inquit Schelſtrates, rebaptizatum eſſe ab eo Conſtantinum.

XXIV. Euseb. Certum eſt, Conſtantinum haudquaquam fuiſſe rebaptizatum, ſed tantùm baptizatum Nicomediæ, prout clarè Euſebius Pamphili ſcribit, & ego alibi plurimis argumentis liquidò demonſtrabo. Quod enim S. Hieronymus in Chronico ſcribit, non aſſentior quoad ſecundam partem, & dico falſum eſſe Conſtantinum in Arianum Dogma declinaſſe.

XXV. Silvest. Sapientèr admodùm dicis, certum eſſe Conſtantinum non fuiſſe rebaptizatum, quod ego quoque conſtanter nego; nego autem præterea eum etiam baptizatum Nicomediæ, quod, nolis, velis tu ipſe negare debes. Si enim ſemel admittis, & inſuper defendis Conſtantinum Nicomediæ baptizatum, tela in te vertis, & Schelſtrati ac Havelburgenſi invi-

invitus ſuffragaris. Si aſſeris Conſtantinum in fine vitæ baptizatum, ſuſpectum reddis plentiſſimum Principem, & affirmas eum in Arianum Dogma declinaſſe, prout Chronicon Hieronymianum docet, cujus textus primam partem, ſi affirmas, alteram partem perperàm negas; nam argumentum hoc affirmant SS. Proſper, & Iſidorus, quin imò primus Baptiſmi Nicomedienſis aſſertor, quem haud rectè Euſebium vocas, ipſe nihil aliud vult, quam Imperatorem noſtrum Catholicum in fine vitæ facere Arianum, teſtarique more Arianorum tunc primum ſacris fuiſſe initiatum, & rebaptizatum.

XXVI. Verum enim verò, quantumcunque Schelſtrates hoc argumentum urget; dico perplexè eum hanc controverſiam pertractaſſe, ac nihil aliud in re, quod veritatis ſpeciem magis præſeferret, adduxiſſe, quàm quod ex Auctore de Vita Conſtantini aſtruit, videlicet Conſtantinum pridjem ante mortem conſtitutas cum univerſo EccleſiæCœtu preces reddidiſſe: Concilio Nicæno interfuiſſe: oraſſe cum SS. Patribus, atque Divina Myſteria participaſſe, quæ omnia ex dicto de vita Conſtantini Auctore, ex Actis Nicænæ Synodi, & Sanctorum Patrum teſtimoniis evidentèr certa, & inficiari non poſſumus. Ex quibus proinde Schelſtrates argumentum ſuum deducens: Si Conſtantinus longo tempore ante mortem fuit baptizatus, & rurſum in fine vitæ ſcribatur baptizatus, rectè concludit, ergo rebaptizatus eſt.

XXVII. Animadvertas autem velim, Schelſtratem Virum eruditiſſimum deceptum quoque eſſe, circà alterum Baptiſmum Conſtantini Nicomedienſem; qui ideo, ut dixi; perplexè ſententiam hanc pertractavit, nec auſus eſt de Conſtantini rebaptizatione ſententiæ ſubſcribere, quod ipſemet declarat, & hanc controverſiam parum fuſius duntaxat ideo pertractare voluiſſe fatetur, *quod ea forſan* (ſunt ejus verba) *ex dictis elucidari poſſit ab aliis, quorum ulteriori indagini hanc de rebaptizatione Conſtantini conjecturam relinquo, hoc addito, me nihil hac in re, ut certum, propoſuiſſe, ſed potius ut dubia omnia, donec re iſta accuratius examinata, peritorum*

torum judicium æquam ſententiam pronunciet, non adeo inhærendo teſtimoniis Euſebii, quem ex ſilentio de Baptiſmi Miniſtro vafrè hic ſcripſiſſe conſtat, ut meritò ipſius hac in re Fides de liberato per Baptiſmum in fine vitæ à peccatis Conſtantino, ſuſpecta eſſe poſſit, quin imò debeat. Unde ſi hac in re majorem quam Schelſtrates fidem adhibes Scriptori, quem Euſebium vix rectè vocitas, & Conſtantinum tantùm baptizatum Nicomediæ credas, affirmare debebis, eum in fine vitæ in Arianum dogma declinaſſe, & rebaptizatum ab Euſebio Epiſcopo Ariano.

XXVIII. Euseb. Relinquamus hæc; non enim ſententiam de rebaptizatione, ſed de ſolo ac unico Conſtantini Baptiſmo Nicomedienſi defendendam ſuſcepi. De hoc velim ſcire brevitèr, antequam Colloquio noſtro finem imponamus, cur eum mihi neges? Productæ ex Schelſtrate rationes nondum ſufficiunt ad hunc negandum; audire aveo, quibus argumentis Conſtantinum Romæ baptizatum probas; ut quæ ſentis, pariter cognoſcam, tibique competenter reſpondeam.

XXIX. Silvest. Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas. At non cognoſces quod ſentio, niſi prius tu enarres, quæ ipſe ſentis. Vera claraque conſector. Tu quoque, ſi vis lumine claro cernere verum, tramite recto carpe callem. Dic tua, quæ ſententiæ de ſolo Baptiſmo Nicomedienſi favent, quorum cuncta veluti incerta, obſcura ac partim ſpuria notantur, & propterea, qui paria tecum ſentiunt, hallucinari mihi videntur omnes.

Euseb. Quid ais, hallucinari qui mecum ſentiunt? Illicò probabo, quàm vera, quamque certa ſit mea ſententia.

XXX. Silvest. Hoc, ut præſtes, amicè obſecro. Sed monitum te volo: Eſto fidelis, candidus, clarus & rectus: & quicquid tuæ ſententiæ favere arbitraris, non me celes. Loquere apertè; nam nihil egregius eſt, quàm res cernere apertas. Non ſit tibi grave, recenſere inprimis, quis aſſertor, ſive primus Auctor tuæ ſententiæ, quid ſcripſerit, qua mente, & quando ſcripſerit. Deinde, qui poſt eum priſcis temporibus ſententiam tuam tradiderunt,

Euseb.

Euseb. Satis pro nunc: in tertio Colloquio liquidè oſtendam, quod deſideraſti.

COLLOQUIUM III.

De tertia atque eorum hujus Quæſtionis ſententia, qui Conſtantinum Nicomediæ ſemel duntaxat baptizatum arbitrantur. Hoc ex Euſebio Pamphili probant, & aliorum veterum teſtimoniis confirmant. Sed primarium teſtimonium falſitatis arguitur, in dubium revocatur, & in ocularem teſtem inquiritur.

EUSEB. Adſum Silveſtrine. Impera quid vis, neque tibi ero in mora, neque latebroſè me abs tuo conſpectu occultabo. Propero te convenire; nam nemo eſt, quem ego magis nunc cupio videre, quàm te.

Silvest. Pietate plenum eſt peregrinam gentem communibus beneficiis obligare, & non tantùm compatriotas ad ſubſtantiæ lucra admittere, quantùm ipſos quoque advenas ad ſuavia colloquia invitare.

Euseb. Pacta ſemper, & promiſſa ſervanda ſunt; præſertim ſi plùs proſint, quam illi noceant, cui promittitur. Servo promiſſa; ſiquidem ea tibi profutura judico, ut te falli agnoſcas, quod temerè culpas. Nunc adeò quæ ſit dubiæ ſententia menti expediam, & paucis (animum adhibe) docebo.

I. Primarium Aſſertorem ſententiæque meæ Auctorem tibi exhibeo Euſebium Pamphili Cœſareæ quondam in Palæſtina Epiſcopum, cujus in præcedentibus colloquiis nonnunquam mentionem fecimus, ejuſdemque teſtimoniô, & auctoritate maximâ, aſſertum meum comprobo. Hic igitur, qui primus Conſtantini noſtri vitam deſcripſit, poſtquàm vitam hânc in libris quatuor ad Imperatoris hujus annum Imperii vitæque ultimum, Chriſti verò 337. eleganter exarando perduxerat, ſequentia refert:

II.

II. (a) *Cùm primas Paſchalis Feſti exercitationes obiiſſet, ipſumque Servatoris Noſtri diem, tùm ſibi tùm aliis omnibus lætum atque hilarem reddidiſſet; his illum rebus intentum, & in hujuſmodi operibus perſtantem uſque ad exitum vitæ, Deus cujus auxilio cuncta hæc gerebat, opportunè tandem eum ad meliorem ſortem transferre dignatus eſt.* (b) *Principio quidem inæqualis corporis intemperies; poſt hæc morbus eum invaſit. Itaque ad aquas calidas Civitatis ſuæ progreſſus, inde Helenopolim delatus eſt, Urbem Matris ſuę nomine appellatam: ibique in Templa Martyrum diu commoratus, ſupplicationes & preces obtulit Deo. Cumque extremum vitæ diem ſibi jam imminere ſentiret tempus tandem adeſſe exiſtimavit, quo totius vitæ delicta expiaret; firmiſſimè credens, quæcumque humanitùs peccaviſſet, arcanorum verborum efficacia & ſalutari Lavacro penitus eſſe delenda. Hæc cùm apud ſe reputaſſet, genuflexo humi procumbens, veniam à Deo ſupplex popoſcit, peccata ſua confitens in ipſo Martyrio: quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primùm meruit accipere. Hinc ad ſuburbana Nicomediæ digreſſus; convocatis Epiſcopis, ſic ad eos verba fecit:* (c) *Hoc erat tempus quod jam dudum ſperabam, cùm incredibili cupiditate arderem, votiſque omnibus deſiderarem Salutem in Deo conſequi. Jam tempus eſt, ut ſignum illud quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus eſt, ut ſalutaris Signaculi particeps ſiamus. Equidem olim ſtatueram idagere in flumine Jordane, in quo Servator ipſe ad exemplum noſtrum, lavacrum ſuſcepiſſe memoratur. Sed Deus, qui optimè novit ea quæ nobis utilia ſunt, hoc in loco nobis idipſum exhibere dignatur. Proindè omnis removeatur dubitatio. Nam ſiquidem Deus vitæ mortiſque arbiter, hìc me diutius vitam agere voluerit; idque ſemel decretum eſt, ut inpoſterum una cum Populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus cum reliquis omnibus Orationum particeps ſiam; eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe ſpondeo, quæ ſint Deo dignæ. Hæc cum dixiſſet, illi ſolemni ritu divinas cæremonias peregerunt: injunctiſque ei quæcunque neceſſaria erant, Sacrorum Myſteriorum participem eum fecerunt. Solus igitur ex om-*

(a) Euſeb. Vit. Conſt. Lib. 4. c. 60. p. 556. Interpret. Henr. Vales. Edit. Paris. 1659.

(b) c. 61. p. 557.

(c) C. 62. p. ead.

nibus, qui unquam fuerunt Imperatoribus Conſtantinus, in Chriſti Martyriis renatus & conſummatus eſt: & divino Donatus ſignaculo, exultavit Spiritu renovatuſque eſt, ac divina luce repletus. Hæc de Conſtantini Baptiſmo circa finem vitæ Nicomediæ ſuſcepto Euſebius noſter, teſtis locupletiſſimus fideque digniſſimus, qui eodem Conſtantini tempore floruit, ipſique Imperatori charus admodùm ſemper & familiaris extitit.

Silvest. Sed quæ ſunt alia hæc ſequuta? & quibus verbis deſcribit Euſebius ipſum Imperatoris obitum, ejuſque circumſtantias?

III. Euseb. Poſt recitata mox ſubjungit, & pergit Euſebius: *Et animo quidem maximam capiebat voluptatem ob fidei excellentiam; evidentiſſimam autem divinæ potentiæ magnitudinem attonitùs mirabatur. Poſtquam omnia ritè impleta ſunt, candidis ac regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus eſt amictus, & candidiſſimo in lecto recubuit; nec purpuram contingere ampliùs voluit.* (a) *Poſthæc ſublata altius voce, precabundus gratias egit Deo: Et finita precatione hæc ſubjecit*: Nunc me revera beatum eſſe; nunc immortali vita dignum; nunc divinæ compotem Lucis factum eſſe cognoſco. *Miſeros quoque, & infelices eſſe ajebat, qui tantis bonis privarentur. Cumque Tribuni ac Duces militarium copiarum introgreſſi, vicem ſuam dolerent, quòd orbos ipſos relinqueret, & longiorem ipſi vitam comprecarentur; his etiam reſpondens, nunc demùm veram ſe vitam adeptum eſſe dixit, ſeque unum optimè noſſe, quantorum bonorum particeps factus fuiſſet. Proindè properare ſe & profectionem ad Deum ſuum nulla tergiverſatione differre. Singula deindè pro arbitrio ſuo diſpoſuit. Ac Romanis quidem Regiam Urbem incolentibus annua quædam munera legavit. Suis autem Liberis Imperium velut paternam hæreditatem reliquit; cuncta prout ipſi videbatur, conſtituens. Porrò hæc omnia gerebantur in maxima illa Solemnitate venerandæ & Sacratiſſimæ Pentecoſtes: quæ ſeptenario hebdomadum numero decorata unitate obſignatur. In qua & communis Servatoris aſcenſum in Cælos, & Sancti Spiritus in terras deſcenſum contigiſſe Sacræ Literæ teſtantur. In ea igitur Solem-*

(a) C. 63. p. 558.

lemnitate Imperator hæc quę diximus conſequutus, ultima tandem die, quem ſiquis omnium Feſtivitatum maximam vocet, haudquaquam meo judicio aberraverit, circà meridiem migravit ad Dominum; mortalibus quidem partem ſui mortalem relinquens: eam verò animæ partem, quæ intelligentiâ, & amore Dei prædita erat, Deo ſuo conjungens. Hic Conſtantino exitus vitæ fuit. Hactenùs Euſebius.

Silvest. Quos habes, qui poſt Euſebium huic rei de Baptiſmo Conſtantini adſtipulantur? quæ ſunt illorum teſtimonia?

IV. Euseb. Eodem Conſtantini, & Euſebii ſeculo IV. idem refert Paſchalis ſive Alexandrini Chronici Concinnator, qui vixit ſub Imperatore Conſtantio, Conſtantini M. filio ſic ſcribens: (a) *Perſis bellum Romanis denunciantibus, Conſtantinus Anno XXXII. Imperii, cùm in Orientem proficiſcitur, ſuſcepta contra Perſas expeditione, cum veniſſet uſque Nicomediam, glorioſè vitam cum morte commutavit, in ejuſdem Urbis ſuburbano, ſalutari Baptiſmo ab Euſebio Epiſcopo Conſtantinopolitano donatus, cùm imperaſſet Annos XXXI. & Menſes X.* Et rectè quidem hic Auctor appellat Euſebium Nicomedienſem *Epiſcopum Conſtantinopolitanum*, quia (b) Conſtantius Imperator Paulum exturbavit Eccleſiâ, & Euſebio Epiſcopo Nicomediæ Sedem Conſtantinopolitanam tradidit.

V. Eodem ſeculo habeo teſtimonium Trecentorum & aliquantò ampliùs Epiſcoporum Occidentalium Concilij Ariminenſis poſt obitum M. Conſtantini anno vigeſimo ſecundo; Chriſti 359. celebrati, quod extat in Synodica eorum Epiſtola ad Imperatorem Conſtantium latinè ſcripta, ubi hæc leguntur. (c) *fuit nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, cum Imperator Conſtantinus, ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni curâ & diligentiâ conſcriptam promulgarit, tùm demùm, ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem ſibi debitam translatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle.*

VI. (d) Hoc Patrum Ariminenſium teſtimonium, meritò etiam appellari poteſt teſtimonium S. Athanaſii Archiepiſcopi

(a) Chron. Paſch. per Car. du Cang. edit. Paris. An. 1688 p. 286.

(b) Sozom. Lib. 3. c. 4. p. 782.

(c) apud Natal. Alexand. hiſt. Eccl. Sec. IV. Differt. XXIII. p. 325. vid. Athan. Lib de Synod. Arim & Seleuc. Interpr. Nannio Edit. Lat. Pariſ. à Sebaſt. Nivellio, 1581. & edit. Commeliniana 1601. eod. interpret. Græc. Lat.

(d) Per. Lambec. Bibl. Cæſ. append. Lib. V. p. 403. in marg.

copi Alexandrini, qui dictam Synodicam Epiſtolam pro S. Symbolo Nicæno contra Arianos ad Conſtantium Imperatorem ſcriptam approbavit, & epiſtolæ ſuæ de Synodis Arimini, & Seleuciæ celebratis integram inſeruit. Obiit autem S. Athanaſius An. Chr. 373.

VII. Idem atteſtantur Sancti Martyres Jovianus, & Hercolianus, qui ſub Juliano Apoſtata Tyranno ſic reſponderunt: (a) *Nos Chriſtiani ſumus ſub Patre noſtro Conſtantino accipiente teſtamentum in Aquilone juxta Nicomediam, quando & ad finem mortis ſuæ jam properabat, ad juramentum nos conſtrinxit omnibus mandatis ſuis, ne quid contrà purpuram filiorum ipſius, vel contra Eccleſiam faceremus.* (b) Ubi Auctor hic Baptiſmum *teſtamentum* appellat.

(a) Vid. Tillemont. hiſt. Imp. Tom. IV. edit. Venet. 1732. in Not. LXV. p. 660.

(b) Ruinart. in Act. Mart. ſinc. S. Bonoſ. edit. Amſtol. 1713: p. 596.

VIII. Eodem ſeculo hoc ipſum teſtimonium Auctoritate ſuâ confirmat S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, in Oratione, quam habuit de funere & obitu Theodoſii M. Imperatoris his verbis: *Nunc ſe Auguſtæ memoriæ Theodoſius regnare cognoſcit, quando in Regno Domini Jeſu eſt, & conſiderat templum ejus. Nunc ſibi Rex eſt, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulcherrima ac dulciſſima ſibi pignora, quæ hic amiſerat, quando ei ſua Placilla adhæret, fidelis anima Deo; quando Patrem ſibi redditum gratulatur, quando Conſtantino adhæret. Cui licèt Baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Obiit S. Ambroſius An. Chr. 397.

IX. Eodem item ſeculo etiam S. Hieronymus Stridonenſis hoc confirmans in Chronico ſic ait: *Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianorum dogma declinat: à quo uſque in præſens tempus, Eccleſiarum rapinæ, & totius Orbis eſt ſecuta diſcordia.* Obiit S. Hieronymus, circiter An. 420.

X. Sequenti Seculo quinto percelebres alii Eccleſiaſtici Scriptores idipſum affirmârunt: (c) Socrates Scholaſticus: *Imperator Conſtantinus ſexageſimum quintum ætatis ſuæ annum*

(c) Lib. 1. c. 16. p. 429.

num ingreſſus, in morbum incidit: ac Conſtantinopoli decedens, Helenopolim traiicit, balneis aquarum naturâ calidarum, quæ ibi ſunt in proximo, uſurus. Ubi verò morbo gravius affligebatur, lavationem balneorum diſtulit. Helenopoli autem abſcedens, Nicomediam rectâ proficiſcitur. Illic in ſuburbio commoratus, Lavacro Baptiſmatis, quod eſt Chriſtianorum proprium, tingitur.

XI. (a) Theodoretus Cyri in Palæſtina Epiſcopus: *Cùm Imperator eſſet Nicomediæ, graviter ægrotare cœpit. Cumque ſecum conſideraret, quam incertus ſit humanæ vitæ exitus, donum Sacroſancti Baptiſmatis accepit. Ad hoc namque tempus iſtud ideo diſtulerat, quod magno tenebatur deſiderio, hoc ſalutare lavacrum in Jordane fluvio percipiendi.*

(a) hiſt. Eccl. Lib. 1. c. 32. p. 627.

XII. (b) Hermias Sozomenus: *Imperator autem -- quoniam corpore ægro jam & languenti fuit, ideo Helenopolim advenit, balneis ſuâ naturâ calidis uſurus. Ac cùm morbo vehementius urgeretur, Nicomediam deportatus eſt. Ibi autem eum in ſuburbiis commoraretur, Sacroſanctô Baptiſmatis Myſterio initiatus eſt.*

(b) Hiſt. Eccl. lib. 2. ca.p.32. p.779.

XIII. His (c) ſuffragatur Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico. Ex recentioribus verò hanc ſententiam propugnant Æneas Sylvius in Dialogis biennio ante Pontificatum ſuum editis. Cardinalis Cuſanus lib. 3. Concordantiæ Catholicæ c. 2. & doctiſſimus Hermannus Doctor Sorbonicus in obſervationibus ad vitam S. Athanaſii: (d) Item Henricus Valeſius, Daniel Papebrochius, Antonius Pagi, Eruditi Congregationis S. Mauri Monachi Benedictini, peneque omnes Reipublicæ Literariæ Quirites.

(c) Nat. Alex. cit. Differt. 23. pag. 326.

(d) Id Alex. ibid in loc.

SILVEST. Produxiſti S. Iſidorum, at non recitaſti ejus verba.

XIV. EUSEB. Habet eadem ut S. Hieronymus, in fine verò paulò plus addens his verbis: *Conſtantinus autem, in extremo vitæ ſuæ ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianum dogma convertitur. Heu, proh dolor! Bono uſus principio, & fine malo.* Quod tamen non admitto. Floruit S. Iſidorus ſeptimô

Ec-

Eccleſiæ ſeculô eruditione & Sanctimoniâ celebris in Hiſpania.

XV. Silvest. Sanè plus,& multò plus exprimit Iſidorus, quàm Hieronymus. Sed nec ego hoc admitto, & idcircò hæc Sanctorum Patrum, in hoc facto, teſtimonia, firmum argumentum præſtare non poſſunt, reliquis pluribus reclamantibus. Nunc autem teſtimonia a te producta, quomodo confirmas? Recentiores enim quos allegaſti, quique tuam ſententiam propugnant, non probant, quia verba Juniorum, ſunt verba Seniorum, & omnium dicta videntur, dicta unius Euſebii.

XVI. Euseb. Quod majus teſtimonium deſiderari poteſt, quàm quod de factô quodam coævus Auctor perhibet, Et quæ alia confirmatio, quam quæ tot veterum ſuffragiis corroborata eſt?

XVII. Silvest. Sed cuncta falſitatis arguens, ea in dubium revoco, quæ nequaquam ſufficiunt ad aſſerendam tuam ſententiam, niſi aliis quoque adminiculis confirmentur. Nam ut ipſe (a) Conſtantinus Aug. ad Maximum Urbis Præfectum ſcribens ait: *Ubi falſi examen inciderit, tunc acerrima fiat indago, argumentis, teſtibus, Scripturarum collatione, aliiſque veſtigiis veritatis*; patet, ſolos teſtes non ſufficere, ſed præterquam alia etiam argumenta, veſtigiaque veritatis exigi.

(a) Leg. 22. C. ad leg. Cornel. de falſ.

Euseb. Sufficit Euſebius noſter, utpote teſtis omni exceptione major.

XVII. Silvest. Sed ſi nec hunc teſtem admiſero, tanquam minùs idoneum & inſufficentem teſtem, ſolum, & unicum, qui & ipſe non oculatus, ſed auritus teſtis, prout ipſe teſtatur dum ait; *Illi ſolemni ritu divinas ceremonias peregerunt ... Sacrorum myſteriorum participem eumfecerunt*; quô palàm fit, Euſebium, qui hoc de Epiſcopis aſſerit, & ipſemet Epiſcopus fuit, ab fuiſſe, atque hinc decipi potuiſſe ex auditis.

XIX. Euseb. Omnium conſenſu Euſebius hujus rei ſufficiens teſtis eſt, & quem hactenùs nemo negavit, tu ne negabis?

XX. Silvest. Ita eſt; tamdiù eum conſtanter nego, quam.

quamdiu aliis magis idoneis teſtibus, argumentis, adminiculiſve certiorem tuæ ſententiæ rationem non comprobaveris. A vero namque non aberravit qui dixit: (*a*) *Quemque ſuos pati manes*. (a) Virg. 6. Aen.

(*b*) *Nimirum idem omnes fallimur; neque eſt quiſquam*
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis, ſuus cuique attributus eſt error. (b) Catull. ad Var.

Quamobrem cùm certum ſit non utrumque ex nobis, hac in controverſiâ: ſed unum in hac, alterum in alia re falli, ſedulo rem ipſam utriuſque ſententiæ originariam perveſtigemus, & in teſtem oculatum inquiramus, poſtea videndum, num & is idoneus teſtis haberi poſſit ac debeat. Hunc ſi noverimus, totum noverimus, reique ſivè veritas ſivè falſitas clarè patebit.

XXI. Euseb. Ne tamen ea, quæ ad ſtatum quæſtionis ſpectant, promiſcuè in iſto Colloqio confundamus, præſtat, ut à neceſſariis digreſſionibus breviter nos expediamus.

XXII. Silvest. Ea ſolùm, quæ ad Piiſſimi noſtri Principis Conſtantini fidei integritatem ad mortem uſque intemeratè conſervatam; atque quæ ad Arii ſuorumque complicum fraudem, impietatemque ſpectant, breviter, quoad fieri poteſt, recenſebo. Paucis indicabo, quæ à tempore Concilii Nicænii Conſtantinum inter, & Arium nonnulloſque alios contigerunt; ex quibus tanquàm prodromis ſat multa capies, quis Conſtantinus in fine vitæ, & quis teſtis oculatus commentatitii ejus Baptiſmi Nicomediæ.

Euseb. Percenſe ergò, quæ tibi ad rem ſpectare videntur.

XXIII. Silvest. Ariana Hæreſis, quà nulla poſt homines natos magis in Eccleſiam graſſata eſt, & majores in ea excitavit tumultus, imperante Conſtantinô Magnô, initiô Alexandri Patriarchæ Alexandrini, (*c*) circa An. 315. innoteſcere cœpit, & (*d*) An. 321. in Concilio Alexandrino, præſidente Oſiô Silveſtri Romani Pontificis Legatô, & Epiſcopo Cordubenſi, à centum ferè Epiſcopis damnata eſt. Malè auſpicatum nomen traxit hæc Hæreſis ab Auctore *Ario* Eccleſiæ (c) Baron. An. 315. n. 19. Pag. Crit. eod. An. n. 5. (d) Baron. An. 318.

Alex.

Alexandrinę Presbytero, ex Lybia Oriundo, qui primùm occultè, poſteà verò apertè ſacrilego ore auſus eſt aſſerere, Verbum Divinum, & creatum & mutabile eſſe, ex non extantibus factum, ſuiſſeque tempus quandò non erat. In dicta Synodo Alexandrina, cum Ario damnati quoque ſunt duo Epiſcopi, *Secundus* ſcilicèt Ptolomaidis, & *Theona* Marmaricæ Arii Fautores, aliique ejuſdem ſocii, qui hæreſim ſuam palàm fuiſſent profeſſi. Tùm quoque notatus eſt *Euſebius* Epiſcopus Nicomedienſis, qui ejectum ab Eccleſia Alexandrina Arium in ſuam communionem recepit, atque per literas Epiſcopos alios vehementer adhortabatur, ut ſuam itidem in communionem Arium ejuſque ſocios reſtituerent, & Alexandrum Patriarcham Alexandrinum ad pacem cum illis ineundam adducerent. Quæ mox ut ad aures Alexandri perlata ſunt, varias ad plurimos Epiſcopos ſcripſit Sanctiſſimus ille Antiſtes, (a) Epiſtolas, quibus Arii, ejuſque ſociorum impietatem detexit, illoſque ab Eccleſia fuiſſe à ſe expulſos ipſis ſignificavit. Arius, abjectâ omni ſpe pacem cum Alexandro ineundi, Schiſma in Ægypto conflavit, ſuamque hæreſim longè lateque diſſeminans, Eccleſiam ſcidit in duas partes.

(a) Apud Socrat. lib. 1. c. 3. p. 392. Theodoret. lib. 1. c. 4. p. 593.

XXIV. Hic deploratus Eccleſiæ ſtatus magis magiſque invaleſcere cœpit, quando Conſtantinus M. devictis Romani Imperii hoſtibus, & extinctô Liciniô Tyrannô An. 324. ſolus ſummâ rerum potitus, univerſo Orbi Romano, procuravit pacem. Religioſus hic Imperator (b) ad Alexandrum, & ad Arium literas direxit, quibus eos ad concordiam & pacem hortatus eſt, (c) quas literas detulit dictus Oſius Cordubenſis Epiſcopus, qui An. 321. à Silveſtro, & Conſtantino miſſus ad componendos Eccleſiæ Alexandrinæ tumultus celebravit Alexandriæ Synodum, ſed literæ Imperatoris, & præſentia Oſii excitatum in toto Oriente incendium extinguere minimè potuerunt.

(b) Auct. vit. Côſt. l. 2. c. 63. p. 282.

(c) Socrat. lib. 1 c. 4. p. 395.

XXV. Porrò quantum Conſtantinus pro Eccleſiæ pace & concordia laboraverit, facilè autem, quod ex ſua parte erat, Eccleſiæ hoſtes inimicoſque devicerit, (d) Auctor ipſius vitæ

(d) Lib. 3. c. 1. p. 286.

vitæ innuit: *Quemadmodum*, inquit, *probitatis hoſtis Dæmon, gravi in proſperum Eccleſiæ ſtatum exardeſcens invidiâ, tempore pacis & lætitiæ, ſeditionis procellas, & tumultus inteſtinos contrà illum excitavit: ſic Imperator Deo Charus Conſtantinus, ea quæ ad ſuum ſpectabant officium, minimè neglexit; ſed omnia contraria his quæ antea à tyrannica crudelitate admiſſa, inſtituit; & quemcumque Eccleſiæ hoſtem inimicumque facilè devicit*. Initiô autem, cùm nihil efficeret, & Orientis Epiſcopi in diverſas partes ſcinderentur, Arianaque Hæreſis inſtar Cancri latiùs ſerperet, non aliud huic malo, quod indies ingraveſcebat, efficacius remedium adhiberi poſſe exiſtimavit Conſtantinus, quàm ut Silveſter Pontifex Epiſcopos ex univerſo Orbe Chriſtiano in unam cogeret Synodum. Abjectâ itaque omni cunctatione Religioſiſſimus hic Imperator, ad omnes ſui Imperii Epiſcopos litteras honorificè ſcribendas curavit, eoſque, aſſentiente Silveſtro Romano Pontifice, ad Generalem Synodum Nicææ in Bithynia Urbe celebrandam convocandos, ut hanc exortam de fide, atque etiam de Paſchatis celebratione controverſiam, auctoritate ſua dirimerent.

XXVI. Annô itaque 325. celebratum eſt Concilium Generale Nicænum, cui interfuerunt 318. Epiſcopi. Adfuit etiam ipſe Conſtantinus Pius Imperator, & infrà Epiſcopos, ſed non niſi annuentibus, ſedit. Orationem habuit, quâ Patres ad concordiam adhortatus, ſeque ipſum perfectum Chriſtianum profeſſus eſt. Eos, qui diſputabant, attentè auſcultabat, ſubnaſcentes rumores conſopiebat, ſuum modeſtè ſenſum inſinuabat, & cum ſingulis amicè colloquebatur. Uno verbo, Conſtantinus ſeſe ergà omnes Epiſcopos adeò beneficium exhibuit, ut præter vecturas itinerum, omneſque victus impenſas, quas illis regali munificentia ſuppeditavit, libellos famoſos, & calumniis refertos ſibi ab Arianis oblatos è veſtigio comburi juſſerit. In hoc igitur Concilio Arius, qui errores ſuos meretriciâ fronte defendit, anathemate confoſſus, pro ſcriptaque illius hæreſi ac definitum eſt, Filium Dei eſſe ὁμοούσιον, ideſt Patri Æterno conſubſtantialem, editumque

Fidei Symbolum, cui vox illa appoſitè inſerta eſt ad cohibendam omnium Arianorum cavillandi licentiam. Decrevit etiam Sancta Synodus Feſtum Paſchatis una eademque die ab omnibus Eccleſiis eſſe celebrandum, videlicèt die Dominicâ proximè ſequente Lunam decimam quartam, menſis Martii poſt vernum æquinoctium. De his agens(*a*) S. Athanaſius ait: *Nicæna Synodus non temerè habita eſt, ut quæ habeat graviſſimos uſus, & legitimam rationem. Syri etenim, Cilices, Meſopotamiani in cauſa feſti claudicabant, atque una cum Judæis Paſcha celebrabant: & jam tùm Ariana hæreſis, quæ contrà Eccleſiam inſurrexerat, ſuos propugnatores habebat, qui ipſam defenderent, & qui piis inſidias facerent, Euſebianos ſcilicèt. Atque ea de cauſa fuit, cur univerſus Orbis in Concilium coiret; ut & eodem die ubique feſtum celebraretur, & hæreſis quæ ſuppullulaverat, anathemate percuteretur: quod & factum eſt.* Præter Arium duo etiam Epiſcopi *Secundus* Ptolomaidis, & *Theona* Marmaricæ, qui nec fidei Nicænæ, nec damnationi Arii ſubſcribere voluerunt, anathemate percuſſi, & cum Ario juſſu Imperatoris in exilium fuerunt ablegati. *Euſebius* quidem Nicomedienſis, & *Theognis* Nicænus initio formulam fidei Nicænæ penitùs repudiarunt, ſed poſteà metu Imperatoris, qui contradicentibus exilium minabatur, eam calculo ſuo comprobarunt, ſed ſictè & ſimulatè: nam poſt Concilium Nicænum,cùm defenſores errorũ Arii palam ſeſe exhiberent, pariter ab Imperatore in exilium miſſi ſunt. Verùm (*b*) haud ita diu poſt Concilium Nicænum, Arius, qui ejectus fuerat in exilium, revocatus eſt: ſed tamen Alexandriam ingredi adhuc prohibitus. Quomodo, & quibus cooperantibus id acciderit, percipe.

XXVII. (*c*) Imperator Sororem habuit nomine Conſtantiam, quæ Uxor erat Licinii, qui primùm cum Conſtantino Imperii particeps fuit: deindè tyrannidem exercuit, qua de cauſa ad extremum trucidatus eſt. Huic Conſtantiæ accidit presbyterum quendam venire in notitiam, latentèr Arii partibus faventem. Sed is primò nihil omninò de his apud

(*a*) De Synod.

(*b*) Sozom hiſt. Eccl. lib. 2. c. 25. p. 763.

(*c*) Socrat. l. 1. c. 19. p. 481. Theodoret. lib. 2. cap. 3. p. 628. Politia & Acta S. Metroph. in Biblioth. Phot. Cod. 256. pag gina 1414. Rufin. lib. 1. c. 11.

apud Sororem Principis aperire auſus; ubi verò multa familiaritas copiam tribuit, ille Euſebii Nicomedienſis & neceſſariorum ejus impulſu, paulatim cæpit ſermonem aſpergere, & verba cùm muliere de Ario miſcere: ei nimirum à Synodo injuriam factam eſſe dicit: illum non ita ſentire, ſicut fama de eo loquebatur. Invidiam Ario eſſe generatam, & pro ſimultatibus privatis Epiſcopum ſuum Alexandrum rem contentiosè exagitâſſe, æmulationis ſtimulo confixum, quòd Arius apud plebem ſatis charus haberetur. Hæc atque hujuſmodi alia frequentiùs ſuggerens, animos Conſtantiæ ſuos efficit, & (*a*) *Arius, ut Orbem deciperet, Sororem Principis antè decepit*.

XXVIII. Huic Conſtantiæ, Frater ejus Conſtantinus Imperator multo omnium Illuſtriſſimus, poſt mortem Licinii, viri ejus impii, omni curâ ac ſtudiô proſpexit, eamque ex viduitate nihil incommodi capere paſſus eſt, quin etiam cùm fortè fortuna in gravem morbum incidit, Imperator percrebrò eam ægrotantem inviſit: neque ullum officii genus, quod ad eam curandam ſpectabat, prætermiſit. Cùm autem mulier morbo graviùs affligeretur, & nihil præter, mortem expectaret, ea verò, quæ à Presbytero illo audierat hactenùs (*b*) *Imperatori dicere neutiquam auſa eſt*, jam obitura Presbyterum illum accerſi jubet, ejus ſtudium, pietatem & benevolentiam ergà Imperium prædicat, Imperatoremque ſupplex orat, extremam gratiam depoſcens, ut ei providere velit, in familiaritatem reciperet, & quæ ſibi ab eo pro ſpe, & ſalute ſuggererentur, audiret; ſe quidem jam ex hac luce diſcedentem nihil curare, pro fratris verò ſtatu eſſe ſolicitam, ne fortè pro innocentium pœnis, regni ſui pateretur excidium. Quod Conſtantinus & tùm ſe facturum pollicitus eſt, & poſteà promiſſum reipſa præſtitit: quippè conceſſit Presbytero, ut ejus conſuetudine, atque adeò ope pro arbitratu ſuo uteretur. Presbyter in intimis Imperatoris habetur. Ac pedetentim plùs authoritatis conſecutus, eundem ſermonem (quem antè ad Imperatoris Sororem habuit, illa autem Impera-

(*a*) S. Hier. adverſ. Pelag. ad Cteſiphon.

(*b*) Socrat. loc. cit.

tori dicere neutiquam auſa eſt) de Ario refert ad Imperatorem. (a) *Arium ſcilicet non in alia ſententia eſſe, quàm quæ fuiſſet à Concilio confirmata: Etſi in ejus conſpectum venire permitteretur, Concilii Decretis planè aſſenſurum, atque eum ſinè cauſa inſimulatum fuiſſe. Nova admodùm & peregrina videbantur Imperatori, quæ erant à Præsbytero commemorata. Ille igitur: Si (inquit) Arius cum Concilio conſentiat, & in eadem ſententia ſit, non modò eum in conſpectum meum venire patiar, verùm etiam honorificè Alexandriam dimittam.* Hæc locutus, confeſtim ſcripſit literas, & Arium Conſtantinopolim accerſit.

(a) Socrat. ibid.

XXIX. Intereà dum hæc aguntur, (b) Epiſcopus ille egregius Alexander, qui tàm ſtrenuè contrà Arii blaſphemiam decertaverat, quinque menſes poſt Concilium Nicææ celebratum, finem vivendi fecit, & Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopatum capeſſit Athanaſius ejus Eccleſiæ Diaconus An. 326. Arius ad literas Imperatoris Conſtantinopolim adventat, quo Euzojus ab Eccleſia Alexandrina pariter ejectus Diaconus eum comitatus eſt. Imperator illos ſuo dignatur aſpectu: rogat, (c) *utrum fidei Concilii Nicæni aſſentirent?* Cui cum ab ſe aſſenſum eſſe reſponderent, Imperator jubet, ut abſque mora fidem ſuam ſcriptis mandarent. Illi libellum conficiunt, ſed toti ad fraudes concinnandas compoſiti, formulam fidei Catholicam in ſpeciem, æquivocam Imperatori afferunt, crederequc ſe (d) *ſicut Univerſa Catholica Eccleſia, & ſcripturæ docent*, profitentes. Et ad hunc modum cùm Arius Imperatori perſuaſiſſet, poſt tres annos à celebratione Concilii Nicæni necdum completos, Arius ipſe ac etiam duo Epiſcopi Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus, juſſu Conſtantini ab exilio fuere revocati.

(b) Theodoret. lib. 1. c. 26. p. 613.

(c) Socrat. l. 1. cap. 19.

(d) Apud Socr. ibid. p. 422.

XXX. Ario, obtenta ab Imperatore facultate Alexandriam redeundi, Athanaſius Patriarcha Alexandriam reverſo ſe tanquàm murum æneum oppoſuit, nec Imperatoris litteris, quibus ipſi, & depoſitionem, & exilium minabatur, niſi Arium in Eccleſiam admitteret, flecti unquàm potuit invictæ ille Conſtantiæ Præſul, & Arianorum Malleus. (e) Ea Athanaſii Conſtan-

(e) Idem Socrat. ibid.

ſtantiæ exaſperati Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis, & alii Arii defenſores, qui offenſum Imperatoris habebant animum, opportunum nunc ſibi tempus oblatum putantes, tumultuosè laborabant apud Imperatorem, ut Athanaſium de Epiſcopatus dignitate deturbaret. Sic enim ſperabant fore, ſi Athanaſius de medio removeretur, ut Arii regnaret opinio. Quare contrà illum quaſi aciem inſtruunt, & quoſdam è ſecta Meletiana mercede conducunt, variaque crimina Athanaſio obiicienda curant. Ac primùm criminationem confingunt, quòd Athanaſius præcepiſſet Aegiptiis, ut veſtem lineam Eccleſiæ Alexandrinæ pro tributo penſitarent. Sed hoc falſum crimen in Athanaſium conjectum, Alypius, & Macarius Præſbyteri Eccleſiæ Alexandrinæ, qui tùm fortè fortuna Nicomediæ erant, prorſus reſtinxerunt, Imperatoremque docuerunt, allata contrà Athanaſium perſpicuè falſa eſſe. Quapropter Imperator per litteras, ejus accuſatores graviter reprehendit: rogat Athanaſium, ut ad ſe veniat. Verum Euſebius cum ſuis, priùs quam adventaret, alterum crimen priori attexit, idque priore multò gravius: Athanaſium ſcilicet Imperatoris Edictis per inſidias obſiſtere molientem, & Phylumeno cuidam ſcrinium auro refertum miſiſſe. Sed cùm Imperator Nicomediæ de iſto crimine cognoviſſet, Athanaſiumque innocentem comperiſſet, honorificè dimittit: atque ideò Eccleſiæ Alexandrinæ ſcribit, eorum Epiſcopum falſo in crimen fuiſſe vocatum.

XXXI. (*a*) Factio Euſebiana contrà S. Athanaſium nihil proficiens tandem An. 335. Synodum Tyriam celebrat, in qua S. Præſulem Athanaſium, licèt innocentiam ſuam circà crimina ſibi falſo afficta de fracto Calice, de nece Arſenii, & de ſtupro Sole clariùs comprobaſſet, violatis omnibus æquitatis legibus, Sede Alexandrina depoſuerunt, & Arium cum ſuis receperunt.

(*a*) Vid. San. Athanaſ. Apolog. 2. Socrat. lib. 1. cap. 21. Sozom. lib. 2. cap. 24.

XXXII. Athanaſius ſe ad Imperatorem Conſtantinopolim confert, idque vehementius rogat, ut præſente Imperatore de injuria, quam paſſus fuerat, poſſet expoſtulare. Quod qui-

quidem cùm & Imperatori conſentaneum rationi videretur, Epiſcopos Conſtantinopolim convocat, quò & An. 336. Euſebius Nicomedienſis cum aliis venit, ſed neque de aliis Criminationibus in Athanaſium confictis ampliùs quæri permittunt, ſed ad aliud novum crimen confugiunt, commentum deferentes: (*a*) *Athanaſium ſcilicet minatum eſſe, ſe impediturum, quò minùs frumentum ex Alexandria in Patriam Cæſaris, nempe Conſtantinopolim, deveheretur, idque Epiſcopos Adamantium, Anubionem, Agathammonem, Arbetionem, & Petrum præſentes ex eo audiviſſe.* (*b*) Hæc accuſatio, quæ in reliquis omnibus majorem veritatis ſpeciem præferret, utpotè ad commovendum Imperatoris animum magis accommodata, & confirmata à teſtibus fide digniſſimis, iiſdemque Catholicis Epiſcopis, imò & defenſoribus aliàs Athanaſii, ex illis, qui in Tyrio Conciliabulo adverſus Euſebianos pro illo ſtetiſſent, atque viriliter egiſſent, hæc, inquam, accuſatio & nova Calumnia effecit, ut innocentiſſimus Athanaſius eâ oppreſſus, ab Epiſcopis in exilium actus ſit, quibus Imperator conſenſit, eum in Gallias mittit & Treverim Urbem incolere jubet. (*c*) *Non enim Parens Imperatorum* (Conſtantinus) *Sed horum* (Epiſcoporum) *calumniæ illum in exilium exterminarunt.*

(*a*) S. Athanaſ. cit. Apolog. 2.

(*b*) Vid. Baron. ad Ann. 336. n. 9.

(*c*) Ep. Synod. Alexand. apud. Athanaſ. cit. Apolog. 2.

XXXIII. (*d*) Dum hæc Conſtantinopoli geruntur, & Arius cum ſuis Alexandriam annô præterito reverſus, eam Civitatem univerſam de integro in magnas turbas conjeciſſet, Populus Alexandrinus acerbè, & graviter tulit, tum quòd Arius cum ſuis redierat; tum quod ſignificatum erat Athanaſium ſuum Epiſcopum in exilium ejectum eſſe. Ubi autem Imperator acceperat de perverſa Arii mente, & inſtituto, eum rursùm Conſtantinopolim accerſi jubet, rationem de tumultu & ſeditione, quam concitare aggreſſus erat, redditurum, præſentibus adhuc Euſebianis, & Sycophantis illis Epiſcopis Arii fautoribus. Eô tempore Alexander, qui Metrophani in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſucceſſerat, illi Eccleſię præfuit, qui contrà Arium ſe virum valde pium, & Religioſum oſtendit. Arius cùm veniſſet Conſtantinopolim, ſtipatum Euſebia-

(*d*) Socrat. l. 1. c. 25.

bianis ingredientem ad ſe Imperator interrogavit: (*c*) *an fidem Eccleſiæ Catholicæ ſervaret? ille autem ſe rectè credere jure jurando affirmavit, ſuppreſſis iis ob quę ab Eccleſia ejectus erat per Alexandrum Pontificem; adductis in ſpeciem verbis ſcripturæ. Illum igitur ità juratum, ſe nihil eorum, ob quę ab Alexandro ejectus erat, feciſſe, abſolvit Imperator eum his verbis: Si recta eſt tua fides, benè juraſti: Si autem impia eſt, & tamen juraſti; Deus te pro juramento condemnet.* (*a*) Imperator enim Arii liberam Fidei Catholicæ Confeſſionem admiratus, illum ad jus jurandum adegit: quòd autem ille ſimulatè, & fallaciter præſtitit, ſuam ipſius opinionem in charta conſcriptam ſub ala geſtans. Imperator illi fidem adhibens, dat mandatum Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolis, ut in communionem recipiatur, quem mox digreſſum à Principe voluerunt Euſebiani ſoſolita ſua vi in Eccleſiam introducere. Sed contradicebat Conſtantinopolitanus Epiſcopus beatus Alexander; non debere inquiens, hæreſis inventorem in communionem recipi. Ibi jam minabundi Euſebiani, quemadmodum inquiunt, eum, vobis invitis, curavimus ab Imperatore evocari; ita craſtino die, etiam ſi vobis minimè ex ſententia ſit, in communionem Eccleſiæ adducemus. Sabbatum autem erat, cùm hæc loquerentur. Quibus auditis, Alexander magno cum mœrore Eccleſiam intravit, ad altare progreſſus humi coram Sacra menſæ ſe in faciem proſtravit, & porrectis ad Deum manibus lamentatus eſt, orans, & opem implorans: *Si Arius craſtinâ die in Synaxin introducetur; nunc dimittas, quæſo, ſervum tuum, Domine; & non pium cum impio perdas. Sin autem Eccleſiæ tuæ parces (ſcio autem quod parces) reſpice in verba Euſebii, neque des in exitium & vituperiū ſortem tuam; & tolle Arium, ne eo recepto in Eccleſiam, videatur ſimul cum eo hæreſis recipi; neve deinde impietas pro pietate habeatur.* Hæc precatus Epiſcopus, plurimum cogitabundus, & anxius, inde receſſit. Res accidit horenda, & planè incredibilis.

XXXIV. (*b*) Poſtridie ejus diei expectabat Arius ſe in Eccleſiæ Conventum & Communionem receptum iri. Poſtquam enim aula Imperatoris egreſſus eſt, Euſebii fautoribus ſtipatus

(*c*) S. Athanaſ. ad Serapionem.

(*a*) Socrat. ibid.

(*b*) Socrat. loc. cit. Conſ. Athanaſ. cit. Epiſt. ad Serap. Gegor. Naz. in laud. Athan. Ambroſ. de fid. ad Gratian. l. 1. c. 9. Gaudent. Bibl. SS. Pat. t. 7.

tus, magna cum celebritate & pompa per mediam urbem incedit. Simulatque forum Conſtantini [ſic enim eſt appellatum] appropinquaverat, in quo Columna ex Porphyrite locata eſt, timor ex Conſcientia ſceleris exortus Arium opprimit, cujus vi laxatur alvus: rogat, utrum latrinæ eſſent in proximo, cùm ponè forum Conſtantini unas eſſe didiciſſet, rectà eo ſe confert. Hominem igitur animi defectio occupat: ac ſimul cum excrementis anus ſubitò delabitur: magna ſanguinis copia ſequitur: viſcera tenuia pariter effluunt, ſanguis, cum ipſo ſplene & jecore effunditur: mortem continuò oppetit. Hac re geſta, ingens terror & exanimatio Euſebianæ factioni, quæ ſocium conjurationis ſepelivit, incuſſa eſt. Fama rei non ſolum per totam Civitatem, ſed etiam, per Univerſum propè dixerim Orbem terrarum permanavit. Alexander, gaudente Eccleſiâ cum pietate & ſana fide communionem celebravit unà cum omnibus fratribus, Deum, gratias agendo, magnoperè glorificans, non quòd de hominis morte lætaretur, ſed quòd ea res humana judicia ſuperaverit, & ipſe Dominus Iudicem ſe præbens, minis Euſebii, & Alexandri precibus, Arianam hæreſin condemnaverit, oſtendens eam indignam eſſe Eccleſiæ communione (a)*Imperator verò hac ratione fidei Chriſtianæ firmius adhæſit: fidem Concilii Nicæni auctoritate & nutu divino re vera confirmatam aſſeruit: & propterea illo exitu Arii magnopere lætatus eſt.*

(a) Socrat. Conf. Gelaſ. Cyzicen. apud Phot. Bibliot. Cod. 88. p. 106.

His breviter enarratis, quæro per parentheſin Euſebiane, quid tibi videtur de fide Imperatoris Conſtantini Magni. Eſtne credibile, prout aliqui volunt, eum aliquando, in fide vacillaſſe? vel faviſſe Arianis in rebus fidei?

XXXV. Euſeb. Abſit, ut ſanæ mentis mortalium quiſpiam hoc credat. Ex paucis enim iiſque certiſſimis argumentis, hactenùs breviter recenſitis, integerrima Conſtantini fides Orthodoxa manifeſtè apparet, adeò, ut ne ſomniare quidem aliquis nequeat, vacillaſſe eum aliquando in fide. Neque ea, quæ ipſum inter & S. Athanaſium contigerunt, fidei eius derogant, quippè ea minimè ad fidem ſpectant, quia in cauſa

Atha-

Athanaſii non Imperator noſter, ſed Epiſcopi judices erant; quos ille benè putabat Orthodoxos, & rationem concordiæ inter eos habens, illis in rebus forenſibus & ad fidem minimè ſpectantibus, ſubdolè & calumniosè judicantibus, aſſenſum præbens, Athanaſium miſit in Gallias. Nec Ario ob ſuam impietatem faviſſe dici poteſt. Arii namque juramentô firmata fidei probatio, quam Conſtantinus ab eo exegit, eſt Noſtri Principis fidei Nicænæ aperta teſtatio, ſuæque rectæ mentis declaratio. Nec in Euſebianos propter fidem propenſior videri debet, quod eorum interventu Arium in Communionem recipi mandaverit, hoc enim rationi conſentaneum ipſi videri potuit, qui ſic rectè judicare putabat Epiſcopos. Cur illis reſtitiſſet, qui (*a*) *Athanaſium in Gallias ad tempus amandavit, quo liber eſſet ab eorum crudelitate, qui illi per inſidias imminebant?* (*a*) S. Athanaſ. ad Solitar.

XXXVI. Silvest. Rectè judicaſti. Arii ſiquidem tempore nihil unquam mutire auſi ſunt Ariani in fidem Nicænam, minùs (*b*) *palàm denegare filium Patri Conſubſtantialem eſſe, pro certò enim ſciebant Imperatorem ità ſentire.* Et licèt quandoque *Arium ſub oculos ſuos admiſit; eum tamen*, ait (*c*) S. Athanaſius, *cùm, perjurum, ac proindè effuſis viſceribus diſruptum jacere cognoviſſet, nullâ benevolentiâ proſecutus eſt, ſed eum, re cognitâ, damnatum, & pro hæretico habuit.* Quinetiam Euſebianos Arii fautores magnoperè averſatus eſt, quod inde patet, quod (*d*) *illi quidem non perſuaſum eſt ab Euſebianis, ut in Athanaſii locum Epiſcopum, quem ipſi poſtulabant, ſummitteret: immò eos, qui id moliebantur, compreſſit, & eam rem ipſam conantes gravibus minis deterruit.* Iſta hactenùs per parentheſin.

(*b*) Sozom. lib. 2. c. 30. & lib. 3. c. 1.

(*c*) Epiſt. ad Solitar.

(*d*) S. Athanaſ. in ead. epiſt. ad Solitar.

XXXVII. Poſt fœdum Arii exitum Presbyter ille, cujus n. XXVII. & ſeqq. memini, qui per Conſtantiam Conſtantini M. Sororem Imperatori familiaris factus eſt, ut antè, perpetuò Conſtantino adhæſit, ſed non niſi ſub pallio Catholico & ſub tegumento Ovis Lupus; cui ideó conceſſum erat, ut Imperatoris conſuetudine, atque adeò ope pro arbitratu ſuo uteretur. (*e*) *At presbyter, licet in maximo bonore apud Impera-* (*e*) Theodoret. lib. 2. c. 3.

torem eſſet, tamen cùm videret Imperatoris animum de Religionis doctrina confirmatum, ſuæ pravitatis morbum neutiquam ei aperire auſus eſt. Cumque anno ſequenti poſt Arii horrendam mortem, An. ſcilicet Chr. 337. Conſtantinus M. Achyrone Villâ Nicomedienſi extremum diem obiret, hic Presbyter adfuit, de quo conſtat, ſolum eum ac unicum notorium nominatumque teſtem eſſe oculatum omnium eorum, quæ circà mortem Conſtantini, ac ſignanter, circà Baptiſmum, ut credis, ipſi tunc temporis collatum, Nicomediæ contigerunt.

Euseb. Quomodò hoc tuum aſſertum probas?

XXXVIII. Silvest. Probatur hoc multorum teſtimoniis, ſimulatque oſtenditur, quam ſubdolus & fraudulentus (a) Theodoret. loc. cit. fuerit hic Presbyter. (a) *Poſtquam Conſtantinus*, inquit Theodoretus, *ad regnum immortale migraret, & regnum imperiumque hoc caducum filiis teſtamento diſtribuerat, cùm nemo illorum ei morienti adeſſet, iſti ſoli presbytero teſtamentum concredidit, juſſitque ut illud Conſtantio traderetur.* Eadem (b) Lib. 1. c. ult. (c) L. 2. c. 32. ſcribunt (b) Socrates, & (c) Sozomenus, quorum poſterior ſimul addit, quòd Conſtantinus ante mortem *Imperium filiis ſuis Cæſaribus diſtribuiſſet, & partem illius quę vergit ad occaſum Solis Conſtantino & Conſtanti, partem autem ad Orientem ſpectantem Conſtantio aſſignaſſet.* Quod ad ipſam Imperii diviſionem poſt mortem Conſtantini ſpectat, Sozomeno con- (d) Lib. 2. ſentiunt quoque alii Auctores (d) Zoſimus: *Primùm*, inquit, *nationes inter ſe partiebantur: & Conſtantinus quidem natu maximus cum minimo natu Conſtante omnia trans alpes ſita, & Italiam & Illyricum ſortitus eſt, pręterea Ponto Euxino finitima, & Africę quicquid ad Carthaginem pertinet. Conſtantio datum eſt quicquid eſſet in Aſia, & Oriente, & Ægy-* (e) In Conſtantino. *pto.* (e) Victor ſic inter tres fratres ſcribit Imperium eſſe diviſſum, nempe *accepiſſe Conſtantinum cunctas trans Alpes regiones, Conſtantium à freto Propontidis Aſiam & Orientem; Conſtantem Illyricum, Italiamque & Africam, Dalmatiam* (f) Annal. tom. 3. *Thraciam, Macedoniamque, & Achajam.* (f) Zonaras: *Inter*

ter tres illius filios diviſum Imperium, vel ab ipſo Conſtantino, ut quidam ſcribunt, vel eo defuncto ex ipſorum conſenſu in hunc modum: Conſtanti tributam eſſe Italiam & Romam ipſam, Africam, Siciliam cum reliquis Inſulis, atque etiam Illyricum, Macedoniam, & cum Achaja Peloponneſum: Conſtantino Alpes Cottias cum Galliis, & tractum Pyrenęi uſque ad Mauritaniam Oceani anguſto freto diremptam ab Hiſpaniis: Conſtantio ea obveniſſe quæ in Orientali parte Romanę ditionis erant, & Thraciam cum Urbe Paterna (a) Rufinus ſingula, quæ ad Conſtantini M. teſtamentum & Imperii diviſionem inter tres liberos ejus pertinent, hiſce perſtingit: *Venerabilis Auguſtus Conſtantinus in Suburbana Villa Nicomedię trigeſimo & primo Imperii ſui anno defunctus eſt, liberis de ſucceſſione Romani Orbis teſtamento hęredibus ſcriptis. Quo in tempore, quoniam quidem Conſtantius, cui Orientis regnum decreverat, pręſens non erat, dicitur ſecretò accerſiens Presbyterum, quem à Sorore commendatum ſuprà diximus, & exindè familiaritèr habitum, tradidiſſe ei teſtamentum quod ſcripſerat, & obteſtatus ſub Sacramento, ne ulli, niſi Conſtantio, cùm veniſſet, in manus traderet. Cui etiam quod Eunuchi qui erant in Palatio favebant, arte, judicio de Imperatoris morte ſuppreſſo uſque ad Conſtantii pręſentiam, multis nova tentantibus oppreſſis, res tutę integręque remanſerunt. Cùm verò Conſtantius affuiſſet, depoſitum Presbyter reſtituit.*

(a) Lib. 1. c. 11.

XXXIX. Verùm enim verò, licèt ea, quæ iſti Auctores de Presbytero, deque teſtamento ipſi concredito ſcribunt, veriſſima ſint, falſa tamen ea ſunt, quæ ipſi de Imperii diviſione inter liberos Conſtantini tradunt, eam videlicet ità à Patre fuiſſe conſtitutam, prout factum eſt. Scribunt iſti, prout diviſio notoriè facta eſt ab executione, non tamen prout eam teſtator inſtituerat. Haud omnia ſanctè, ritèque peracta poſt mortem Conſtantini fuiſſe ab illo presbytero in Villa Nicomedienſi, ſatis indicat Rufinus, dicens: à presbytero faventibus ipſi Eunuchis *arte* indicium de Imperatoris morte fuiſſe ſuppreſſum uſque ad Conſtantii præſentiam. Unde mihi nul-

Digitized by Google

lum dubium, quin presbyter ille de conſilio Euſebii Loci Epiſcopi, Imperii hæredes inſtituerit, non ut Pater Conſtantinus, ſed ut ipſe quidem voluit. Siquidem non Conſtantium ſecundo genitum, ſed Conſtantinum natu maximum inter fratres, Orientis & Urbis Paternæ Conſtantinopolis, Pater Conſtantinus M. ſcripſit hæredem.

Euseb. Non crediderim presbyterum talia præſumpſiſſe, tantùmque eum, Sacramentô obſtrictum, extitiſſe proditorem.

XL. Silvest. Nefas omninò videtur, talia de presbytero crimina prodere. Stupenda & planè execrabilis res! Romanum Imperium, tanta ſanguinis profuſione, tot tantiſque præliis partiſque victoriis à Conſtantino M. in priſtinum florentem Statum reſtitutum, tantâ Patris ſtudiô, curâ, ac ſolicitudine auctum, conſervatum, ac tandem filiis ſuis Principibus, ultimâ ſua voluntate partitum, & in omni, exoptataque pace relictum, dicere, non à Patre Conſtantino M. ſed à quodam presbytero fuiſſe diviſum, & Principes filios ab eo ſcriptos hæredes; illiſque Cæſaribus, mox verò poſt mortem Patris renunciatis Auguſtis, à Presbytero aſſignatas, diſtributaſque eſſe Provincias & Nationes. Adeò ut alibi (a) Claudianus, hîc cum eodem exclamo:

(a) Lib. 2. in Rufin.

Heu heu, quam brevibus pereunt ingentia cauſis.
Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto
Servatum, quod mille Ducum peperere labores.
Quod tantis Romana manus contexuit annis.
Proditor unus iners anguſto tempore vertit.

Euseb. Eſt ne verum hoc, quod memoras?

XLI. Silvest. Auſculta parumper, & clarè perſpicies presbyteri hujus proditionem ex Actis ſeu (b) Politia SS. Patrum Metrophanis, & Alexandri C Politanorum Epiſcoporum, ubi hæc leguntur: *Paulò poſt Imperator* (Conſtantinus) *caducam hanc vitam cum immortali commutavit, cum annos triginta, & unum imperaſſet, ſexaginta quinque ipſos vixiſſet.*

(b) Apud Phot. Bibliot. Græc. Lat. Cod. 256. pag. 1415.

Mo-

Moriens autem Sacerdoti hæretico teſtamentum committit, mandans id tradi CONSTANTINO filio, quem teſtamenti tabulis Paternæ ſortis, & Imperii ſucceſſorem, Imperatoremque deſignabat. Sacerdos neque Deo, nec hominibus ſervans fidem, dat occultè teſtamentum Conſtantio, & ſimul proditor Patris, & Teſtamenti, & hæreditatis filii apparuit. Adjuvabat, & in ea proditione, & Euſebius impius Epiſcopus, & alii nonnulli, & impietatis, & ſemiviri Sodales. Tradit ille Sacerdos Conſtantio commendatum ſibi teſtamentum, & infidelitatis ſuæ ergà homines petit mercedem à Conſtantio, proditionem nimirum ſinceræ fidei præmio poſtulans, & Euſebium Nicomediæ Epiſcopum Socium adjungit. Hæc in citatis Actis; quæ autem ſubjungo in (*a*) Excerptis ex Vita S. Athanaſii referuntur: *Conſtantinus finem vivendi fecit in quodam Suburbio Nicomediæ, triginta uno annis in regno conſumptis, totum vitæ ejus tempus ſexaginta quinque annis completum. Reliquit autem teſtamentum cuidam Sacerdoti Ariano, præcipiens illud CONSTANTINO cognomini reddi. Hoc enim teſtamento paternum pro Occidente, Orientis Imperium pro hæreditate obveniebat. Sed fraudulentus ille, multis interrogationibus, an Imperator teſtamentum feciſſet, factum eſſe negavit, habens doli mali adjutores Eunuchos. Paulò poſt venit ad eum Conſtantius, cui Presbyter occultè Patris teſtamentum exhibet, unam gratiam hanc poſtulans, ut cum Ario ſentiret. Euſebiani per hunc Presbyterum aditum ad Conſtantium adepti, Euſebiumque Præpoſitum* (Eunuchorum) *& per illum reliquos Eunuchos; quin etiam Reginam ad Arianam hæreſin convertunt, & Arii res rursùm confirmantur.* (*b*) Philoſtorgius ſcripſit, Conſtantinum teſtamenti tabulas Euſebio Nicomedienſi tradi juſſiſſe. At enim hoc teſtimonium non tantùm ſuſpectum, ſed planè falſum eſt, utpote datum à ſcriptore, Euſebio Nicomedienſi nimium devoto; quod & facilè ex Rufino, Socrate, & aliis hactenus productis teſtimoniis refellitur. Verumtamen cùm Acta Metrophanis clarè loquantur, presbyterum ſibi adjunxiſſe proditionis ſuæ Socium Euſebium impium Epiſcopum, & Philoſtorgius occaſione teſtamenti de eodem

(*a*) In ead. Phot. Biblioth. p. 1434.

(*b*) Hiſt. Eccl. l. 2. c. 17. p. 22.

(*a*) in Diſſert. ad C. 17. Philoſtrog. p. 89.

eodem Euſebio memoret, vides (inquit (*a*) Gothofredus) partes aliquas Euſebii quoque Nicomedienſis fuiſſe circa teſtamentum Conſtantini. Ex quibus nunc tibi ſatis liquet proditio illius Presbyteri, eumque fraudulenter ſatis egiſſe cum Imperatoris teſtamento, Conſtantinum nimirum primogenitum expungendo; & Conſtantium natu minorem inſtituendo hæredem Orientis.

XLII. Euseb. Non video rationem, cur magis credamus Actis Metrophanis, & Excerptis S. Athanaſii, quæ Conſtantinum Orientis hæredem à Patre inſtitutum tradunt, quàm aliis fide dignis ſcriptoribus, qui hanc inſtitutionem de Conſtantio aſſeverant. Nam ut ait Euſebius in Oratione de laudibus Conſtantini: *filius ejus natu maximus, qui Patris nomine eſt appellatus, primo regni decennio confecto* (ideſt An. 316.) *Socius Imperii cum Patre renunciatus eſt*, atque tunc jam deſignatus hæres occidentis illis partibus, vivente adhuc Conſtantino Patre, imperitabat, quod ex (*b*) Anonymo Valeſii colligo, qui dicit: *Gallias Conſtantinus minor regebat, Orientem Conſtantius*; idque una cum Patre; & hoc quidem certum eſt, quod ipſe Conſtantinus Junior, in (*c*) Epiſtola ad Populum Alexandrinum, propter eorum Epiſcopum S. Athanaſium data confirmat, ſcribens: *Athanaſius à Patre meo in Galliam ad tempus relegatus ....juſſuſque ut ſub mea ditione* (Treveri in Galliis) *vitam degat.*

(*b*) p. 476. n. 30.

(*c*) Apud Sozom. lib. 2. c. 2. p. 781. Theodoret. l. 2. c. 2. p. 618.

XLIII. Silvest. Optimè ratiocinaris. Certum namque eſt, vivente Conſtantino Aug. Conſtantinum Cæſarem, ſeu Juniorem, occidenti atque Galliis: Conſtantium verò Orienti cum Patre imperitaſſe. Verùm aliud diſpoſuit Pater ultima ſua voluntate paulò ante mortem. Cùm etenim benè ſcias, teſtamentum eſſe voluntatis juſtam ſententiam de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, cum directa hæredis inſtitutione, res ipſa loquitur, & patet, Conſtantinum Patrem priorem ſuam voluntatem, & diſpoſitionem immutaſſe, atque ideò teſtamentum condidiſſe, quo aliam ac quidem ultimam ſuam voluntatem, poſt mortem exequendam declararet. Ad quid

enim

enim voluntatis ſuæ teſtamentô tuliſſet ſententiam, ſi priorem voluntatem diſpoſitionemque ratam habuiſſet? Hanc autem ultimam, & à priore diſtinctam Patris diſpoſitionem expreſsè edocent Acta Metrophanis, ubi dicitur, Conſtantino Juniori *teſtamentô paternum pro occidente, Orientis Imperium pro hæreditate obveniebat*; ſimulatque Paternæ Urbi Conſtantinopoli præfectus eſt, ut teſtatur (*a*) Abulpharagius his verbis: *Conſtantinus cùm Nicomediam perveniſſet, morte occupatus eſt, anno Alexandri ſexcenteſimo, quadrageſimo ſecundo, die Dominico, ante finitum Aiyar, octavo, annos natus ſexaginta quinque. Intereà dum morbo detineretur Imperium ſuum tribus filiis ſuis diviſit: natu maximum, ipſi cognominem CONSTANTINUM, Conſtantinopoli præficiens.*

(*a*) Hiſt. Univerſ. Dynaſt. 7. p. 86.

Euseb. Rogo te, dic, ſi lubet, quæ tandem eſt ratio, cur perfidus ille Sacerdos hæreticus, cum aliis ſibi adſcitis complicibus Arianis, magis Conſtantio, quàm Conſtantino faverit, ac ideò teſtamentum corruperit?

XLIV. Silvest. Ratio in promptu eſt. Conſtantinus Junior fautor, & Patronus erat Athanaſii, & oſor factionis Euſebianæ; Sed non item Conſtantius. Conſtantinus Junior Piiſſimi Patris Orthodoxi veſtigia premens, rectè cum Athanaſio contrà diabolicas Euſebianorum, Ariique Sectatorum machinationes ſentiebat, quæ etiam cauſa fuit, quòd, cùm Pater Conſtantinus Aug. id benè perſpectum haberet, idem Auguſtus Athanaſio Epiſcoporum calumniis oppreſſo, proſpiciens, eum non alio, niſi ad Principem filium Catholicum Treverim in Gallias miſerit, ubi tutus, & liber eſſet ab Arianorum inſidiis. Quod S. ipſe (*b*) Athanaſius perſpicuè declarat, dum dicit *Pater, nempè Conſtantinus, calumniâ Euſebianorum, Athanaſium in Gallias ad tempus amandavit, quo liber eſſet ab eorum crudelitate, qui illi per inſidias imminebant.* Ibi autem Athanaſium ſub Conſtantini Junioris tutella, ad tempus vitam degiſſe, paulò antè ex ejuſdem Conſtantini Epiſtola ad Alexandrinos, tu ipſe inſinuaſti.

(*b*) In Epiſt. ad Solitar.

XLV. Quid hic Conſtantinus Junior de Athanaſio deque

que ejus Calumniatoribus, perfidis Euſebianis, cēſuerit, ipſemet Populo Catholicæ Eccleſiæ Alexandrinæ, & Orbi Univerſo in citatâ à te Epiſtolâ apud Theodoretum & Sozomenum, paulò poſt mortem M. Conſtantini ſcriptâ, ſignificat, ſic exordiens: (a) *Veſtræ prudentiæ minimè obſcurum eſſe arbitror, quid cauſæ fuerit, cur ſacroſanctæ legis & doctrinæ Evangelicæ Interpres Athanaſius à Patre meo in Galliam relegatus ſit: ne ſcilicet per nefariam improborum quorundam perverſitatem (nam agreſtis infeſtorum & crudelium hoſtium immanitas ejus capiti periculum intenderat) vulnera planè inſanabilia ſuſtinere coactus fuiſſet. Quocircà ut hanc nequam hominum malitiam effugeret, ex illorum quaſi faucibus; qui ei ſtruebant inſidias, ereptus eſt; juſſuſque ut ſub mea ditione vitam degat, quo non aliter ac ſi in ea Civitate verſaretur, in qua ante hac vixerat, omnibus rebus ad vitam neceſſariis (licet ejus eximia virtus divina ope freta, graves aſperioris fortunæ ærumnas pro nihilo putet) abundare circumfluereque poſſit. Quamobrem cùm Pater meus Conſtantinus Auguſtus, dignus ſanè ob res præclarè geſtas, qui ſempiternæ memoriæ commendetur, haberet in animo, Epiſcopum illum ad propriam ſedem locumque veſtræ cum primis ſanctimoniæ gratia reſtituere: & morte, ut ſors humana fert, antè occupatus occumberet, quàm id, quod erat ſibi in optatis, explere poſſet: conſentaneum certè exiſtimavi, ut ipſe inſtitutum tam pii Imperatoris mihi exſequendum ſuſciperem. Quanta autem obſervantia, & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipſo, ſimulatque in veſtrum conſpectum venerit, facile intelligetis. Nec mirum ſanè, me iſtud humanitatis officium erga illum declaraſſe. Nam tum quædam veſtri deſiderii quaſi effigies tum gravis hominis perſona ante oculos mentis obverſata, animum meum ad hoc ipſum commovit, vehementerque cohortata eſt. Deus vos, fratres chariſſimi, ſua providentia diù ſervet incolumes.* Ubi Theodoretus ſubjungit: *Cum iſtis Conſtantini litteris S. Athanaſius redit Alexandriam. Quem omnes tum cives tum ruſtici, tum Nobiles tum plebeii, cupidè libenterque excipiunt; exceptis ſolum Arianis, quibus ejus reditus mole-*

(a) Theodoret. lib. 2. c. 2. p. 626. Sozom. lib. 2. c. 2. p. 781.

moleſtiæ & angori fuit. Data eſt hæc Epiſtola à Conſtantino Juniore (*a*) *Treveris*, *decimoquinta Kal. Julias* An. Chr. 338. annô proximô poſt mortem M. Conſtantini. Meminit earundem litterarum ipſe (*b*) Athanaſius, qui & eas recitaturus hæc præmittit: *Certè quidem Beatus Conſtantinus Minor memor ſcriptorum Patris ſui*, *dum nos Patriæ reſtitueret*, *in hæc verba Epiſtolam miſit*. Recitans eam poſteà ex integro. Quô Athanaſii teſtimoniô conſtat, eum per ſcriptam litteram à Conſtantino M. ante ſuam mortem, ad Conſtantinum filium Treverim miſſam, fuiſſe ex Galliis in Ægyptum Alexandriam revocatum, quam quidem Patris voluntatem poſt ejus obitum filius illicò executus, & Divinum Athanaſium, poſtquam biennio integro & menſibus quatuor in Urbe Treveris commoratus eſſet honorificè remiſit in Patriam.

(*a*) S. Athanaſ. Apolog. 2. vid. Baron. An. 338. n. 2.
(*b*) ibid.

XLV. Propenſum igitur in Athanaſium, averſumque in Euſebianos Conſtantini Junioris animum, confeſtim poſt obitum Patris adèo publicis ſcriptis manifeſtatum, optimè perſpectum habuiſſe Arii Sectatores & factionem Euſebianam, etiam antè mortem Patris, ac præſertim cùm teſtamentum conderet, ob eamque cauſam Conſtantino Minori neutiquam faviſſe, adlaboraſſeque quantùm poſſibile, ut eum paternâ Imperii Orientalis, Regiæque Urbis Conſtantinopolis hæreditate exuerent, & à ſe longiſſimè repellerent, non eſt quod dubitemus.

XLVI. Euseb. Videtur hoc valdè probabile, Euſebianos ſcilicet ea de cauſa non voluiſſe favere Conſtantino Juniori, quòd propenſiorem eum in Athanaſium, eorum Malleum, haud ignorare poterant, prout ex tuis hactenùs enarratis utcumque colligo. Verùm cur magis faviſſent Ariani Conſtantio, nondum memoraſti, cujus rationem nunc quoque vellem, adferas.

XLVII. Silvest. Ratio hæc indè patet, quòd, cùm Conſtantius ſemper cum Patre in Oriente verſaretur, Euſebiani & præſertim eorum in Aula Conſtantini M. occultus rerum Curialis Præsbyter ille, levem atque ad omnem nutum

flexibilem Conſtantii animum benè noſcerent, facilè per eum ſe id conſecuturos ſperarent, de quo (*a*) *Summoperè laborarunt*, nempè, *ut Arii regnaret opinio*. Quare cùm Conſtantium perverſæ hujus opinionis haud invitum Patronum noverint, eum in Orientis Imperio ſtabilire contendebant, & Athanaſium, quem ſolum timebant, licèt ex Galliis reverſurum, novi denuò Imperatoris juſſu Sede Alexandrina pellendum arbitrabantur. Hæc & plura magis intelliges, ſi animum intendas tragediæ, quam presbyter ille, pariſque furfuris ſocii, defuncto Conſtantino Pio, ludere cæperunt. Theodoretus, poſteaquam de illo Sacerdote, ſibique concredito Conſtantioque extradito Pii Conſtantini teſtamento, narraſſet, ſubdit. (*b*) *Hac de cauſa igitur Presbyter, & notus Conſtantio .... perfamiliaris factus eſt juſſuſque ut crebrò ipſum adiret. Qui ubi inconſtantem Conſtantii mentem, eamque non aliter atque arundinem à contrariis ventis huc illucque agitatam facilè flecti vidit, confidenti animo bellum contrà Doctrinam Evangelicam ciere cæpit. Atque tempeſtatem, qua Eccleſiæ jactabantur, ſimulatè lamentatus, illius Authores eſſe dixit eos, qui vocem* ὁμοούσιον, *ideſt, Conſubſtantiale, minimè in ſcripturis repertam, Doctrinæ fidei adjeciſſent: hancque rem unam tum inter Sacerdotes, tum inter laicos non parum diſcordiæ proſeminaſſe. Deinde Athanaſium, & ejus Doctrinæ fautores inſimulare, parareque contrà eos inſidias aggreditur. Hoc adjutore uſi Euſebius, Theognis & Theodorus Perinthus .... frequenter admodùm, quoniam habitabant in proximo, in Imperatoris venêre conſpectum, reditumque Athanaſii ab exilio multorum malorum cauſam extitiſſe dixere: & non Ægyptum ſolum, verùm etiam Palæſtinam, Phœniciam, & alias finitimas gentes turbulentis illorum fluctibus graviter agitari. His & ſimilibus rationibus, cum levem in primis & flexibilem Conſtantii animum oppugnaſſent, perſuaſere ut Athanaſius Eccleſia pelleretur. Athanaſius autem, intellectis eorum inſidiis, clàm ſe ſubduxit Alexandria, & rectà in Occidentem contendit*; Juliumque Romanum Pontificem adit. (*c*) An. 340.

(*a*) Sozom. lib. 2. c. 1. p. 760.

(*b*) Theod. L. 2. c. 3. p. 629.

(*c*) Baron. An. 340. n. 4. Pag. Crit. an. eod. n. 2.

XLVIII.

XLVIII. His concinit. (*a*) Socrates: *Mortuo Imperatore*, inquit, *Conſtantino*, *Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicææ Epiſcopus, tempus opportunum ſe nactos arbitrati, omnes ſuos nervos contenderunt, ut fidem de Conſubſtantiali confirmatam exturbarent ab Eccleſia, Ariique opinionem in ejus Locum introducerent. Verum hoc ſe minimè conſequi & efficere poſſe intellexerunt, ſi Athanaſius rediret Alexandriam. Iſta quidem callidè aggreſſi ſunt ſubſidiis illius presbyteri, quem cauſam fuiſſe ante diximus, cur Arius eſſet revocatus, adjuti: Sed quemadmodum res confecta ſit, dicendum arbitror. Presbyter iſte teſtamentum & mandata quæ ab Imperatore jam mortuo acceperat, Conſtantio Imperatoris filio defert. Ille, ut intellexerat, hoc ipſum in teſtamento ſcriptum eſſe, quod ſibi erat maximè in optatis (teſtamento enim portium Imperii ad Orientem ſpectantium hæres inſtitutus fuit) preſbyterum in magno honore habere, multum illi tribuere cæpit libertatis: liberè, & audacter in regiam ingredi jubet. Quæ quidem libertas illi ab Imperatore conceſſa, tùm ad Uxoris Imperatoris, tùm ad Eunuchorum ejus familiaritatem aditum citò patefecit. Eodem tempore Eunuchus quidam, cui nomen erat Euſebius, primarius fuit Imperatoris Cubicularius. Hic presbyteri ſuaſu perverſæ Arii opinioni aſſenſit, reliquoſque Eunuchos in eandem induxit ſententiam. Quin etiam Imperatoris Conjux Eunuchorum & preſbyteri hortatu & conſilio, in Arii errorem prolapſa eſt. Paulo pòſt Imperator ipſe rem in quæſtionem vocavit: pedetentim paſſim vagari cæpit. Ac primùm inter Satellites, qui palatium frequentabant: deinde per multitudinis animos, quæ Urbem incolebat, pervadere. De opinione illa in ipſa regia, cubicularii Imperatoris cum mulierculis digladiantur: in ſingulis Urbis familiis litigioſa diſſerendi pugna fuit. Mali igitur illius contagio ad alias Provincias & Civitates celeriter permanavit: & controverſia, velut ſcintilla, ex parvis admodùm initiis exorta, audientium animos ad diſcordiam concitavit. Nam cuique cauſam tumultus ſciſcitanti, anſa ſtatim diſceptandi oblata eſt: & quiſque non modò de ea rogare, verùm etiam pugnaciter diſſere-*

(a) lib. 2. c. 2. p. 411.

Digitized by Google

re voluit. In contentionis procella tranquillus rerum ſtatus penitùs labefactatus eſt, & everſus. Hæc Socrates.

(a) lib. 2. c. 1. p. 780.

XLIX. (a) Sozomenus quoque hujus rei memor eſt. *Mortuô,* (inquit Conſtantinô) *doctrina Fidei à Concilio Nicæno ſtabilita, in controverſiam denuò vocatur. Nam hæc licèt non omnes approbaſſent, tamen dum vixit Conſtantinus, nemo eam apertè rejicere auſus eſt. At ut primùm exceſſit è vita complures qui etiam anteà de hac fide prodenda in ſuſpicionem venerant, ab ea penitùs deſciverunt. Omnium autem maximè Euſebius & Theognis, Epiſcopi Bithyniæ, ſummoperè laborarunt, ut Arii regnaret opinio. Quam rem facilè perfectum iri arbitrati ſunt, ſi modò Athanaſium reditu ab exilio intercluderent, alterumque ſuæ opinionis fautorem Eccleſiis Ægypti Epiſcopum præficerent. Atque iſta animo inſtituebant, adminiſtrum ſui conatus adepti presbyterum illum, qui temporibus Conſtantini author fuerat Arii ab exilio revocandi. Nam erat quoque Conſtantio Imperatori percharus, propterea quod ei Patris teſtamentum ſalvum tradiderat: quin etiam authoritatem ob ſuam in rebus gerendis fidelitatem nactus, in familiaritatem tùm Imperatricis, tùm Eunuchorum, qui Imperatoris Cubicularii erant, quique multum apud eum gratia valebant, ſe ſe immerſit. Eodem tempore Euſebius Imperatoris familiæ præfuit: qui cum eſſet opinionis Arianæ approbator, non Imperatricem ſolùm, ſed etiam aulicos permultos ad ſuam perduxit ſententiam. Hinc rurſus crebræ de fide diſceptationes privatim & publicè ſuſceptæ: ſimulque contumeliæ & ſimultates ortæ: deniquè res Theognidi & ſuis proceſſit ex ſententia.*

L. Cur ergò Præsbyter ille & Euſebiani magis Conſtantio ſecundo genito, quàm Conſtantino natu maximo faverint, eumque corruptô Patris teſtamentô hæredem Orientis inſtituerint, ſatis liquidò ex dictis patet, ex quibus cauſam ipſam, ſimulatque ipſum effectum perſpicis, quippè effectum hunc *ut Arii regnaret opinio*, Deo hominibuſque Fidem frangens Sacerdos, ſibi ſuiſque pro ſua proditione, à Conſtantio mercede conduxerat, *unam gratiam hanc poſtulans, ut cum Ario ſentiret,* LI.

Digitized by Google

LI. Igitur prodromis hiſce expeditis, ut ad ea, undè digreſſi ſumus revertamur, dico Sacerdotem hunc Arianum, præter Eunuchos, ſolùm ac unicum notorium nominatumque teſtem eſſe oculatum tui aſſerti, videlicèt Baptiſmi, Imperatori noſtro Conſtantino M. Achyrone Villâ Nicomediæ, in fine vitæ, ut credis, collati.

Euseb. Quiſnam fuit hic Presbyter? quod eſt nomen ejus?

Silvest. Nunc ſi placet, paululum requieſcamus. Satis in longum protraximus hodiernum colloquium: cumque ſe maximus æſtatis calor inſinuet, nos ipſi, quoniam id temporis eſt, valetudini demus operam.

COLLOQUIUM IV.

Quis Teſtis ocularis fictitii Conſtantiniani Baptiſmi Nicomedienſis, veriſimiliter demonſtratur.

EUSEB. Adeò me oblectat Sacræ Hiſtoriæ noſtræ notitia; ut noctu diùque ejus ſtudio totus incumbere vellem, teque audiendo libenter pernoctarem. Verùm, cùm ab ultimo noſtro colloquio variæ me inceſsêre cogitationes, eo quòd pro Euſebio Pamphili Baptiſmi Nicomedienſis Conſtantiniani teſte, alium quandoquidem teſtem oculatum, Presbyterum Arianum, producas, ſanè pergratum mihi facies, ſi ejus nomen atque alia de eo nunc velles exponere.

I. Silvest. Gelaſius Cyzicenus, apud (*a*) Photium, vocat hunc Presbyterum *Eudocium*. (*b*) Alexander Epiſcopus Alexandrinus in epiſtola ad Catholicos Eccleſiæ Miniſtros, numerat quendam, inter Arii primarios ſectatores, Eccleſiaſticum, vocans eum *Arium alterum*; cujus etiam meminit (*c*) Sulpicius Severus, agens *de duobus Ariis*, *acerrimis perfidiæ hujus* (Sectæ ſcilicèt Arianæ) *Auctoribus*; quem ſecundum Arium, ſeu Arianæ hæreſis Auctorem alterum (*d*) Sigonius exiſtimat fuiſ-

(*a*) Biblioth. Cod. LXXXVIII. p. 206.
(*b*) ap. Socrat. lib. I. c. 3. p. 392.
(*c*) Sac. hiſt. lib. 2. de hæreſ. Arian.
(*d*) in Not. ad illum Sulp. Sever. Loc.

(a) An. 337. n. 9.

(b) Diſſert. in cap. 17. Philoſtorg. p. 88.

fuiſſe illum Presbyterum. (a) Baronio videtur hic Presbyter *Acacius Luſcus*, qui in Sede Cæſarienſi Palæſtinæ Metropoli An. 340. Euſebio Pamphili ſucceſſit, magnoperè ad hoc ſuſpicandum perſuaſus rationibus, quas ibi allegat. Hunc *Acacium*, & non alium producit pro illo presbytero (b) Gothofredus, itâ ut accipit Baronius. Unde crediderim de alio hujus presbyteri nomine non conſtare, ſed, ut inquit Baronius, rem agi conjecturâ.

Euseb. Sed quem tu illum fuiſſe conjectas?

II. Silvestr. Si conjecturis (quæ non ſemper fallunt, & nonnunquam in obſcuris certa lumina reddunt) rem agere licet, Presbyterum illum non Eudocium, vel ut alii ſcribunt, *Eudoxium*, ſed potiùs *Acacium* re ac nomine fuiſſe arbitror. Quicquid enim hiſtoriæ Veterum de illo Presbytero tradunt, minimè omnium Eudoxio, ſed per omnia *Acacio* convenit. Dicam primùm breviter quis Eudoxius, poſtmodùm quis Acacius.

(c) Barôn. An. 311. n. 21. & An. 356. n. 123.

(d) Suidas. Socrat. lib. 2. c. 29. p. 458. & lib. 4. c. 7. p. 501.

III. (c) Eudoxius Cæſarii ſub Maximiano Martyris in Arabiſſo minoris Armeniæ degener filius, tempore Conſtantii Imperatoris Germaniciæ Urbis Syriæ ſceleſtiſſimus fuit Epiſcopus; quâ eadem tempeſtate, dum Ariana Secta in varias factiones divideretur, eam inprimis (d) *Aetius* Aurifaber, ex poſt autem à Leontio Epiſcopo Antiocheno ordinatus Diaconus, & *Eunomius* Aetii Scriba, & Diſcipulus, novis & planè execrandis erroribus auxerunt, à quibus peregregiis ſcilicèt Arianæ hæreſis reformatoribus, eorum Sectatores primùm *Aetiani*; poſteà verò ab ejus hæreſis promotore *Eunomiani*, cognominati ſunt; quorum blaſphemias autem & ipſi cæteroquin Arii primigeniam blaſphemiam rigoroſè propugnantes, ſummoperè exhorruerunt; aſſerentes ſolùm, Filium Æterno Patri conſimilem, non autem conſubſtantialem eſſe, ut in Concilio Nicæno definitum erat. Aetius verò, licet Arianam doctrinam tradebat; tamen à ſuis propter perplexitatem rationum, quas illi non intelligebant, hæreticus habebatur, & is, qui illis aſſentiretur; quòd enim alii affirmabant, hic

hic negavit, & in ſua ſcripta fidei formula Imperatori tradita, præter alia multa verba impia hæc poſuit: (a) *Quæ diſſimili ratione proferuntur, eâ ſunt eſſentiâ diſſimilia. At unus Deus Pater, ex quo omnia; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia; diſſimilem habent prolationem, nimirum, ex quo, & per quem: proindè Filius Patri diſſimilis eſt.* Quibus & aliis hujuſcemodi impietatibus plura Eunomius addidit, præſertim quæ ritum ſuſcipiendi & conferendi Baptiſmum, concernunt. Execrabili Aetio perfamiliaris factus eſt Eudoxius, de quo loquimur, Germaniciæ Epiſcopus, qui An. 354. quando Gallus Cæſar Conſtantii Imperatoris juſſu, prope Polam Iſtriæ, occiſus eſt, Epiſcopatu ſuo abdicatus, & ejuſdem Imperatoris mandatô cum Aetio in exilium miſſus eſt, non tamen Aetii hæreſis causâ, ſed (b) quòd conſilia cum Gallo Cæſare communicaſſent, ejuſque rebus faviſſent.

(a) apud Theodoret. lib. 2. c. 27.

(b) Niceph. l. 9. c. 19.

IV. Porrò Eudoxius paulò poſt revocatus exiliô, Sedi ſuæ reſtituitur, & in gratiam Imperatoris rediens, cum eodem atque in ejuſdem numeroſo comitatu Anno 356. Romam ſe contulit, ubi tertio Kal. Majas Imperator Conſtantius triumphum egit, de Magnentio tyranno extincto, cuius pompam (c) Ammianus Marcellinus deſcribit. Moritur tunc temporis Leontius Epiſcopus Antiochenus, & Eudoxius maturè properans in Orientem, cubiculariorum Imperatoris auxilio, derelictâ ſua Sede Germaniciæ, per dolum in Epiſcopatum Antiochiæ ſubrepſit, moliturque ut Aetium Diaconum Antiochenum, Hæreſiarcham impium, denuò reduceret, qui pulſus hactenus vixit in Ægypto. Quomodo tunc Imperator ab Eudoxio deluſus, & res ab eo callidè fuerint inſtitutæ, (d) Socrates narrat his verbis: *Cùm adhuc Romæ Conſtantius ageret Eudoxius Germaniciæ Syriæ Urbis Epiſcopus, qui tum Romæ aderat, auditâ Morte Leontii Epiſcopi Antiocheni, maturè ſibi in Orientem revertendum putat, agitque veteratoriè cum Imperatore, ut ſibi poteſtas ocyùs redeundi propterea fieret, quod Germanicia Civitas ipſius Conſolatione & ſubſidio magnoperè egere videretur. Imperator verò, qui minùs quid eſſet illi in* animo

(c) lib. 16.

(d) lib. 2. c. 26. p. 458. Vid. Theodoret. lib. 2. c. 25. p. 650.

animo præviderat, hominem dimittit. Iſte Cubiculariorum Imperatoris operam & auxilium nactus ſuâ ipſius Civitate derelictâ, per dolum in Epiſcopatum Antiochiæ ſubrepſit: moliturque ut Aetium in Eccleſiam denuò reducat; contenditque, ut Concilio Epiſcoporum convocato, illum ad Diaconatus gradum reſtituat. Verùm iſtud propterea neutiquam confici poterat, quod odium contrà Aetium conceptum plùs ad illum repellendum, quam ſtudium Eudoxii ad reſtituendum valeret. Compertus itaque Eudoxius, quòd palàm Aetii dogma foveat, quô aſſerebatur, Filium Patri ſubſtantiâ omninô fuiſſe diſſimilem; cùm alioqui cæteri Ariani, qui modeſtiores haberi vellent, licet negarent filium Patri Conſubſtantialem eſſe, tamen fuiſſe ſimilis ſubſtantiæ facilè concederent: orta eſt inter Eudoxium & alios Epiſcopos Arianos magna diſſenſio, reſiſtentibus illi inprimis Baſilio Ancyrano, atque Georgio Laodiceno, quorum poſterior eos nempe Aetium & Eudoxium, detulit ad Synodum Ancyranam: ex qua procuratum eſt, ut eadem hæreſis etiam in Conciliabulo Sirmienſi damnaretur, an. Chr. 357. (a) Nam Aetius ab Ægypto Antiochiam rediens ſecum Eunomium deduxit, quibus cum Eudoxius domûs & menſæ fuit particeps, ſeque Aetii fidei blaſphemiæ ſcribendæ ſocium præbuit. Litteras, quas dictus Georgius Epiſcopus Laodicenus, ad eos, qui An. 358. Ancyræ convenerant, adversùs Eudoxium dederat, recitat (b) Sozomenus, quæ ſic ſe habent: *Naufragium fidei, quod ab Aetio factum eſt, univerſam penè Antiochiam occupavit. Nam Eudoxius diſcipulos execrabilis Aetii, qui ſunt à vobis honoris Eccleſiaſtici gradibus dimoti, ad ſe adſcitos, in clerum adſcribit: & ipſum Aetium hæreticum habet in eorum numero, quos ſummo honore proſequitur. Quare ſubvenite huic tam illuſtri Civitati, ne ejus naufragio totus orbis terrarum etiam evertatur. Atque vos, qui jam ſitis in unum coacti, unà cum cæteris qui ad vos fortè ſint conventuri, ſubſcriptiones ab aliis quoque Epiſcopis exigite, ad eum finem, uti Eudoxius tum ipſum Aetium ejiciat Eccleſia Antiochena, & diſcipulos ejus in Clerum delectos indè aman-*

(a) Theodoret. lib. 2. c. 27.

(b) lib. 4. c. 12. p. 810. ſeq.

amandet. Quòd ſi pergat cum Aetio filium Patri diſſimilem vocare, & hos qui iſtud dicere audeant, illis qui contradicant, anteponere, actum eſt penitus, ut ante dixi, de Eccleſia Antiochena. Hæc Georgius Laodicenus Arianorum Epiſcopus.

V. (a) Epiſcopi Ancyræ congregati, ſimul ut Eudoxii fidei innovandæ ſtudium exploratè perſpectum erat, ex decretis de doctrina fidei litteris proditis, quæ unà cum Epiſcopis, in quorum congreſſum & colloquium Antiochiæ venerat, ſanciviſſet, rem Imperatori ſignificant: poſtulantque aliquam fieri providentiam. Deliguntur autem ad Legationem apud Imperatorem obeundam, Baſilius ipſe Epiſcopus Ancyræ cum aliis, qui ut primùm veniunt ad Aulam Imperatoris, offendunt ibi Aſphalium, presbyterum Antiochiæ, hæreſis Ætii fautorem maximum, qui jam res pro quibus venerat confeciſſet: eſſetque modo cum Litteris, quas ab Imperatore accepiſſet, inde deceſſurus Verùm hæreſi per legatos qui Ancyra venerant, indicata, Conſtantius Eudoxium condemnat: recipit denuò ab Aſphalio ſuam, quam ei dederat, Epiſtolam, & pro ea ad Antiochenos adverſus Eudoxium aliam ſcribit, præcipiens ut Eudoxius, & qui illum ſequebantur, expellerentur. Scribere auten in hunc modum cæpit (b) *Eudoxius, non à nobis miſſus, ad vos venit; neque quiſquam ſic putet. Ab eo enim longè abſumus, ut ejuſmodi hominibus favere velimus. Quod ſi prçter cçtera, iſtud prçterea comminiſcuntur: certè perſpicuum eſt, eos in Deum Opt Max. falſò ementitos eſſe. At ecquæ res ſunt, à quibus ſe ſua ſponte abſtineant illi, qui dominandi libidine accenſi, civitates invadere, & velut transfugæ, ex una in aliam devolare, omnes denique receſſus ac latebras potentiæ & facultatum augendarum ſtudio rimari non ceſſant? Fama eſt prætereà, apud hos eſſe præſtigiatores quoſdam & Sophiſtas, quos ne nominare quidem fas eſt: officinam planè maleficam & maximè impiam. Omninò certè & vos ipſi horum conſpirationem perſpicitis: omninò etiam ex verbis ipſius hæreſis, tum ejus authorem agnoſcitis, tum cæteros qui ad eandem hçreſim propagandam operam ac ſtudium conferunt: à quibus hoc unum duntaxat laboratur,*

(a) ibid. apud Sozom;

(b) Apud Sozom lib. 4. c. 13. p. 811.

ut populum ſui erroris contagione inficiant. &c. Quibus Conſtantius Imp. averſum ſuum animum ergà Eudoxium perſpicuè declarat, aptè quidem & convenienter tunc, quo tempore hæreſis *Anomianorum*, id eſt eorum qui filium Patri diſſimilem aſſererent, invaluiſſet, niſi Imperator ipſe Epiſcoporum opera & diligentia interceſſiſſet.

VI. Tum ergò ejectus eſt Eudoxius Eccleſiâ Antiochenâ, & cum eo Aetius & Eunomius. Verùm iſta ejectio fuit Eudoxii Eunomiique promotio. *Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus* (inquit (*a*) Auctor Chronici Alexandrini) *propter multa ipſius propria crimina exauctoratus eſt, & in locum ejus ſubrogatus Eudoxius menſe Audynco* (*ſeu Januario* 27.) *præſentibus Epiſcopis 72. Conſtantio Auguſt. X. & Juliano Cæſ. III.* id eſt An. 360. Ariani ſiquidem Epiſcopi obtinuerunt à Conſtantio, qui intùs & in cute Arianus erat, ut circà finem anni 359. Conciliabulum Conſtantinopoli convocarent, quod & anno ſequenti aliquo tempore duravit, in quo plures Epiſcopi fuerunt ejecti, & alii in locum ipſorum ſubſtituti, alii in periculum vitæ deducti. *Tunc* (inquit (*b*) Baſilius) *è Syria etiam quidam expulſus, Conſtantinopolim, quaſi ad Tyrannidem pervenit.* (Hic erat Eudoxius) *Hic autem, iſte*, *nempe Eunomius*, *inexpugnabilis & gravis Orator*, *in perverſæ religionis præmium*, *Cyzicum obtinuit*. Factus nimirum eſt Cyzici Epiſcopus. Recitat hanc eandem impietatis remunerationem (*c*) Theodoretus dicens: *Eo tempore Eudoxius Sedem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ per tyrannidem occupavit. Eleuſio etiam Epiſcopatu Cyzici exturbato, ejus locum obtinuit Eunomius. His rebus in hunc modum geſtis, Imperator per litteras jubet Aetium abdicari. Unde ipſi Aetii impietatis Conſortes inducti: ſuæ ipſorum doctrinæ ſectatorem abdicarunt.*

(*a*) P. 293.

(*b*) adverſ. Eunom. lib. 1.

(*c*) lib. 2. c. 27. p. 652.

Euseb. Ergò haud immeritò promotus fuit Eudoxius ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, cùm Aetium abdicaverit ejuſque blaſphemias ejuraverit?

VII. Silvst. Sic ſaltem videtur. Verùm quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu; & Eudoxius, licet

Aetium

Aetium abdicaverit, tamen doctrinam ejus ſemel imbibitam ſervavit ſemper. Hunc, tanquam fæcem hæreticorum omnium, quem veluti oſtentum Conſtantius Imperator in Eccleſia Conſtantinopolitana evexit Epiſcopum, nihil minùs, quàm Aetii errores abjuraſſe, demonſtravit is ipſe in publica Concione, quam habuit eodem ſuæ promotionis anno primo; de qua (*a*) Sozomenus: *Ad decimum verò*, inquit, *Conſulatum Conſtantii, Juliani verò Cęſaris tertium; primo tempore quo Conventus in Dedicatione magnę illius Eccleſię, quam Sapientiæ nomine nuncupant, agebantur; fertur, Eudoxium conſcenſo Epiſcopali ſolio, quo populum doceret, in ipſo Concionis exordio dixiſſe, Patrem impium eſſe, filium vero pium. Quo dicto cum populus tumultuari inciperet; conquieſcite inquit: Patrem impium dico, quia neminem colit: Filium verò pium, quia Patrem coluit. Quod cùm dixiſſet, riſus auditoribus excitatus eſt*. Sic ludebat ſceleſtus in rebus ſacris maximique ponderis, veluti jaculator.

(*a*) Lib. 4. c. 25. p. 816. Vid. Excerpt. vit. S. Athan. apud Phot. p. 1446.

Euseb. Retinuit tamen hic impius Eudoxius Eccleſiam Conſtantinopolitanam?

Silvest. Retinuit (*b*) eique ad Annum uſque 370. præfuit, quô anno tandem obiit.

(*b*) Pag. Crit. ad an. 370. n. 4.

Euseb. Quomodo, quæſo, fieri potuit, ut homo ita ſceleſtus, qui offenſum adeo Imperatoris ipſius habuit animum, Eccleſiam Cpolitanam regendam obtinuerit, eamque tot annis rexerit?

VIII. Silvest. Id factum putes, non propriô Eudoxii Marte, ſed factione Acacianâ. *Acacius* enim Epiſcopus Cæſareenſis Palæſtinæ, intimus Eudoxii familiaris & Patronus, qui Conſtantii Imperatoris cor, ut ità dicam, manibus tenebat, dirigebatque, quique omnia, ut voluit, fecit, promovit Eudoxium, & enormium ejus errorum fautor & qualificator extitit. An. 359. Acacius hic ad conventum Epiſcoporum Seleuciam accedens, non priùs cum illis communicare voluit, quàm Cyrillus è Concilio excluderetur, quod, cùm factum non fuerat, (*c*) *Acacius illis relictis*

(*c*) Theodoret. lib. 2. c. 27. p. 651.

abiit: atque profectus ad Eudoxium, eum metu liberavit, animumque reddidit, propterea, quod Eudoxio promiſit ſe tum Patronum cauſæ ſuæ, tam adjutorem fore. Talem ergò ſe exhibuit Acacius ergà Eudoxium anno ſequenti in Conciliabulo Conſtantinopolitano, quando Eudoxius ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam evectus fuit. *Epiſcopos autem* (inquit (*a*) Sozomenus loquens de iſta Synodo:) *quos abdicatos eſſe ſupra monſtravimus, Acaciani Conſtantinopoli expulerunt. Aliis autem, qui una cum illis adhuc erant ad decem numero, qui abdicationi iſtorum Epiſcoporum ſubſcribere nolebant, mandatum dederunt, ut ſeparatim ab aliis ad tempus ætatem degerent, & neque Divino fungerentur Miniſterio, neque Eccleſias uſque eo miniſtrarent, quoad abdicationi illi ſubſcriberent. Quod ſi non intrà ſex menſes reſipiſcerent, & omnibus hujus Concilii decretis Actiſque aſſentirentur; futurum eſſe, ut illi quoque abdicarentur.* Meminit quoque hujus factionis Acacianæ in Synodo Cpolitana (*b*) S. Baſilius, dum ait de Acacianis: *Cùm ex aula omnes, & reliquos, qui quamplurimum poſſe putarentur, ad ſe conſciviſſent, longè Superiores impetu ſe in res omnes intulerunt. Ipſi accuſatores, ipſi Judices, ipſi Miniſtri publici: ipſi denique cuncta poterant, quantum concupierant, alios ejicientes; alios in locum ipſorum ſubſtituentes, alios in periculum vitæ deducentes: ipſi magna cum poteſtate inter ſe Civitates ſortiebantur. Tunc è Syria etiam quidam expulſus, Conſtantinopolim, quaſi ad tyrannidem pervenit.* Et hic expulſus, ut ante dixi, erat Eudoxius, Acacii adjutoriô promotus. *Nam Eudoxius Epiſcopus Conſtantinopolis per Acacium, & ejus familiares renunciatus eſt*, inquit (*c*) Socrates.

(*a*) lib. 4. c. 24. p. 616.

(*b*) advers. Eunom. lib. 1.

(*c*) lib. 2. c. 33. p. 471.

Euseb. Numne *Acacius* iſte, idem ipſe, qui Baronio videtur Presbyter ille, cui Conſtantinus M. teſtamentum tradidit, & tu initiô hujus colloquii meminiſti?

Silvest. Ipſiſſimus eſt.

IX. Euseb. Sed Gelaſius Cyzicenus, cùm presbyterum illum vocet *Eudoxium*, quem ex tuis hactenùs dictis ſatis capio, quis fuerit, quandoquidem autem, num hic ille Presbyter, igno-

ignoro, vellem nunc enarres, quis *Acacius*, ut tandem utrumque hominem clariùs noſcam, quidve magis veriſimile, utrum Eudoxius vel Acacius fuerit Presbyter ille.

X. Silvest. Acacius ſine dubio natus erat Cæſareæ in Palæſtina, ubi non tantùm Euſebium Pamphili ejuſdem Metropolis Epiſcopum Magiſtrum habuit, verùm etiam Presbyter ab eodem ordinatus, annô tandem 340. ideſt anno tertiô circiter, poſt obitum Conſtantini M. Imperatoris, magiſtro in Epiſcopatu ſucceſſit. *Acacius*, (inquit (*a*) S. Hieronymus:) *quem, quia Luſcus erat*, Μονόφθαλμον, *nuncupabant Cæſarienſis Eccleſiæ in Palæſtina Epiſcopus, elaboravit in Eccleſiaſten decem, & ſeptem volumina, &* συμμίκτων ζητημάτων *ſex & multos prætereà diverſoſque tractatus compoſuit. In tantùm autem ſub Conſtantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret?* (*b*) Socrates hæc de eodem primùm habet: *Eodem tempore* (id eſt anno 340. quando S. Athanaſius poſt ſuum ex Galliis reditum, ab Arianis rursùm pulſus fuit) *Euſebius cognomento Pamphilus, Cæſariæ Palæſtinæ Epiſcopus, mortem obiit: & Acacius, ejus diſcipulus, in illum ſucceſſit Epiſcopatum: qui quidem cum alios complures libros, tum librum de vita Præceptoris ſui Euſebii conſcripſit.* (*c*) Sozomenus quoque de eo ſic refert: *Euſebio cognomento Pamphilo mortuo, Acacius Epiſcopatum Cæſareæ Palæſtinæ capeſſit. Qui ſtudioſus Euſebii imitator factus, & ab eo in Sacris Litteris inſtitutus, cum ad inveniendum quid diceret, tùm ad inventa oratione explicanda adeò aptus fuit, ut per diſertus evaderet, multoſque libros memorabiles poſt ſe relinqueret.* Apud (*d*) Theophanem hæc leguntur: *Confeſtim verò M. Conſtantino defuncto, mortuus eſt Euſebius, & Cæſarienſis throni ſucceſſorem reliquit Acacium diſcipulum, virum quidem eximium, at qui de variis rebus compoſitis libellis, Arianis omninò partibus, pro animi Magiſtrum conſenſione addictum ſe teſtatur.* Sic etiam in (*e*) hiſtoria Tripartita & apud (*f*) Nicephorum refertur.

(*a*) de Script. Eccl. c. 98. in Acacio.

(*b*) lib. 2. c. 3. p. 412.

(*c*) lib. 2. c. 2. p. 781.

(*d*) Chronograph. p. 28.

(*e*) lib. 3. c. 3.

(*f*) lib. 9. c. 3.

XI. Annô proximô, poſtquam Acacius ad Sedem Cæſareen-

reenſem evectus eſſet, (a) Marcellinô & Probinô Coſs. ipſis Conſtantii Imperatoris quiquennalibus, Antiochiæ Encænia celebrata ſunt, in dedicatione nobiliſſimi Templi à Conſtantino M. jam cœpti, atque ſub Conſtantio poſtmodum abſoluti, quod præ ſui excellentia, *Dominicum Aureum* nuncupatum eſt, cui ſolemnitati interfuit ipſe Conſtantius Imperator. Hujus celebritatis prætenſâ occaſione collecti ſunt Epiſcopi nonaginta, ab iiſdemque Synodus celebrata, cui præfuerunt Euſebius Nicomedienſis, & Acacius Luſcus Cæſareenſis. *Synodus Hæretica* (inquit (b) Auctor libri de Synodis:) *Antiochiæ Syriæ, nonaginta ſeptem Epiſcoporum ... Ei præfuerunt Nicomediæ Epiſcopus Euſebius & Palæſtinæ Acacius.* (c) S. Athanaſius de hac Synodo: *Fuere autem* (inquit) *numerò qui tempore Encæniorum* (Antiochiæ) *convenerant, nonaginta, Conſulibus Marcellino, & Probino, Indictione XIV. præſente ibidem impiiſſimo Conſtantio.* Ibidem poſt multa: *Quâ tandem ratione in Encæniis, verbis à Scriptura non receptis Acacius & Euſebius uſi dixerunt, ſubſtantiæ, potentiæ, conſilii, gloriæ, nullâ diſſimilitudine variante imaginem, primogenitum creaturam eſſe.* Rationem, cur Euſebiani Antiochenã convenerint, (d) Sozomenus reddit; *ſimulatione quidem ut novam Eccleſiam conſecrarent: ſed revera, ſicut eventus declaravit, ut decreta Concilii Nicæni abrogarent.* Altera ratio erat implacabile odium in Athanaſium abſentem, & Romæ apud Julium Papam cauſam ſuam agentem, quem ante Imperatorem graviter accuſare cœperunt, quod ſcilicet Canones & Decreta, antea lata, contempſiſſet; quodque prius Eccleſiæ Alexandrinæ adminiſtrationem occupaſſet, quàm poteſtas eſſet ei à Concilio permiſſa; nam illum ab exilio redeuntem, ſuo ipſius arbitrio ad Eccleſiam regendam præcipitem ruiſſe quærebantur. Hinc factio Euſebiana (e) *ad Athanaſium falsò accuſandum operam ſuam ac ſtudium potiſſimùm contulit.* Quibus inter alia execranda etiam effecit, ut in Athanaſii locum inſtitutus ſit Epiſcopus Alexandrinus Gregorius, atque Alexandriam miſſus, qui præſidio militum Eccleſiam illam Epiſcopo deſti-

(a) Baron. An. 341. n. 1. Pag. Crit. eod. an.

(b) c. 41.

(c) lib. de Synod. Arim. & Seleuc. Vid. Sozom. lib. 3. c. 5. p. 783.

(d) lib. 3. c. 5. p. 782.

(e) Socrat. lib. 2. c. 5. p. 434.

deſtitutam invaderet. (*a*) *Qua re confecta, fidem commutare laborant: qui tametſi nihil eorum, quæ in Concilio Niceno acta ſunt, reprehendere volebant: revera tamen fidem Conſubſtantialis per crebra Concilia labefactare & evertere, & alias aliter de fide decidere aggreſſi ſunt, uti paulatim Homines ad Arii opinionem impellerent.* Hoc loco ubi Socrates de his agit, legit (*b*) Pagius, ex alterius Socratis interpretatione capite octavo: *His ità geſtis interpolaverunt fidem.* Imò non interpolaverunt fidem tantùm, (*c*) ſed & novas tres fidei formulas compoſuerunt, & (*d*) *nedum quidem arbitrati ſunt perfectè fidem ſuam conſcriptam eſſe, aliud genus de fide poſt aliquot menſes conficiunt.* Etenim (*e*) Socrates ait: Euſebius autem acquieſcere non potuit, ſed omnem lapidem (ut in proverbio eſt) movit, uti, quod animo inſtituiſſet, ad exitum perduceret. quamobrem factum, quòd *ex hoc loco*, ut inquit (*f*) S. Hieronymus, *impietas Ariana, Conſtantii Regis fulta præſidio, exiliis, carceribus & variis afflictionum modis primùm Athanaſium, deindè omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecuta eſt.*

(*a*) Socrat. lib. 2. c. 7. p. 434.
(*b*) Crit. An. 341. n. 12.
(*c*) ibid. in Crit. pag.
(*d*) S. Athanaſ. in lib. de Synod.
(*e*) l. 2. c. 5. p. 433.
(*f*) in Chron.

XII. In hunc modum rebus, ab *Euſebio* & *Acacio*, quibus ſubſidio fuit nimia Conſtantii facilitas, in ſynodo Antiochena pro arbitratu ſuo confectis, Ariani animos extollere cæperunt, præſertim *Acacius*, qui Euſebiô Nicomedienſi, tum Epiſcopô Conſtantinopolitano, An. 342. mortuô, Euſebianæ factionis Coriphæus effectus, â quo ſequaces ejus *Acaciani* ſunt nuncupati. Acacius perpetuum bellum geſſit cum Orthodoxis, præcipue cum S. Athanaſio, non tantùm diffamans Nicænum Concilium, ſed Decreta ejus abnegans. *Acacius* (ait (*g*) S. Athanaſius) *Acacius cum ſuis immani vecordiâ audaciaque planè adnegaverunt Niceni Concilii ſcripta, ipſam ſynodum diffamantes.* Et licet aliquando Acacius eadem cum Eudoxio, Aetio & Eunomio ſentiret, (*h*) opinionemque eorum tueretur, Filium nempe Dei Patri per omnia diſſimilem eſſe, tamen Philoſtorgius & ipſe hæreticus Eunomianus (*i*) *reprehendit Acacii imprimis Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi ſeveritatem intolerandam & inexpugnabilem verſutiam: quibus artibus*

(*g*) de Synod.
(*h*) Sozom. lib. 4. c. 11. p. 710.
(*i*) Phot. Bibl. cod. 40. p. 26.

bus ait cum omnibus prævaluiſſe, tàm, qui cum illo ſentirent; licet mutuò flagrarent odio, quàm qui contrariam de religione ſententiam ſequerentur.

XIII. Conſtante, Conſtantii Imperatoris fratre Orthodoxo agente, fratremque ſuum compellente, mortuô Gregoriô Pſeudepiſcopo Alexandrino, S. Athanaſius exiliô revocatus Sedi ſuæ reſtituitur, An. 349. At (*a*) *Conſtante* (Anno 350.) *interempto Ariani iterùm doloſè contra Athanaſium concitarunt Conſtantium, ac rursùs impia decreta, rurſus fuga, rursùs inquiſitio & ſancti ſit indagatio.* Syriano enim Duce adverſus Athanaſium perſecutionem movente, & cum Georgio Epiſcopo Ariano adventante fugit Athanaſius (*b*) An. 356. in ſolitudinem, & non ampliùs rediit, quoadvixit Imperator Conſtantius. Quantam calamitatem perpeſſi ſint Alexandrini ſub defuncto Gregorio, fuſiſſimè narrat S. Athanaſius *ad Orthodoxos.* Tyrannidem verò, quam Georgius, Acacio patrocinante exercuerit, excerpta vitæ S. Athanaſii apud Photium ità referunt: *Georgius verò Alexandrinæ Eccleſiæ invaſor, item Acacius & Patrophilus Sectatores Arii, S. Maximum Hieroſolymitanum expulerunt, & Cyrillum Subſtituerunt. Georgius verò tot mala Alexandriæ intulit, ut ea quæ in Chriſtianos fecerunt Ethnici, humana putes. Novæ excogitantur pœnæ, igni Virgines nudæ apponebantur, & mors multos alios, & vitæ & pœnæ eripuit. Exulabant in Aegypto triginta duo Epiſcopi & Sacerdotes.* Plura de his ipſe (*c*) S. Athanaſius.

XIV. S. Hieronymus in Chronico circà ea tempora hæc habet: *Maximus poſt Macarium Hieroſolymorum Epiſcopus moritur. Poſt quem Eccleſiam Ariani invadunt, primum Cyrillus, Eutychius, rurſum Cyrillus, Irenæus, tertio Cyrillus, Hilarius, quartò Cyrillus: quorum Cyrillus, cùm à Maximo fuiſſet presbyter Ordinatus & poſt mortem ejus, ità ei ab Acacio Epiſcopo Caſarienſi & cæteris Arianis Epiſcopis, Epiſcopatus promitteretur, ſi ordinationem Maximi repudiaſſet, Diaconus in Eccleſia miniſtravit. Ob quam impietatem Sacerdotii mercede penſatus in Heraclium, quem moriens maximus in ſuum* locum

(*a*) Excerpt. Vit. S. Athan. apud Photium Cod. 258. p. 1443.

(*b*) Pag. Crit. an. 356. n. 6.

(*c*) ad ſolitar. & Apolog. 2.

locum ſubſtituerat varia fraude ſollicitans, de Epiſcopo in preſbyterum regradavit. Horum atque aliorum longè graviorum criminum Eccleſiarumque afflictationum Auctorem fuiſſe Acacium, pluribus demonſtrat Sozomenus, qui ea, quæ poſt Concilium Seleuciæ) An. 359. celebratum, ab Acacio ejuſque factione geſta ſunt, in hunc modum narrat:

XV. (*a*) His rebus ita confectis (in dicto nimirum Concilio Seleuciæ:) Acaciani maturè ad Aulam Imperatoris contendunt, alii autem ſinguli domum revertuntur. Decem verò qui ad Imperatorem proficiſcantur, deſignati, ſicut erat imperatum, communi omnium ſententia deſignati, ibi decem illos quos concilium Ariminenſe itidem miſerat, reperiunt. Reperiunt etiam Acacianos, qui quidem jam eos qui multum authoritate & gratia in aula poterant, ad ſuam ſententiam perduxerant, eoque pacto ſibi Imperatoris conciliaverant benevolentiam. Nam ferebatur, ex aulicis alios ejuſdem fuiſſe cum ipſis opinionis, alios Eccleſiæ opibus corruptos, alios orationis lenociniis, & perſuadentis authoritate dignitateq; in fraudem inductos. (*b*) *Nam Acacius neutiquam videbatur unus è multis, ſed natura diſertus ad intelligendum, tum ad dicendum, tum ad eas res quas apud animum propoſuerat, reipſa perficiendas: quin etiam illuſtri præfuit Eccleſiæ: & Euſebium cognomento Pamphilum, cujus Epiſcopatum eô mortuô adminiſtravit, præceptorem ſe habuiſſe jactavit: cujus etiam libros conſecutus, opinione eorum aliis doctrina antecellere videri voluit. Qui cùm talis eſſet, facilius ea quæ inſtituebat, confecit.* Dum iſti viginti Epiſcopi ex utroque Concilio miſſi, verſabantur Conſtantinopoli, & alii nonnulli, qui ibi tum fortè aderant: primùm Honorato, quem Imperator, ab Imperii partibus verſus Occidentem Solem poſitis, non ità pridiem reverſus, ſummum Præfectum Conſtantinopolis deſignaverat, dabatur poteſtas, de cauſa Aetii, præſentibus magni Conſilii Principibus, cognoſcendi. Poſteà verò, cùm Conſtantius ipſe una cum magiſtratibus in eandem inquireret, deprehenditur Aetius malè & perversè de fide ſentire: adeò

(a) Sozom. l. 4. c. 22. p. 823.

(b) Sozom. ibi

I ut

ut tum Imperator, tum alii, verbis ejus, utpote blaſphemiâ refertis, graviter commoverentur. Dicitur porrò, Acacianos prætexuiſſe, hanc ſuam hæreſin ex ignoratione ortam eſſe: deditaque opera laboraſſe, ut Imperator, & ejus proceres de cauſa Aetii (eum enim oratione inexpugnabilem fore putabant) coram diſceptarent, qui ſi ab Aetio victi eſſent, futurum eſſe; ut Auditores ipſa perſuaſionis vi & facultate neceſſariò caperentur, & ita ſine ullo negotio hæreſis illa prævaleſceret. Hæc fuſiùs hactenùs Sozomenus de Acacio. (*a*) Qui Auctor, poſteaquam de ſequuta Aetii abdicatione tractaſſet, pergit de Acacianis, quos aliquandiu Conſtantinopoli commoratos, atque ab iis Epiſcopos, ad numerum quinquaginta, accerſitos, & plurimos tum abdicatos, commemorat. Hos inter numerat Baſilium, Euſtathium, Eleuſium, Eortaſium, Dracontium, Silvanum, Sophronium, Neonem, Elpidium, ac denique Cyrillum Hieroſolymitanum, & poſtremum quidem eâ de cauſa, quod (*b*) *cùm Acacio Epiſcopo Cæſareæ de jure Metropolitano diſſenſiſſet*, atque, *quod eos qui Filium Patri Conſubſtantialem aſſererent, ſequeretur. Itaque Acacius, cùm hoc animo eſſet, reliquis Epiſcopis ejus gentis, ejuſque opinionis ſautoribus in unum convocatis, ipſe prius Cyrillum tali de cauſa abdicat.*

(*a*) lib. 4. c. 23. p. 824.

(*b*) Idem Sozom. lib. 4. c. 24. p. 826.

XVI. Illos, quos Acacius abdicaverat poſtquam alios in eorum locum ſubrogaverat, Acaciani Conſtantinopoli expulerunt, utpote, qui quamplurimùm poſſe putarentur, & (*c*) *longè ſuperiores impetu ſe in res omnes intulerunt. Ipſi accuſatores, ipſi Judices, ipſi Miniſtri publici: ipſi denique cuncta poterant, quantum concupierant, alios ejicientes, alios in locum ipſorum ſubſtituentes, alios in periculum vitæ deducentes: ipſi magna cum poteſtate inter ſe Civitates ſortiebantur.* Adeó quod veriſſimum ſit teſtimonium S. Hieronymi, ſcribens in Chronico: Acacium Luſcum Cæſarienſis Eccleſiæ in Palæſtina Epiſcopum in tantum ſub Conſtantio Imperatore claruiſſe, ut in Liberii Romani Pontificis locum Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret, prout certò conſtat, Liberium à Conſtantio, & hinc non ſecùs niſi ſuadente impio Acacio, miſſum fuiſ-

(*c*) Baſil. adverſ. Eunom. lib. 1.

ſe

ſe in exilium. Quare meritò Acacius jam in Concilio Sardicenſi An. 347. celebrato, in quo Nicæna Fides fuit approbata & confirmata, damnatus & ab Eccleſiæ Catholica ejectus fuit, prout eum inter alios tunc excommunicatos recenſet (*a*) S. Athanaſius, cùm ait: *His connumerantur Acacius quoque & Patrophilus, & Narciſſus ad omnem impietatem audaciſſimi, qui in magno Concilio Sardicenſi ab Eccleſiâ rejecti fuere.*

(*a*) Epiſt. ad ſolitar.

XVII. Eo tempore quô tot Epiſcopi ab Acacianis exiliô fuerunt multati, & Eudoxius ad Eccleſiam Cpolitanam evectus, tunc (*b*) *ab iſto* (Eudoxio nempe) *& Acacio communi conſenſu maximè laboratum eſt, ut omnes in oblivionem decretorum Concilii Nicæni adducerentur. Quin etiam formulam fidei Ariwini perlectam, cum appendiculis, quas ipſi, quaſi eam meliorem effecturi, adjeciſſent, paſſim in univerſum Imperium miſerunt: juſſerunt, idque de Imperatoris mandato, omnes, qui ei ſubſcribere recuſarent, exilio multari.* Aſſeruit enim Acacius, (*c*) *nihil obſtare, quo minùs nova fidei formula ederetur: quando quidem formula fidei in Concilio Nicæno compoſita, etiam ſemel mutata fuerat.* Cùm enim Eccleſia ab Acacio ejuſque factione perturbata penitùs eſſet: rebus proſperis idem Acacius elatus, majora ſemper auſus eſt; reque communicatâ cum ſuis, iidem omnes id ipſum, quod ſemel concupierunt perficere nituntur, auxilio Conſtantii Imperatoris. *Tantùm*, (inquit (*d*) S. Gregor. Nazian.) *valuit ille diaboli miniſter, ille zizaniorum ſator, ille Antichriſti præcurſor, ità negotium partiens, ut Epiſcopo quodam eâ tempeſtate diſertiſſimo linguæ vice uteretur (ſi cui tamen diſertum eum appellare libeat, qui non tam impius Sectarius fuit, quàm hoſtis, & contentionis ſtudio flagrans: nomen enim haud invitus præteribo) ipſe autem manus inſtar cohorti ſuæ eſſet, ac veritatem auro convelleret, quod quidem ad pios uſus collectum, impietatis inſtrumentum ſcelerati fecerunt.* Hæc Nazianzenus, intelligens *Acacium*, inquit (*e*) Baronius.

(*b*) Sozom. lib. 4. c. 25. p. 826. ſeq.

(*c*) idem Sozom. lib. 4. c. 21. p. 822.

(*d*) Orat. in laud. Athanaſ.

(*e*) An. 355. n. 23.

XVIII. An. 361. (*f*) Cùm Acacius & Suffragatores ejus Antiochiæ cum Euzojo Epiſcopo Antiocheno, Conſtantio

(*f*) Niceph. l. 9. c. 49. Vid. Socrat. lib. 2. c. 37. Chron. Alex. Idat.

Digitized by Google

Imperatore præſente, decreta ſua mutare aggrederentur, ipſe Imperator ab Euzojo baptizatus eſt, & poſt ad bellum cum Juliano gerendum proficiſcens, ad Mopſi fontes præ nimia ſolicitudine in apoplexiam delapſus, mortem oppetiit, Tauro & Florentio Coſſ. tertio Nonas Novembris. *Conſtantius hæreticus fuit*, (inquit (*a*) S. Athanaſius) *qui ad finem uſque permanens in ea impietate, ac deinde moriens, voluit non à piis viris, ſed ab Euzojo, non ſemel, ſed ſæpiùs ob Arianam hæreſin depoſito rejectoque baptizari*. De obitu ejuſdem Conſtantii ſic etiam S. Hieronymus ad (*b*) Heliodorum: *Conſtantius Arianæ fautor hæreſeos, dum contrà inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Mopſi viculo moriens, magno dolore, hoſti reliquit imperium*. Et alibi: (*c*) *Dominus excitatur, imperat tempeſtati; beſtia moritur, tranquillitas redit, &c.*

(*a*) de Synod.

(*b*) Ep. 5.

(*c*) Hier. contra Luciferian.

XIX. Mortuô Conſtantiô rediit S. Athanaſius Alexandriam ſub Juliano, eoque ſublatô in honore habitus eſt â Joviano Imperatore Orthodoxo, qui & cæteris cunctis favit Chriſtiano-Catholicis. *Generales quoque Leges* (inquit (*d*) S. Theophanes de Joviano) *in Univerſum Romanum Orbem de ſacris ædibus miſit, quibus Eccleſiam Catholicam in priſtinum ſtatum atque honorem, quo ſub Beato Conſtantino potiebatur, reſtituit, & exulantes Epiſcopos revocavit. A Sacro inſuper Athanaſio, ut accuratam ſinceræ fidei expoſitionem ſcriptis ſignificaret per litteras expetiit: quod ille demum præſtitit ad Jovianum, quæ rectum omnem fidei ſenſum complecteretur, data Epiſtola. Quare Jovianus in recta fide ſtabilior redditus, in eos, qui Conſubſtantialis dogma profiterentur, dona contulit, & à pendendo tributo fecit immunes. Acacius autem ille peſſimus Cæſareæ Epiſcopus, conventu cum aliis Epiſcopis facto, libellum ex ſinceriori Eccleſiæ ſenſu compegit, & pientiſſimi Imperatoris metu, licet non ex Dei cultu, Conſubſtantialem, & actam Nicææ Synodum profeſſus eſt*. Hæc S. Theophanes.

(*d*) Chronograph. in Jovin.

XX. Diem functus eſt *Acacius* ſcelerum omnium Architectus & vexillarius impietatis cognomento *Luſcus* (*e*) An. 366.

(*e*) Baron. An. 366. n. 30.

„ De

„ De quo (*a*) Baronii audi judicium: Homo iſte, inquit, (*a*) An. 363. n. 139.
„ omnium deterrimus, fæx, lueſque totius Catholici Orbis;
„ cujus tyrannidem cunctæ ubique locorum poſitæ Eccleſiæ
„ expertæ erant; quique non tantum fidem Nicænam procul
„ abjecit, ſed & hæreticos illos inſectatus fuit ſimilitudinem
„ qualemcumque filii Dei cum Patre amplectentes, & Semi
„ Arianos, quòd non penitùs in profundum lapſi viderentur,
„ deteſtabatur: hic, inquam, qui dum Arianæ hæreſis fau-
„ tor Conſtantius Imperator regnavit, eidem in omnibus
„ obſecutus, perpetuò illi perfidiâ junctus inhæſit: ut rerum
„ ſtatum mutatum vidit, translatumque Imperium in homi-
„ nem Nicænæ fidei profeſſorem, Athanaſiique ſtudioſum, &
„ Orthodoxorum omnium amantem; (Jovianum) mox timo.
„ re correptus, ne quod in Catholicos Epiſcopos ſæpiùs fece-
„ rat, cùm illis Eccleſias abſtulit, proſcripſit, & in exilium
„ eos abjecit, id ipſe tunc pateretur; confeſtim pietate ſimu-
„ latâ, ad Catholicorum caſtra ſe contulit; & primus omnium
„ vafer ingenio, antiquus Proteus, aliam formam induens,
„ conatus videri Catholicus, libellum confecit, quo ſe fidei
„ Nicænæ profeſſorem exhibuit. Id cùm complures alii, tum
„ denique (*b*) Suidas teſtatur his verbis; *Acacius Cęſareę Pa-* (*b*) verbo Jovianus.
*læſtinę Epiſcopus Joviano Libellum fidei Orthodoxę ſcripsit, Sy-
nodum Nicęnam comprobans*. Hactenùs Baronius. Qua mente
autem id fecerit Acacius, ex Theophane collige.

Euseb. Satis nunc quoque intelligo, quis fuerit Acacius. Ex his autem quæ hactenùs dę Acacio, & alibi antè de Eudoxio enarraſti, nondum ſatis conſtat quorum alteruter fuerit ille Presbyter, cui Conſtantinus M teſtamentum commendavit, quique teſtis oculatus eſſet ejuſdem baptiſmi.

Silvest. Rem clarius tibi exponere haud valeo, quàm quod ex dictis de utroque, ac de ipſo Presbytero conjicere licet.

Euseb. Sed conjectura non probat.

XXI. Silvest. Licet non plenè probet, tamen ex dictorum de *Acacio* circumſtantiis planè veriſimile videtur, dicta

cta omnia de Presbytero, cum relatis de Acacio, & verſa vice potiùs, quàm cum dictis de Eudoxio, convenire. Licet de nomine presbyteri non plenè conſtet, illudque in obſcuro ſit, tamen cùm *in obſcuris inſpici ſolet, quod veriſimilius eſt*; ex dictis per rimas inspicientes colligimus, ovum ovo non eſſe ſimilius, quam Presbyter ille *Acacio*, & hic Presbytero conſimilis eſt. Accedit, quòd Eudoxius nunquam tanta apud Conſtantium Imp. polleret gratiâ & auctoritate, ſicut Acacius, quapropter & Acacius Eudoxii Patronus extitit. Neque Eudoxius dici poteſt *Arius alter*, benè verò Acacius, nam ſolus Acacius opus perfecit, quod Arius cœperat.

Euseb. Sic quidem opinaris, plerumque verſando in meris conjecturis, quibus nihil certi conficis. Proinde cùm de nomine Presbyteri non certò conſtet, neque dici poteſt eum fuiſſe vel *Eudoxium*, vel *Acacium*.

XXII. Silvest. Eſto non certò hoc conſtet, attamen uterque tum Eudozius, tum Acacius, ac tandem Presbyter ille apud me paris, id eſt nullius fidei ſunt & auctoritatis. Si namque de Presbytero tantùm, utpotè certo, & oculato teſte, loquamur, teſtis hic ſolus, & unicus eſt, ubi advertas, quòd dictum unius teſtis nihil probat, quamvis ſit cujuſvis excellentis perſonæ, juxtà vulgatum Axioma: *dictum unius, dictum nullius*; præcipuè dum dictum aliquod teſtimonium crimen reſpicit.

XXIII. Euseb. Presbyter ille non fuit ſolus, ſed cum eo Aulicorum Princeps Euſebius, alius oculatus teſtis; adeoque cùm unus teſtis oculatus plùs probet, quàm decem auriti, fidem hi duo teſtes omnem merentur, in hoc facto, Baptiſmi nimirum Conſtantini Nicomediæ, quos mentiri voluiſſe, haudquaquam veriſimile eſt. Et quale crimen hoc reſpicit?

XXIV. Silvest. Licèt utriuſque teſtimonium etiam Sacramentô firmatum extaret, tamen, ſi *conditionem*, *diſcretionem*, *famam*, *fortunam*, & *fidem* in iſtis teſtibus requiramus, facilè deprehendimus eos minùs idoneos teſtes. Quis Presbyter

ter ille, conſtat. Quis Euſebius pariter non ignoramus, eum ſcilicet fuiſſe Eunuchorum Principem, à Presbytero illo ſeductum, & in eandem hæreſin Arianam prolapſum. Unde, ut nihil dicam de Eunuchis, ejuſmodi hominibus, (*a*) qui olim pro infamibus reputabantur, ob quorum infimam conditionem teſtimonium Euſebii Eunuchi reijciendum eſſet, ſolùm loquor de his, quibus jure prohibentur hi teſtes in reliquis.

(a) Lamprid. in Alexand. S. Athanaſ. epiſt. ad Solitar. Canon. Apoſt. c. 21. 22. Concil. Nicæn. Can. 1. Lucian. in Eunuch. Petr. Georg. Tholoſ. Syntag. Jur. lib. 8. c. 2. n. 15.

XXV. *Conditionem*, quod attinet, uterque erat ſervus manens in ſervitute etiam apud Succeſſorem Conſtantini M. filium Conſtantium, & hic ſervitus annexum habuit timorem dominationis Conſtantii propter ſuam Sectam Arianam, quam labefactandam fore proſpicerent, niſi eam ipſius Conſtantini Magni Patris Conſtantii in fine vitæ Sacramento Baptiſmatis Ariani confirmatam, & approbatam teſtificarentur. Si *diſcretionem* eorum requirimus, conſtat eos neutiquam amicos, ſed inimicos extitiſſe Conſtantini M. ob fidem Orthodoxam ad mortem uſque illibatè conſervatam, atque ob Arium, quem poſt ejus infamem mortem Conſtantinus verbis, & ſcriptis, utpote damnatum hæreticum, proclamaverat. Quare domeſtici hi teſtes graves, & occultas fovebant inimicitias ergà Pium Conſtantinum M. ex quo capite *etiam jure Civili domeſtici teſtimonii fides improbatur*. Quid loquar de eorum *fama*? cùm certum ſit, eos inhabiles teſtes ex infamia juris, & facti. Iuris, ob quod infamiam incurrerunt, committendo delictum grave, cui a lege annexa eſſet infamia: facti, ob quod infames redditi ſunt ex turpi facto, teſtamentum nempe Conſtantini M. Imperatoris corrumpendo. Defectu *fortunæ* inhabiles ſunt iſti teſtes, quia quicquid ipſi tunc temporis fecerant; eo fine factum eſt, ut poſt mortem Conſtantini M. Imperatoris *Arii regnaret opinio*, quam callidè Imperatoris ipſiuſmet baptiſmate confirmare nitebantur. Nec *fidem* ullam iſti merentur, qui cum ſemel ob teſtamentum perjuri facti, hic etiam facilè præſumuntur iterùm perjerati, & turpiter mentiti. Hoſnè, quos læſæ Majeſtatis, & hæreſis Criminum ſocios impietas conjunxit, & quos jure repulſos, ut *nunquam*

quam

Digitized by Google

quam in teſtimonium recipiantur, noſcis, teſtes idoneos admittam? Et illis, qui piiſſimum Principem ab Arianis baptizatum, atque in eorum perfidia mortuum non dico teſtificantur, ſed impiè criminantur, quorum falſa, infamis ac planè criminoſa teſtificatio, nil niſi crimen Arianæ hæreſis pio Conſtantino affictum reſpicit, fidem adhibeam?

Euseb. Cur hoc non? Etenim de baptiſmo Conſtantini meri facti & hiſtoriæ quæſtio eſt.

XXVI. Silvest. Factum hoc & hiſtoriam non eſſe ſimplicem hiſtoriam, ſed ſimul quæſtionem dogmaticam, patet ex ipſa hiſtoria; concernit enim primariò Sacramenti baptiſmatis dogma, à quo Ariani præcipuè tunc temporis diſſidebant. Sed hæreticos quoque, non ignoras, à teſtificando, præſertim in dogmatibus, aut contrà Catholicum, jure repulſos, quia cum careant fide divina, ſuper qua fundatur teſtium fides humana, minùs idonei ſunt ad perſuadendum, ſe dicere veritatem. Quare infamibus hiſce & criminoſis teſtibus penitùs rejectis, ad ipſum hujus rei ſcriptorem tranſeamus, ejuſque ſcripta opera, ac demum textûs ejus de baptiſmo Nicomedienſi verba ſingula, populari quadam trutina, examinemus.

Euseb. Utique fidem meretur Euſebius Pamphili Cæſareenſis Epiſcopus, qui hanc hiſtoriam ſcripſit?

XXVII. Silvest. Si Euſebius rem ſcripſit, neque Euſebio fidem adhibeo, qui ut alibi dixi, teſtis oculatus Conſtantino morienti non adfuit; ſicque ex auditis & ex falſò relatis decipi potuit. Quare ob eaſdem rationes, quas hactenùs allegavi, majorem non mereretur fidem, in hoc facto, Euſebius Pamphili, quàm Oculati teſtes citati & reprobati, Presbyter ille & Eunuchorum Princeps Euſebius. Utrùm verò Euſebius Pamphili revera Auctor vel Scriptor ſit hiſtoriæ baptiſmi Conſtantini Nicomediæ ſuſcepti, prout plurimi tecum ſentiunt, alii autem dubitant, & ego nunc abſtraho, in ſequenti colloquio diſcutiamus.

COL-

COLLOQUIUM V.

De ſcriptis Euſebii Pamphili Operibus. Num idem Euſebius vitæ Conſtantini Auctor, incertum eſt & dubium maximum. Ecquis alius, conjecturâ commemoratur.

I. SILVEST. Dubia valdè ac ſanè incerta res eſt, num Euſebius Pamphili Auctor ſit ſcriptæ vitæ Conſtantini M. ut ea nunc quidem habetur, quatuor libris comprehenſæ; ubi in libro quarto ea, quæ ad baptiſmum Nicomedienſem ſpectant, referuntur.

II. Euseb. Deliras ni fallor. Quis unquam dubitavit de Euſebio quatuor librorum vitæ Conſtantini Auctore; quippè hâc in re omnium omninò, cùm veterum tùm recentiorum ſcriptorum, habeo conſenſum.

III. Silvest. Non planè omnium conſenſum habes. Video egregios, & haud exigui nominis Viros eruditos, in Euſebii Pamphili ſcriptis, præcipuè in hiſtoria vitæ Conſtantini verſatiſſimos, qui non tantùm de vitæ hujus Auctore dubitant, verùm etiam contendunt, Euſebium non fuiſſe Auctorem, non ſolâ ſuſpicione, ſed ſolido nixi fundamento.

Euseb. Qui ſunt iſti, qui Euſebio noſtro hos quatuor libros abjudicare ambiunt?

IV. Silvest. In iis Jacobus Gothofredus I. C. qui facilè omnium recentiorum hos quatuor libros intùs & foris magis perſpectos habuit, nomen ſuum profitetur. Sequitur deindè Joannes Georgius Dorſchæus, quorum uterque, præſertim Gothofredus, in Chronologia Legum Codicis Theodoſiani, & in exactiſſimis in eundem Codicem Commentariis, nec non in Diſſertationibus ad Philoſtorgium, & in aliis opuſculis ſæpènumero, ac, ut itâ dicam, millies, vitæ Conſtantini libros, non ſub Euſebii, ſed ſub *Auctoris*, utpote *incerti*, nomine citant; de quibus infrà plura dicam.

Euseb. Ecquid tibi videtur; anne rectè iſti ſentiunt, nec ne?

Digitized by Google

V. Silvest. Ut verum fatear, non penitùs malè iſti ſentire mihi videntur; præſertim ſi libros, quos Euſebius ſcripſit, & quando eos ſcripſit, vulgavitque, obiter percurramus. Opera Euſebii nonnulla S. Hieronymus: plura verò Photius in ſua Bibliotheca, recenſent. Sic autem à Photio enumerantur (*a*) *Evangelicæ Præparationis Euſebii libri quindecim*. (*b*) *Euſebii Evangelicæ demonſtrationis libri viginti*; quorum hodiè decem duntaxat leguntur. (*c*) *Euſebii Eccleſiaſticæ Præparationis libri.....* (*d*) *Euſebii Eccleſiaſticæ Demonſtrationis libri* ..... ſed utrumque hoc opus (inquit (*e*) Andreas Scottus) Eccleſiaſticæ Præparationis ac Demonſtrationis intercidit, neque meminit S. Hieronymus. (*f*) *Euſebii Confutationis & Apologiæ libri duo. Alteri item duo, qui à prioribus duobus cum aſſertionibus quibuſdam differant, in cæteris dicendi genere, ac ſenſu iidem ſunt*. (g) *Lecti ſunt* (inquit idem Photius) *Euſebii Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri decem. Auſpicatur à Nato Chriſto vero Deo Noſtro, & per Tyrannorum tempora accuratè progreſſus, ad Conſtantini M. Imperium pertingit, diligentius quæ in Eccleſiis ſub illo, & ab illo inſtituta, decretaque ſunt, pertractans*. Hæc Photius.

(*a*) Phot. Bibl. Cod. 9. p. 10.
(*b*) Cod. 10. p. 11.
(*c*) Cod. 11. ibid.
(*d*) Cod. 12.
(*e*) In Not. ad Phot.
(*f*) Cod. 13.
(*g*) Cod. 17. p. 18.

Euseb. Sed Photius annumerat expreſsè etiam quatuor de Vita Conſtantini libros aliis Euſebii Operibus: Cur eos præteris?

Silvest. Hoc eſt in quæſtione, num rectè id fiat; de quo infrà, & nunc ſolum de aliis Euſebii ſcriptis diſcurſum proſequamur.

VI. Sequitur Euſebii Chronicon cum Epitome, quorum, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ meminit S. Hieronymus, dum Euſebii lucubrationes recenſet poſt alias dicens: (*h*) *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri decem; Chronicorum Canonum omnimoda hiſtoria, & eorum ἐπιτομή*.

(*h*) S. Hier. de Script. Eccl. in Euſeb.

VII. Sequitur (*i*) Oratio Euſebii Pamphili de Laudibus Conſtantini Imperatoris, quam ad trigeſimum annum Imperii ejuſdem An. Chr. 335. habuit.

(*i*) Interpret. Valeſ. & Chriſtophor.

VIII. Sequuntur Acta S. Silveſtri Romani Pontificis, de qui-

de quibus Cl. Henricus Valeſius in editione hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Vitæ Conſtantini, inter teſtimonia veterum recentiorumque Scriptorum de Euſebio (quæ ille magna fide, ac diligentia collegit, & in duas diſtribuit partes, quorum, qui in ejus gratiam, ac laudem aliquid ſcripſerunt, teſtimonia præmittuntur, deinde ſequuntur, qui eumdem in aliquo accuſarunt, aut reprehenderunt) in Euſebii laudem, & commendationem hæc inſeruit: *Ex Actis manuſcriptis S. Silveſtri Papæ*, Græco-Latinis. *Incipit Prologus de Vita S. Silveſtri Papæ Urbis Romæ. Hiſtoriographus noſter Euſebius Cæſarienſis Palæſtinæ Urbis Epiſcopus, cùm hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcriberet, prætermiſit ea quæ ſunt in aliis Opuſculis, vel quę ſe meminit retuliſſe. Nam viginti Libros, id eſt duas decades, omnium penè Provinciarum, Paſſiones Martyrum, Epiſcoporum, & Confeſſorum, & ſacrarum Mulierum ac Virginum continere fecit. Deinde ſecutus & ab Apoſtolo Petro, omnium Epiſcoporum nomina & geſta conſcripſit: & earum Urbium quę arcem Pontificatus per Apoſtolicas Sedes tenere noſcuntur, Urbs Roma, Antiochia, Hieroſolyma, Epheſus, Alexandria, harum Urbium Epiſcoporum omnium prętęritorum uſque ad tempus ſuum Gręco Sermone conſcripſit. Ex quorum numero unum Epiſcoporum Urbis Romę Sanctum Silveſtrum me de Græco in Latinum transferre pręcepiſti.* Hæc apud Valeſium, quæ potiſſimum mihi favent, ob Conſtantini Baptiſmum Romanum, cujus præclara ac probatiſſima hiſtoria in his Actis Silveſtri continetur. Tibi autem non parum derogant, eo magis, quòd ea prolata ſint à Valeſio, qui recentiorum atque omnium primus erroneam tuam ſententiam pluribus illuſtravit, eamque ſolidioribus argumentis & rationibus ſtabilire fruſtrà tentavit.

IX. Euseb. Apogrypha ac planè fictitia ſunt Acta Silveſtri, Euſebio falsò adſcripta, quorum Prologô Valeſius, qui certè meam ſententiam de Baptiſmo Nicomedienſi peregregiè defendit, nihil aliud aſtruere voluiſſe videtur, quàm quòd ex nonnullorum opinione laus quædam ex illis Actis Euſebio noſtro accedere poſſit.

Digitized by Google

X. *Silvest.* Sed hanc laudem cumulant quædam certa eaque vetuſtiſſima documenta, Codex nimirum Regius apud (*a*) Combefiſium: alter Codex apud (*b*) Ratramnum Monachum Corbejenſem, cujus Codicis (*c*) D. Du Cangius & (*d*) Lucas D' Achery, Presbyter ac Monachus Congregationis S. Mauri meminerunt, ac etiamnum, ut teſtatur (*e*) D'Achery, in Bibliotheca S. Germani à Pratis ſervatur. Duo item pervetuſti MSS. Codices Bibliothecæ Vaticanæ unus, alter Abbatiæ Nonantulæ, quos citant Correctores Gratiani & Gloſſa in (*f*) Decretis Gratiani. His accedit vetuſtiſſima (*g*) Canonum Collectio Creſconiana, ubi in Actis S. Liberii Papæ Liber Silveſtri, qui eadem, ut citata Acta Silveſtri, in ſe complectitur, allegatus extat. Et hæc quidem Acta Sanctiſſimi Silveſtri Papæ alii inviti, alii lubentes Euſebio Pamphili tribuunt. Inviti (*h*) Baronius, (*i*) Poſſevinus, laudati Combefiſius, Du Cangius & D' Achery: Lubentes verò Ratramnus, (*k*) Schelſtrates, Gloſſa in Decretis & Valeſius. Cùm autem Acta Silveſtri, quoad hiſtoriam de Baptiſmo Conſtantini Romano, in iis contentam, ab Eccleſia laudata & approbata, à majoribus noſtris cunctiſque nationibus in honore habita noſcantur, Valeſius autem, qui aliàs tamen aliter tecum ſentit, ipſe ea in Euſebii laudem & commendationem producat, dic quæſo, quomodo reconcilias cum Valeſio Acta Silveſtri ab Euſebio ſcripta, cum vita Conſtantini, itidem Euſebio attributa, cui rectè contraria ineſt narratio? Sed hæc alibi expendamus; reliqua Euſebii opera recenſebo.

(*a*) In not. ad Præf. Act. Silveſt. edit. Pariſ. 1659.
(*b*) In ſpicileg. T. 2. lib. 4. c. 3. contr. Græc. opp. p. 98.
(*c*) In not. ad Annal. Zonar. c. 13. n. 2.
(*d*) Spicileg. in not. ad Havelburg. Dialog. lib. 3. c. 21. p. 207.
(*e*) In cit. not. ad Havelburg. & Ratram.
(*f*) Diſt. 96. c. 13.
(*g*) Cod. Vatican. n. 1353. Vid. Baron. An. 324. n. 42.
(*h*) Annal. Tom. 3. an. 315. n. 14.
(*i*) Apparat. Sacr. de Euſeb. oper. p. 512.
(*k*) Diſſert. 3. c. 7. apud Raabert. Bibl. Max. Tom. 11. n. 333.

XI. Sequuntur Euſebii Opera à Scriptoribus Orientalibus apud (*l*) Cl. Aſſemanum recenſita, ubi in primis Hebedjeſu hæc habet: *Hiſtoriam Conſtantini & Martyrum Occidentalium & Sermonem de Laudibus eorum.* Quibus verbis: (inquit Aſſemanus) tria Euſebii opera deſignat. I. *Hiſtoriam Conſtantini Imp.* quam quatuor Libris complexus eſt: II. *Hiſtoriam Martyrum Occidentalium*, ingenti volumine comprehenſam, cujus partem habemus in Codicibus noſtris Syriacis I. & II. Denique *hiſtoriam Martyrum Orientalium*, quam per

(*l*) Biblioth. Orient. Tom. I. c. 12. p. 184.

Sermo-

Sermonem de Laudibus eorum, ſeù per *Panegyrica eorum*, ut vertit Abr. Ecchellenſis, intelligere videtur Hebedjeſu. Hæc Aſſemanus ſuprà laudatus. Deinde producuntur ſcripta (*a*) S. Jacobi Sarugenſis, cognomento Doctoris, Batnarum in Meſopotamia Epiſcopi, ex quibus hæc verba, latinè redita leguntur: *De Conſtantino Imperatore & de Lepræ ejus mundatione. Jeſu, qui intuentibus te lux magna es*. Subdit hîc ſtatim idem Cl. Aſſemanus: *Ex actis Silveſtri Papæ totus hic ſermo deſumptus videtur, in quo narrat Jacobus Conſtantinum Imperatorem Lepræ curandæ cauſâ ad ſuſcipiendum baptiſmum impulſum fuiſſe*. Pergit ulterius teſtificans, à Syris *ex Hiſtoria Conſtantini* ad annum Abrahæ 2322. produci, *quidquid ad lepram, & Baptiſmum Conſtantini ſpectat*. Et hæc eadem ſunt, & quoad hanc quæſtionem iis planè conformia, quæ ab Occidentalibus, ex ſcriptis ab Euſebio Pamphili S.Silveſtri Actis, proferuntur.

(*a*) Ibid. apud Aſſem. c. 27. n. 189. p. 328.

XII. Alia præterea valdè multa circumferuntur Euſebii nomine ſcripta, quæ paſſim à recentioribus, præſertim à (*b*) Philippo Labbeo, & (*c*) Antonio poſſevino enumerata leguntur, quæ omnia & ſingula genuinum eſſe Euſebii Pamphili fœtum, jure dubites; eò magis, quo majorem Euſebius iſte in ſuis ſcriptis apud omnes ſibi conciliavit fidem & Auctoritatem, & Ariano Euſebiani, Acaciano-Eunomiani atque alii ejus temporis hæretici, plurima ſcripta ſub Euſebii nomine & auctoritate, ad obtrudendas majori pretió credulis ſuas merces, vulgare non dubitaverint.

(*b*) De ſcript. Eccl. in Euſeb.
(*c*) Apparat. Sacr. de Euſeb. oper.

XIII. His ultimo loco obiter indicatis planè dubiis, & incertis Euſebii operibus non immeritò adnumerari poſſe videntur libri quatuor de Vita Conſtantini M. qui utique, quod ex illis clarè patet, ſcripti ſunt poſt mortem hujus Imperatoris. Atqui, cùm Euſebius Pamphilus circiter Octogenarius, ſecundo vel tertio anno, vel ut Theophanes ait, *confeſtim* poſt Conſtantinum obierit, & in provecta ſua ætate, per brevi illius temporis intervallo, libros illos quatuor, vix eatenùs, ut nunc habentur, & poſt mortem ejus publicati fuerunt, exarare potue-

Digitized by Google

fuerit, non levem ex hoc capite atque aliis, Gothofredus, & Dorſchæus videntur habere rationem, dum hos libros Euſebio abjudicare, ſcriptoſque ab alio Auctore eſſe contendunt.

XIV. Euseb. Gothofredus, & in ejus ſententiam diſcedentes falluntur, quod (*a*) Hankius, qui argumentum hoc pluribus pertractat, ad oculum demonſtrat. A noſtro Euſebio, inquit ille, libros de Conſtantini M. vitâ compoſitos eſſe tradit (*b*) Socrates. Et præſertim Photius in ſua Bibliotheca, cujus clarum teſtimonium ſilentiô præteriiſti, quod autem ſic ſonat: (*c*) *Euſebii Pamphili de Vita Conſtantini M. libri IV. Leguntur Euſebii Pamphili de Vita Conſtantini M. Aug. laudatoris libri quatuor. Continent autem hujus viri cum cæteram vivendi formam, jam inde à pueritia inchoando, tum quæcumque ad Eccleſiaſticam pertinentia hiſtoriam ille geſſit, ad extremum uſque finem, hoc eſt, quatuor & ſexaginta annorum ſpatio*. Hos autem libros, quos de Conſtantini M. Vita ſuperſtites habemus, (*d*) Euſebio Auctore compoſitos eſſe, partim inſcriptiones capitum, quiſquis etiam fuerit earum Conditor, partim etiam res in capitibus ipſis obviæ docent, ubi Euſebius aliquoties ſe ipſum nominat. Eoſdem de Conſtantini M. Vita libros ab Euſebio ſcriptos indicat alibi (*e*) Socrates pluribus in locis, & hæc quæ ille allegat inveniuntur in illis quatuor libris Euſebii.

XV. Silvest. At verò hæc illos de Conſtantini M. vitâ ſuperſtites libros ab Euſebio quidem, non autem ab Euſebio Pamphili Cæſarienſium in Palæſtina Epiſcopo, compoſitos eſſe probant.

XVI. Euseb. Ab hoc certè, non ab alio Euſebio compoſitos eſſe, documentum non contemnendum præbet Conſenſus M. Scriptorum ex quibus editi Codices nomen Euſebii Pamphili præfixum gerunt. Sed multò plura, quin & firmiora nobis argumenta ſuperſunt, inquit laudatus Hankius, quibus demonſtremus eoſdem libros à noſtro Euſebio ſcriptos, quod ille etiam (*f*) ulterius ex illis quatuor libris, ex Socrate, Sozomeno, Gelaſio Cyziceno, Nicephoro Calliſti & Theodore-

(*a*) de Byzant. rer. ſcriptor. part. 1. §. 175. p. 81. ſeqq.

(*b*) Lib. 1. c. 1.

(*c*) Phot. Cod. 127. p. 306.

(*d*) Vid. vit. Conſt. l. 1. c. 45. tit. c. 46. l. 2. tit. c. 13. 14. 35. lib. 4. tit. c. 45. Valeſ. interpr.

(*e*) Lib. 1. c. 1. Lib. 1. c. 8. l. 5. c. 22. vid. vit. Conſt. lib. 2. c. 64. ſeqq. l. 3. c. 13. & 14. l. 3. c. 17. & ſeqq. eod. Valeſ. interpr.

(*f*) Hank. à p. 83. uſq. ad pag. 86.

dore-

doreto, per longum probat. Et quis tot argumentis & teſtimoniis ſe non adduci patiatur, ut credat, illos quatuor de Imperatoris Conſtantini M. Vitâ ſuperſtites libros, de quibus agimus, ab Euſebio, non quocumque, ſed noſtro, ſcriptos eſſe?

SILVEST. Aërem verberas cum Hankio, & nihil conficis.

XVII. EUSEB. Aërem verbero cum Hankio, quid cogitas? Hankium rectè oſtendere, antiquos hiſtoricos, quos enumerat, contrarium manifeſtè indicare contrà Gothofredum, doctiſſimus (*a*) Pagius affirmat, & idem cenſet. Tu ne, me cum Hankio nil conficere, dicas? Illis hiſtoricis, quos Hankius producit, addere poterat (inquit Pagius) (*b*) Philoſtorgium, qui teſtatur, *illum* (Euſebium nimirum) *Hiſtoriam ſuam ad ea uſque tempora produxiſſe, quibus Liberi Conſtantini Magni in patris Imperium ſucceſſerunt*. Quæ verba (ſubdit Pagius) eſſe non poſſunt, niſi Euſebius libros de vita Conſtantini Magni ſcripſerit; cùm ejus hiſtoria Eccleſiaſtica in Monarchia Conſtantini, & in ejus Vicennalibus Nicomedienſibus deſinat; libri verò de Vita Conſtantini uſque ad ejus mortem & filiorum Imperium perducantur. Hæc Pagius. Sed hoc ipſum, quod Philoſtorgius memorat, Photius à me ſuprà citatus affirmat, videlicet Euſebium in illis de vita Conſtantini quatuor libris, quæcumque ad Eccleſiaſticam pertinentia hiſtoriam, ad extremum Imperatoris uſque finem perduxiſſe, id eſt: quando *liberi Conſtantini M.* ut Philoſtorgius ait, *in patris Imperium ſucceſſerunt*.

(*a*) Crit. An. 340. num. 15.

(*b*) Lib. 1. n. 1.

XVIII. SILVEST. Ad Hæc reſpondeo primò: Hankius oſtendit antiquos hiſtoricos manifeſtè indicare, libros de Vitâ Conſtantini ſcriptos ab Euſebio, quod tamen non aliter fit, niſi ex ipſis de Vita Conſtantini libris & è titulo Euſebii nomine illis præfixo, ex quibus antiqui occaſionem nacti crediderunt, hos libros omninò ab Euſebio eſſe compoſitos. Verùm de titulo dubium eſt, & in quæſtionem venit, num titulus juſtus aut rectus, vel non potiùs falſus aut ſpurius? Si enim titulus dubius aut planè falſus, cætera quæque cum titulo & no-

Digitized by Google

nomine Euſebii cohærentia, dubia imò falſa eſſe, cunctaque producta veterum teſtimonia ruere, neceſſe eſt. Quamobrem, cùm neque ea, quæ paſſim in capitibus & præfixis illis indicibus Euſebii nomen exprimunt, hoc ipſo etiam iſta ab Euſebio eſſe ſcripta probent: Hankius minùs rectè oſtendit libros de Vitâ Conſtantini ab Euſebio eſſe compoſitos.

XIX. Reſpondeo ſecundò: Philoſtorgii ac etiam Photii *verba eſſe non poſſunt*, ubi narrant Euſebium hiſtoriam ſuam eo uſque, ideſt ad An.Chr. 337. perduxiſſe, quando Liberi Conſtantini M. in Patris Imperium ſucceſſerunt. Firmiora ſiquidem occurrunt argumenta, quibus demonſtratur, Euſebium hiſtoriam non ultrà, niſi ad Vicennalia Conſtantini, id eſt ad An.Chr. 326. perduxiſſe, prout Pagius ipſe ſuprà inſinuat, & alibi confirmat.

Euseb. Pagius hiſce contrarius non eſt.

XX. Silvest. Quàm maximè contrarius eſt. Siquidem Philoſtorgii, ac per conſequens Photii verba ipſe refellit, demonſtrans Euſebium hiſtoriam ſuam terminaſſe in Vicennalibus Conſtantini An. 326. Argumentum ſumit ex Gennadii libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Theodoreto loquens ait, (a) incœpiſſe eum *à fine librorum Euſebii, id eſt, à Vicennalibus Conſtantini*, quæ celebrata fuerunt An. 325. Nicomediæ, & 326. Romæ. Si ergò ab illo tempore Theodoretus ſuam hiſtoriam ſcribere auſpicatus eſt, à fine librorum Euſebii, & ubi Euſebius ſuam terminavit hiſtoriam, clarum eſt, hiſtoriam, quæ in quatuor de Vitâ Conſtantini libris ad annum 337. continuata comprehenditur, non ſcripſiſſe Euſebium. Cumque Philoſtorgii & Photii verba eſſe non poſſint, Euſebius non ſcripſit Vitam Conſtantini.

(a) Pag. Crit. An. 326. n. 12. in fin.

XXI. Euseb. Gennadius videtur tantùm loqui de decem libris hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quos Euſebius ad dicta Vicennalia produxit; Theodoretus autem ab eo tempore ulterius continuavit, & hoc non impedit, Euſebium ſcripſiſſe vitam Conſtantini.

XXII. Silvest. Si Euſebius ſcripſiſſet vitam Conſtantini,

ni, falſitatis arguerentur Gennadius & Theodoretus, cùm præſertim Gennadius ſcribat *à fine librorum Euſebii, id eſt, à Vicennalibus Conſtantini*, cœpiſſe Theodoretum ſuam hiſtoriam; ubi certè omnium, præſertim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebianæ, librorum finem intelligit, quod teſtimonium autem à Gennadio prolatum Pagius ratum habet, utpote à Theodoreto confirmatum, qui ſic ait: (*a*) *Euſebius genere Palæſtinus, à Sanctorum Apoſtolorum temporibus exorſus, res in Eccleſia inde uſque ad tempora Conſtantini Imperatoris Sanctiſſimi geſtas conſcripſit: ſic ego ex illo ipſo tempore, quo ab eo deſitum eſt ſcribere, initium hiſtoriæ ducere ſtatuo.* Sequitur mox titulus capitis ſecundi: *Unde cœperit Arianorum hæreſis.* Poſt quæ pauca de impio Licinio memorat, tandem pergit narrare de Arianæ hæreſis origine, ſicque caput ſecundum, Libri primi ſuæ hiſtoriæ, rectè ibi incipit, ubi Euſebius caput ultimum, libri decimi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, finit. Idem Gennadii teſtimonium confirmat etiam (*b*) Socrates: *Res in Eccleſia geſtas*, (inquit ille) *Euſebius cognomento Pamphilus decem omninò libris complexus, hiſtoriam ad tempora ſolum Conſtantini Imperatoris deduxit.* Sic etiam (*c*) Sozomenus: *Aphricanum præterea*, (ait) *& Euſebium cognomento Pamphilum ..... idem ipſum ad ſua ipſorum tempora ſcribere aggreſſos, eas ſolum res quæ poſt Chriſti ad Cœlos aſcenſum uſque ad necem Licinii in Eccleſiis geſtæ ſunt, & ad noſtram venere notitiam, in duobus libris ſummatim perſecutus ſum.* Et (*d*) Photius: *Euſebii Eccleſiaſticæ hiſtorię libri decem. Auſpicatur à Nato Chriſto vero Deo noſtro, & per Tyrannorum tempora accuratè progreſſus, ad Conſtantini M. Imperium pertingit, diligentius quę in Eccleſiis ſub illo, & ab illo inſtituta, decretaque ſunt, pertractans.* Ex quibus patet, quòd, cùm Vitæ Conſtantini libri quatuor ea, quæ poſt necem Licinii & poſt Vicennalia Conſtantini, ſub hoc Imperatore ulterius, uſque ad mortem ejus per duodecim annos, in Eccleſia geſta ſunt, in ſe contineant: Gennadius verò & alii citati Auctores dicant, Euſebium hiſtorię ſuæ finem impoſuiſſe in Vicennalibus Conſtantini, atque eam

(*a*) Theodoret. l. 1. c. 1. p. 591.

(*b*) Lib. 1. c. 1. p. 389.

(*c*) Lib. 1. c. 1. p. 717.

(*d*) Cod. 27. p. 306.

Digitized by Google

non ultra perduxiſſe; ab his ſcriptoribus libri quatuor de Vitâ Conſtantini, ab Euſebii operibus & libris hiſtoricis excludantur, & nequaquam inter illos reputari videantur; qui certè ſatis clarè non tantùm de libris decem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſed de cunctis Euſebii operibus, & libris hiſtoricis, in Vicennalibus Conſtantini terminatis, loquuntur.

XXIII. Euseb. Ad hoc tibi facilè paucis reſpondeo: Theodoretus, Socrates, Sozomenus & Photius diſtinguunt hiſtoriam Eccleſiaſticam ab illis Euſebii quatuor libris de vita Conſtantini. Dicunt illi quidem, Euſebium deſiiſſe ſcribere hiſtoriam Eccleſiaſticam in Vicennalibus Conſtantini, ſed per hoc non negant, ſcriptos ab eo illos libros quatuor; quos illi æquè enumerant, affirmantque eos ab Euſebio fuiſſe exaratos.

XXIV. Silvest. Quô fundamentô horum aſſertiones de Vita Conſtantini nitantur, ſuprà dixi. Et dico, eos decipi potuiſſe ex falſis titulis cùm prologo, tùm capitibus præfixis. Nec ex hoc ſequitur, quòd Euſebius aliquoties (ut Hankius dicit) ſe ipſum nominet in illis libris, hos ab eodem etiam eſſe ſcriptos. Si dicis Theodoretum & alios affirmare Vitam Conſtantini ſcriptam eſſe ab Euſebio, tunc negas cum ipſis Euſebium ſuos libros & hiſtoriam Eccleſiaſticam terminaſſe in Vicennalibus Conſtantini, quod tamen veriſſimum eſt, & Pagius non negat. Quomodo verum erit affirmare Euſebium ſcribendo deſiiſſe, An. 326. in Vicennalibus Conſtantini, & ſimul dicere perduxiſſe hiſtoriam ad annum uſque 337. ideſt Undecimum, poſt Vicennalia Conſtantini, annum? Sed priorem Theodoreti & aliorum opinionem, quæ vera eſt, confirmat etiam S. Hieronymus, qui Græcum Chronicon ab Euſebio magno ſtudio elaboratum, & ad Vicennalia Conſtantini perductum latinè reddens, continuavit ulterius. Euſebii ultima verba in illo Chronico ſunt: *Vicennalia Conſtantini Nicomediæ acta, & ſequenti anno Romæ edita*. Quod eſt An. Chr. 325. & 326. Imperii Conſtantini XX. & XXI. His Euſebii ultimis verbis ſubjunctum legitur apud (*a*) Aubertum Miræum: *Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi Chronicon explicit*; & apud

(a) Chronic. Euſeb.

(*a*) Ar-

(*a*) Arnaldum Pontacum: *Euſebii Cæſarienſis Chronicon finit.* Ubi ſtatim Hieronymi Chronicon incipit, his ipſius S. Patris verbis: *Hieronymi Presbyteri Chronicon.* (*b*) *Hucuſque Hiſtoriam ſcribit Euſebius Pamphili Martyris Contubernalis*; *cui nos iſta ſubjecimus.* Quæ autem partes fuerint Sancti Hieronymi in tradendo latinitati Euſebii Chronicon, atque ſuum addendo, ipſummet audi, qui in præfatione ejuſdem Chronici ſic ait: *Sciendum etenim, me eſſe & interpretis & ſcriptoris ex parte officio uſum: quia & Greca fideliſſimè expreſſi, & nonnulla, quę mihi intermiſſa videbantur, adjeci in Romana maximè hiſtoria, quam Euſebius hujus Conditor Libri non tàm ignoráſſe, utpotè eruditiſſimus quam ut Gręca ſcribens, parum ſuis neceſſarium perſtrinxiſſe, mihi videtur. Itaque à Nino & Abraham uſque ad Trojæ captivitatem pura Græca tranſlatio eſt. A Troja uſque ad vigeſimum Conſtantini annum nunc addita, nunc mixta ſunt plurima, quæ de Tranquillo & cæteris illuſtribus hiſtoricis curioſiſſimè excerpſimus. A Conſtantini autem ſupradicto anno, uſque ad Conſulatum Auguſtorum Valentis Sextum & Valentiniani iterùm, totum meum eſt.* Quibus omnibus S. Pater perſpicuè demonſtrat, ac verbis illis: *Hucuſque hiſtoriam ſcribit Euſebius*, clarè docet Euſebium hiſtoriam ſuam, atque Chronicon, nonniſi uſque ad Conſtantini Vicennalia perduxiſſe, in iiſque deſiiſſe. Qualis ergò illa hiſtoria eſt, quæ poſt Vicennalia, imò poſt Tricennalia Conſtantini, de ejus vitâ & geſtis in Eccleſiâ, nomine Euſebii ſcripta ejuſque titulô inſignita, circumfertur? Meminerunt quidem vitæ Conſtantini Theodoretus & alii, at S. Hieronymus ejus non meminit, quod valdè mirantur (*c*) Voſſius, (*d*) Miræus, (*e*) Poſſevinus, atque alii viri docti, præteriri nempe ab Hieronymo libros IV. de Vita Conſtantini, qui hodiè extant.

XXV. Euseb. Hactenùs à te ſatis fusè & lepidè prolata, nihil aliud evincunt & docent, quam ſcriptam ab Euſebio hiſtoriam Eccleſiaſticam, atque ejus Chronicon ad Conſtantini Vicennalia perducta, eodem tempore fuiſſe publici juris facta. Ità cenſendum eſt cum (*f*) Cl. Pagio qui ait: Hiſtoriam

(*a*) In eodem Chron.

(*b*) Vid. S. Prof. per. hoc loco in Chron.

(*c*) De Script. Græc. lib. 2. c. 17.

(*d*) Biblioth. Eccl. c. 81.

(*e*) App. Sac.

(*f*) Crit. anno 326. n. 18. in fin.

autem illam (Euſebii) occaſione Vicennaliorum Romanorum Conſtantini hoc anno (ideſt 326.) publicavit, quod indicat Gennadius in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ubi de Theodoreto loquens ait, incepiſſe eum *à fine librorum Euſebii, ideſt, à Vicennalibus Conſtantini*, a Vicennalibus nempè Nicomedienſibus. Sed, cùm in ea hiſtoria Chronicon ſuum citet & corrigat, liquet, anno præcedenti Chronicon, currenti verò (326.) hiſtoriam in lucem emiſſam. Hæc Pagius. Quæ cùm ita ſint, nihil impetit, quin Euſebius poſt Vicennalia præterquam alia ſcripſiſſet opera vitamque Conſtantini, atque res in Eccleſia geſtas perduxiſſet uſque ad ultimum hujus Imperatoris annum.

XXVI. Silvest. Non nego, fieri potuiſſe, ut Occaſione Vicennaliorum Conſtantini Euſebius hiſtoriam Eccleſiaſticam cum Chronico eodem tempore jam abſolutã publicaſſet, ſed tantùm dubito, num id factum fuerit. Nam ex Gennadio, atque etiam ex textu Euſebiano, initiô ejus numeri duodecimi recitato apud Pagium, hoc planè non liquet, & Euſebium tunc temporis ob Nicænum Concilium, & gravia Arii diſturbia, adeò ſolicitum & in abſolvendis publicandiſve ſcriptis ſuis hiſtoricis adeò accuratum fuiſſe, ut credam, non perſuadeor. Multò enim veriſimilior eſt (a) Valeſii, Blondelli & Dallæi opinio, qui Euſebii Eccleſiaſticam hiſtoriam aliquot annis poſt Nicænum Concilium eſſe abſolutam & publicatam cenſent. Id ſatis liquidò Euſebius ipſe indicat, qui, poſtquam in libri decimi ſive ultimi, capite ultimo perſtrinxiſſet, quomodo Conſtantinus M., extinctô Liciniô Tyrannô, Orientem in ſuam redegit poteſtatem: atque Romanorum Imperium, ſicut olim fuerat in unum redegit, ac propterea omnes mundi plagæ an. 324. tranquillam obtinuerant pacem, hæc ſubjicit, ſuamque, hiſtoriam finit: (b) *Proinde metus, tyrannidis, quâ antè premebantur, tum ex hominum vita prorsùs ſublatus fuit: tunc frequentes conventus acti, tum feſti dies celebrati: tunc omnia lætitia redundarunt. Tunc qui antè demiſſa & contracta fronte erant, hilari vultu & læto oculorum obtutu aſpexerunt: tunc*

(a) Vid. Pag. loc. cit.

(b) Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 10. c. ult.

tunc choreis, tunc hymnis tàm per ſingulas civitates, quàm per agros, primùm Deum ſummum omnium Regem eſſe, huncque reverà eſſe prædicarunt: deinde pium Imperatorem, ac liberos Deo inprimis charos, laudibus extulerunt. Tunc veterum nulla recordatio malorum, tunc omnis impietatis oblivio, tunc ſuavis præſentium bonorum uſus & oblectatio, tunc jucunda expectatio futurorum: tunc denique non decreta ſolùm Imperatoris, Victoris Illuſtriſſimi, plena humanitatis, plena Clementiæ, verum etiam leges, eximia magnificentiæ illius & veræ pietatis indicia complectentes, in locis quibuſque divulgatæ. Iſta, præſertim vox *tunc*, non unum idemque, ſed planè diſtinctum tempus ab illo tempore, quô hæc ſcripta & publicata ſunt, denotant; tempus nempè pluſquam perfectum, magiſque remotum à tempore compoſitionis & publicationis hujus hiſtoriæ. Quemadmodùm autem certum hiſtoriæ Euſebianæ publicationis tempus aſſignari non poteſt; ità res cunctis incognitiſſima, quando hiſtoria & libri quatuor de Vitâ Conſtantini in lucem prodierunt.

Euseb. Non intereſt, utrum iſti libri, quos ſcripſit Euſebius, vivente Auctore, vel poſt ejus mortem in lucem prodierint.

XXVII. Silvest. Multùm ſanè intereſt. Si etenim, ut credis, Euſebius hos libros compoſuit, non tamen vivente eo, ſed poſt obitum ejus fuerunt in lucem emiſſi, maximè ſuſpecti de interpolatione redduntur & corruptione.

Euseb. Quis hoc attentare fuiſſet auſus?

XXVIII. Silvest. *Acacius Luſcus* Diſcipulus, & in Epiſcopatu Euſebii Pamphili ſucceſſor, quem *ad omnem impietatem audaciſſimum* ex (*a*) S. Athanaſio noſcis. Quare ob hactenùs allegatas aliaſque ipſis compertas rationes, non immeritò Gothofredus, & Dorſchæus libros quatuor de Vita Conſtantini ſuſpectos habuerunt.

(a) Epiſt. ad ſolitar.

Euseb. Quid eſt, quod iſti habent in contrarium?

XXIX. Silvest. Gothofredus in Epiſtolâ, quam Jacobi Pacidii nomine ad Andream Rivetum de interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione, an. 1648. ſcripſit, primum

primum ſeparatim editâ, quæ cum aliis deindè Gothofredi Opuſculis Genevæ an. 1654. in lucem prodiit, agens de Conſtantino, & ejus Vitæ Auctore hæc habet: (*a*) *Si fides habenda vitæ ipſius Scriptori, Euſebius hic Cæſarienſis jam olim falsò creditus*. Idem in Diſſertationibus ad Philoſtorgium ait: (*b*) *Sic & Auctor Vitæ Conſtantini lib. 3. c. 48. (alius omninò ab Euſebio Cæſarienſi, qui etiam velut Iconomachorum patronus in Concilio Niceno II. repudiatus fuit) ſcribit*. Similem in modum illos de Conſtantini Vita Libros, tanquam incerti Conditoris opus, Euſebii prætermiſſo nomine, citat in iiſdem Diſſertationibus, & in Commentariis ad Codicem Theodoſianum, ac in legum Chronologia, per totum; quam Gothofredi opinionem approbat Dorſchæus in exercitatione ad Concilii Nicæni primi Diatypoſin de Sacra Synaxi Cœnæ Dominicæ inquiens (*c*) *Euſebius Cæſarienſis de Vitâ Conſtantini, ſi modo Euſebius librorum iſtorum Auctor eſt*. Quamobrem ad Gothofredi exemplum, eoſdem libros, non ſub Euſebii, ſed *Auctoris* nomine citat.

(*a*) Gothof. Epiſt. ad Riv. edit. Genev. p. 37.

(*b*) Id. Gothof. differt. ad Philoſt. lib. 7. c. 3.

(*c*) Dorſch. ſect. 1. §. 22.

Euseb. Quale Argumentum eſt, quod Gothofredus ex Concilio Nicæno II. deſumit: & quis ille Iconomachorum Patronus?

XXX. Silvest. Varia in Actis illius Concilii habentur, quæ revera Gothofredo non tantum ad ſuſpicandum, verum etiam ad aſſerendum, quod dixit, occaſionem præbere potuerunt. Ibi enim, ubi potiſſimùm ea quæ ad legitimum probandum Sanctarum Imaginum uſum ſpectant, prolata, atque alia, quibus oſtenditur, Theopaſchitas, ſive Iconomachos ſuam hæreſim de abolendo Sanctarum Imaginum uſu, & cultu hauſiſſe à Judæis, Saracenis, Gentilibus, Samaritis, & prioribus hæreticis, memoriæ prodita inveniuntur, (*d*) Actione V. de Euſebio hæc leguntur: *Taraſius Patriarcha dixit: Euſebium Pamphili tanquam teſtem adduxerunt illi, qui contra Sanctas Imagines nugantur: adducunt autem Epiſtolam illius ad Conſtantiam Licinii Uxorem ſcriptam.*

(*d*) Labb. Harduin. Concil. Tom. 8. col. 1443.

XXXI. (*e*) Actione VI. ità legitur: *Epiphanius: Quis au-*

(*e*) Ibid. col. 1474.

autem illos non deteſtetur, cum Eccleſiam cum Ario, & Dioſcoro, & Eutyche, & Acephalorum hæreſi erraſſe dicant? Hos ſanè illi Magiſtros, & novæ hæreſeos ſuæ Anteſignanos habent. In ſubſequentibus etiam Euſebius Pamphili ab illis in teſtem advocatur: qui tamen ab omni Catholica Eccleſia Arianæ hæreſeos defenſor eſſe cognoſcitur. Poſt alia: *Gregorius: Similiter, & Euſebius Pamphili ad Conſtantiam Auguſtam, petentem ſibi imaginem ad ſe ab illo mitti, talia dicit: Quoniam autem de Chriſti Imagine ad me ſcripſiſti, ut tibi mitterem, velim mihi ſignifices, quamnam putes Chriſti Imaginem, utrum illam veram & incommutabilem, naturæ illius characteres ferentem; aut hanc quam propter nos aſſumpſit, ſervilem formam pro nobis induens. Sed ſanè de Divinâ formâ non arbitror etiam ipſe ego te eſſe ſolicitam, cum fueris ab illo edocta, (a) neminem Patrem cognoviſſe præter Filium, neque ipſum Filium condignè quempiam cognoviſſe, niſi qui illum genuit Pater.* Et poſt alia: *Si omninò ſervi requiris imaginem formę, & carnem quam propter nos induit: ſed & hanc gloriæ Deitatis ſuæ commixtam eſſe didicimus, & paſſam mortuamque.* Et poſt pauca: *Quis igitur gloriæ ejuſcemodi, & dignitatis ſplendores lucentes, & fulgurantes effigiare mortuis, & inanimatis coloribus, umbratili picturâ poſſet? cum neque divini illius Diſcipuli (b) in monte illum contemplari quiverint, qui cadentes in faciem ſuam, non poſſe ſe ejuſcemodi ſpectaculum inſpicere, confeſſi ſunt.* &c. Deindè: *Hujus igitur ſocietatis exiſtens, & Euſebius (quemadmodum ex illius Epiſtolis, & hiſtoricis commentariis demonſtratum eſt) Imaginem Chriſti Theopaſchitarum more rejicit: qua de cauſa, & Conſtantiæ Licinii Uxori ſcribit, apud ſe imaginem non reperiri. Nam & in eâdem epiſtola dicit, quod illius incarnata forma in Deitatis naturam mutata ſit. Nemo tamen Sanctorum Patrum ſic ſentit, aut docuit. Neque enim veritas ſic ſe habet.* Quare ob hæc & ſimilia in Actione V. producta, (c) *Sanctiſſimus Patriarcha interrogando dixit: Recipimus hoc? Sancta Synodus dixit: Nequaquam Domine. Hic reliquis nobis majore odio proſequendus.* Poſt plura:

(a) Matt. 11.

(b) Matt. 17.

(c) Ibid. Concil. Tom. 8. in Act. Nic. Concil. II.

ta: *Vicarii Hadriani Papæ veteris Romę, dixerunt: ipſa lectio indicat, quod Arianorum ſententiam ſapiat: habet enim antè lectus Euſebii Pamphili liber, & alias blaſphemias, quas Synodus audire reſpuit. Sanctiſſimus Patriarcha dixit: libros illos rejiciamus. Sancta Synodus dixit. Rejicimus, & anathematizamus.* Et infra: *Sanctiſſimus Patriarcha dixit: Oſtenſa ſunt commentaria Euſebii aliena eſſe à S. Eccleſia Catholica.* Hæc ex Actis Nicænæ Synodi II., ex quibus Gothofredus ſuum deprompſiſſe videtur argumentum.

XXXII. Euseb. Sed Gothofredus non videtur intelligere Euſebium Pamphili, adeò gravi à Patribus cenſurâ perculſum; ſed alium, quem ille vocat Iconomachorum Patronum. Quod ex parte veriſimile eſt, cùm Hankius doctè oſtendat, prorsùs incertum eſſe, an Euſebius Arianis, vel Orthodoxis annumerandus ſit, in cujus ſententiam (*a*) Pagius pedibus it libens, volenſque.

(*a*) Crit. An. 325. n. 25.

XXXIII. Silvest. Quomodo Euſebius Arianis non annumerandus, quem tota Sacra Synodus ut talem declarans damnavit, libroſque ejus & qui eos legunt anathematizavit? Nam laudatâ Actione V. hæc etiam *Sacra Synodus dixit; Anathema, & libris illis:* (Euſebii) *& qui illos legunt.* An, & qui illos defendunt?

XXXIV. Euseb. Sed (*b*) Pagius ait: Hankium referre Auctorum antiquorum loca, qui eum poſt Concilium Nicænum tàm Orthodoxis, quam Arianis adſcribunt; tandemque concludit, viâ tutiſſimâ videri illos incedere, qui poſt Synodum Nicænam Euſebium Arianum fuiſſe, neque negantibus, neque affirmantibus accedentes, judicium ſuum ſuſpendunt. Hæc Pagius. Quibus, cùm non contradicat, ille conſentit, hoc ſolùm addens: *Tot ambagibus hæc quæſtio intricata eſt:*

(*b*) Loc. cit.

XXXV. Silvest. Si Euſebium Arianæ impietatis nihil aliud poſt Concilium Nicęnum convinceret, dico ſolos libros quatuor de Vita Conſtantini, quos paulò ante mortem ſcripſiſſe dicitur, eum ad mortem uſque probare Arianum. Sed hoc

hoc ipſum, cùm in quæſtione ſit, num Euſebius illorum librorum Auctor? ſolùm nunc videndum eſt, anne iſte Euſebius Pamphili recitatam in Nicæna Synodo Epiſtolam ad Conſtantiam Licinii Uxorem ſcriptam, exaraverit? Cujus occaſione, & Auctor, & libri ejus anathematis fulmine percuſſi ſunt. Deinde, anne Gothofredus hac eadem occaſione Auctorem librorum de Vita Conſtantini jure ſuſpectum reddiderit?

XXXVI. Euseb. Dicas priùs velim; quid cenſes cum Hankio, & Pagio? Poſtmodùm ut lubet, loquere de Gothofredo, qui, ut mihi apparet, Auctorem epiſtolæ ad Conſtantiam ſcriptæ diſtinguit ab Euſebio.

XXXVII. Silvest. Cum Hankio,& Pagio craſſum judicium meum libenter ſuſpendo, & Euſebium Pamphili Arianum fuiſſe nec affirmo, neque nego, eam quidem ob cauſam, quam laudatus Pagius rectè allegat, quæſtionem nempè hanc multis ambagibus eſſe intricatam. Solum indifferenter refero, quæ ipſa æquitas poſtulat,& veritati conſentaneum eſt. Accuſatus & damnatus eſt à Patribus Euſebius Pamphili, præcipuè ob epiſtolam ad Conſtantiam ſcriptam; atqui hic Euſebius non probatur, ullo tempore veniſſe in Conſtantiæ Licinii Uxoris notitiam, vel ſolitam cum illa habuiſſe correſpondentiam. Benè verò conſtat, & probatur, presbyterum quendam veniſſe in notitiam Conſtantiæ, prout pluribus in tertio Colloquio demonſtravi. Sed cùm iſte cum Conſtantia aliquando certam habuerit notitiam; veriſimile eſt, Conſtantiam initâ familiaritate cum presbytero, non ad Euſebium Pamphili, ſed ad hunc presbyterum dediſſe litteras, petiiſſeque ab eodem Chriſti Imaginem, quam apud ſe invenire correſpondens in ſua reſponſoria negavit. Quis ille presbyter? haud obſcurè in dicto Colloquio indicavi, eum nimirum probabiliter fuiſſe *Acacium Luſcum* Euſebii diſcipulum, commorantem utique plerumque Cæſareæ in Palæſtina apud Magiſtrum, antequam à Conſtantia moriente Fratri ſuo Conſtantino M. commendatus in notitiam Imperatoris ejuſque

M gra-

Digitized by Google

gratiam veniret, adſcituſque eſſet ad Aulam. Et Arius, ut Mundum univerſum deciperet, antè Sororem Principis non per Euſebium, ſed per presbyterum decepit. Accuſatus, & damnatus eſt Euſebius Pamphili ob Arianam hæreſin & Iconomachorum impietatem; ex eadem epiſtola ad Conſtantiam data. Sed Euſebius hic non videtur Theopaſchita, aut Iconomachus, qui in notoriis ſuis libris Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aliter ſentit, non contrà, ſed pro cultu SS. Imaginum ſcribens eumque commendans. Poſtquam enim in Civitatis Cæſareæ Philippi, & Mulieris Evangelicæ ſanguinis profluvio afflictatæ, & curatæ à Servatore noſtro mentionem incidit, refert Mulierem illam præ foribus domus trophæum, duas nimirum ſtatuas Æneas; unam viri erectam Imaginem: alteram mulieris genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis effigiem erexiſſe; quibus ſubdit: (*a*) *Hanc ſtatuam, effigiem Jeſu exprimere dicunt: quam ad noſtram uſque ætatem manentem, ipſi ad eam Civitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum, eos qui ex gentilibus prognati, à Servatore, dum inter Homines vivebat, beneficiis affecti fuiſſent, iſta effeciſſe: cum & nos Petri, & Pauli Apoſtolorum, & Chriſti etiam ipſius Imagines in picturis, colorum varietate expreſſas, conſervataſque aſpexerimus: idque propterea, ſicut veriſimile eſt, quod majores noſtri ad gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quàm proximè accedentes, eos qui tanquam Servatores illis fuiſſent, id eſt, qui illis aliquid ſalutis, & ſubſidii attuliſſent, apud ſe honore ad hunc modum afficere conſueverant. Jacobi enim Apoſtoli Cathedram (qui primus erat ad Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum à Servatore, & cęteris ejus Apoſtolis delectus, quemque fratrem Chriſti nuncupatum divina perhibent eloquia) ad iſtud tempus ſervatam, Epiſcopi qui illic ordine ſucceſſerunt, permagno ęſtimant: undè declarant perſpicuè, quemadmodum veteres Patres ad noſtram uſque ętatem Sanctis Viris, ob eorum veram ergà Deum pietatem, debitam venerationem, & tribuerint, & ad huc tribuere non ceſſent.* Quibus Euſebius SS. Imaginum atque etiam Reliquiarum cul-

(*a*) Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 7. c. 14. p. 164.

cultum non reſpuit, ſed approbat, teſtificans, quòd, licèt Chriſtiani cultu Imaginum ad gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quàm proximè acceſſerint, tamen non aliter, niſi in acceptorum beneficiorum memoriam, id factum fuerit, ac laudabiliter quidem *ob eorum veram ergà Deum pietatem*, non omnimodam, ſicut Gentiles, ſed *debitam venerationem* exhibuerint. Cùm itàque verba hæc Euſebii alia doceant, quàm quæ in ſcripta ad Conſtantiam epiſtola continentur, à verô planè abhorret Euſebium illius Epiſtolæ eſſe Auctorem. Quid tu cenſes?

XXXVIII. Euseb. Suſpectus quodammodo omninò videtur *Acacius*, partim ob familiaritatem cum Conſtantia, partim ob repugnantiam hiſtoriæ, quam de cultu Imaginum ex Euſebio recitaſti, & epiſtolæ ad Conſtantiam datæ. Si enim Euſebius citato loco ſe ipſum non purgaret, nota à Concilii Nicæni II. Patribus ipſi inuſta ſemper remaneret, & nequaquam ſubſiſtere poſſet Hankii, & Pagii ſententia: prorsùs incertum eſſe, an Euſebius Arianis, vel Orthodoxis annumerandus ſit. Affirmare ſiquidem neceſſe eſſet, Euſebium non tantum Arianum, ſed Iconomachorum extitiſſe Patronum, quod nec quidem Gothofredus admittit, qui alium & non Euſebium in illo Concilio repudiatum eſſe ſcribit.

XXXIX. Silvest. Atqui hunc alium ab Euſebio Cæſarienſi, dicit Gothofedus Auctorem Vitæ Conſtantini, cujus quator libros ſuſpectos reddit, tribuens illos Iconomachorum Patrono. Cum autem propter datam ad Conſtantiam, epiſtolam *Acacius* in ſuſpicionem venit: de Vitâ quoque Conſtantini, nemo magis iſtô ſuſpectus eſt; qui, ſi epiſtolam illam, quam is ſcripſerit, non ſuô, ſed falsô Euſebii Pamphili nomine vulgavit, dubium non eſt, quin & Conſtantini Vitam conſimili fraude in lucem emiſerit. Ipſi vitæ hujus libri reclamant, teſtantes eorum Conditorem non eſſe Euſebium Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Parentem, & Magiſtrum, ſed potiùs Diſcipulum aut Amanuenſem, materias ex Magiſtri libris depromentem ſuoque operi inſerentem. Quod colligendum

(a) Phot. Bibl. Cod. 127. p. 306.

eſt ex Cenſura Photii, qui ſic ait: (a) *Adferuntur verò loca plurima in his* (de Vita Conſtantini) *quatuor libris ex univerſa ejus* (Euſebii) *decem librorum Eccleſiaſtica Hiſtoria*; quod prorsùs alienum eſt ab Euſebio, res geſtas ſui temporis vel ab experientiâ, vel ex documentis ipſi, juſſu Conſtantini Imperatoris undique communicatis, non item ex propriis libris, jam juris publici factis exſcribere ſolitô. Ex his ipſis libris cognoſcitur Auctor Arianæ hæreſis Patronus ſtudioſiſſimus, Eunomio devotus, Scriptor ambitioſus, gloriæ cupidus, Eccleſiaſticæ Orthodoxorum Diſciplinæ Sacramentorumque proculcator, & irriſor, verbô non Hiſtoricus, ſed *Encomiaſta* invidus, & mendaciſſimus, quæ quantò minùs Euſebio: tantò magis *Acacio Luſco* conveniunt. *Acacius*, ait S. Hieronymus, *multos præterea diverſoſque tractatus compoſuit*. Socrates de eo: *cum alios complures libros, tum librum de Vita Præceptoris ſui Euſebii conſcripſit*. Sozomenus: Acacius *ſtudioſus Euſebii imitator factus ... cum ad inveniendum quid diceret, tum ad inventa Oratione explicanda adeo aptus fuit, ut perdiſertus evaderet, multoſque libros memorabiles poſt ſe relinqueret*. S. Athanaſius: Acacius *ad omnem impietatem audaciſſimus, cujus ſeveritatem intolerandam, & inexpugnabilem verſutiam reprehendit* Philoſtorgius Eunomianus. *Nam Acacius* (inquit Sozomenus ſuprà relatus) *neutiquam videbatur unus è multis* (ideſt, rara avis in Palæſtina) *ſed natura diſertus tùm ad intelligendum, tum ad dicendum, tùm ad eas res quas apud animum propoſuerat, reipſa perficiendas*. Totus, & in omnibus ſimilis presbytero quiConſtantinianum corrupit teſtamentum. Quæ cùm ità de Acacio allegata, & comprobata apud Veteres deprehendantur, nunc judices Euſebiane! an mirum ſit, quod, qui contra univerſam Eccleſiam, contrà ſingulos Epiſcopos Orthodoxos, præſertim contrà S. Athanaſium extrema ſemper tentavit, Symbolum Nicænum abrogando, & aliud ac rursùm aliud concipiendo, Epiſcopos & Romanum Pontificem Liberium ſuis ſedibus pellendo, omnemqne lapidem movendo, ut poſt mortem Conſtantini M. Arii regnaret opinio;

nio; hic Caco-Euſebius Pſeudo-Pamphilus poſt adeò gravia, & publica crimina, leviora quoque & occulta tentaverit, & vitam Conſtantini à ſe in tenebris conſarcinatam Euſebii Pamphili titulô, nomine, & auctoritate publicare non erubuerit?

COLLOQUIUM VI.

De Vitę Conſtantinianę quatuor Libris, Euſebio Pamphili potiùs falsò attributis, nunquam ab Eccleſia receptis, aut approbatis, ſed probabiliter inter Apogrypha rejectis; qui ad aſtruenda fidei dogmata, nunquam publicam obtinuerunt auctoritatem.

I. SILVEST. Diſcuſſo Vitæ Conſtantini Auctore, ſi lubet Euſebiane, ipſos nunc libros quoque trutinæ committamus; de quibus mox in veſtibulo quæſtio occurrit, num dicti libri aliquando ab Eccleſia, ſive Græca, ſive Latina fuerint approbati? Nam libris hiſtoricis debemus fidem, quibus Auctoritatem tribuit Eccleſia: quibus autem Eccleſia derogat, nos jure ſimiliter derogamus.

II. EUSEB. Euſebio, qui vitam Conſtantini deſcripſit, derogare fidem in rebus hiſtoricis Arianorum cauſam nullatenùs ſpectantibus, nec juvantibus, quia, ut aliqui putant, Arianus fuit, ineptum, & ineruditum eſt: Cùm Euſebium tanquam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Parentem venerata ſit antiquitas: cum ejus hiſtoriam *prǽclarè contextam, & laude dignam* (*a*) S. Hieronymus ſcripſerit. Cùm (*b*) Pelagius II. Romanorum Pontifex, ipſum hoc encomio exornet, *quid in hiſtoriographis inveniri Euſebio honorabilius poteſt?* Cum (*c*) Gelaſius Cyzicenus vocet Euſebium *Eccleſiaſtici fundi præſtantiſſimum aratorem, veri ſtudioſiſſimum, & inter veteres Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores fide digniſſimum*. Cum Chronicon Alexandrinum *prudentiſſimum Scriptorem* vocet, quo elogio & (*d*) S. Hieronymus ipſum commendavit. Cùm Gelaſius ejus hiſtoriæ libros, *propter rerum notitiam ſingularem, quæ ad in-*

(*a*) Epiſt. 65. & lib. 1. Apolog. adverſ. Rufin.
(*b*) Ep. 3. ad Ep. Iſtr.
(*c*) Lib. 2. c. 1.
(*d*) Epiſt. 65.

Digitized by Google

ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non eſſe renuendos decernat.

Silvest. Cuncta hæc Encomia loquuntur de Euſebio, ut Auctore hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſed non ut Auctore de Vita Conſtantini. Nam de quatuor libris Vitæ Conſtantini nec mentio quidem hic fit. Ecquis hic Gelaſius, cujus meminiſti?

III. Euseb. Gelaſius Papa, & Sanctus Pontifex Romanus; qui anno 494. Concilium Romæ 70. Epiſcoporum celebravit, in quo accurato Criterio libros Canonicos Scripturæ Sacræ, Oecumenica Concilia, & Scripta SS. Patrum, aliorumque Auctorum excuſſit, & certa ab incertis, & genuina ab adulterinis ſecreta, Apoſtolico roboravit Decreto.

Silvest. Quæ autem ſunt genuina Gelaſii verba, ubi in Euſebii librorum memoriam laudationemque incidit?

IV. Euseb. Hæc, ubi de Opuſculis SS. Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur, agit, ejus verba ſunt: (a) *Item Chronica Euſebii Cæſarienſis, atque ejuſdem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quamvis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit, & poſt in laudibus, & excuſatione Origenis Schiſmatici unum conſcripſerit librum, propter rerum tamen ſingularem notitiam, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos.*

(a) Diſt. 15. C. Sancta.

V. Silvest. At Gelaſius non meminit hiſtoriæ vitæ Conſtantinini. Solùm memorat de Chronico, & Libris decem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi in libro ſexto notatæ laudes, & excuſatio Origenis extant. Sicut igitur S. Hieronymus; ita quoque S. Gelaſius videntur ignoraſſe quatuor libros de Vita Conſtantini.

VI. Euseb. Nihil refert. Licèt enim Gelaſius eorum librorum nullam habuiſſet notitiam, ita ut poſteà primùm in Occidente fuiſſent publicati, tamen, ut conſtat, aliorum antiquorum ſcripta ante Gelaſium compoſita, poſt eum in lucem data, & nunc recepta eſſe, hactenùs à viris doctis ubique recepti ſunt, ac propterea publicam fidem obtinent, & auctoritatem.

VII.

VII. Silvest. Tranſeat hoc. Sed in eodem Decreto Gelaſiano, paulò infrà in *notitia Librorum Apogryphorum, qui non recipiuntur* ab Eccleſia, lego: *Hiſtoria Euſebii Pamphili apogrypha.*

VIII. Euseb. Aliam videtur hic Gelaſius notare, & reijcere Euſebii hiſtoriam, de qua, ut reor, non conſtat. Quid tu exiſtimas.

IX. Silvest. Varii variè diſcurrunt de hoc Gelaſii Papæ Decreto, *de Libris recipiendis, & non recipiendis*, ſivè *Apogryphis*, præcipuè de quibus loquimur, Euſeblii libris. Ut verò rem breviter expediam, doctiſſimi Cani opinionem audiamus, qui, ubi de Libris à Gelaſio rejectis, tractat, ſic ait: (*a*) *Hiſtoriam demum Euſebii Pamphili. In qua refellenda Gelaſius magna, ut mihi quidem videtur, prudentia eſt uſus. Nam quod Rhenanus dixit, verba hæc poſtrema Gelaſii* (quibus Hiſtoria Euſebii tanquam Apogrypha reijcitur) *non eſſe, ſed eſſe potiùs ab aſino quopiam adjecta, hoc inſolenter, ruſticè, imperitèque dixit. Principio quippe Pontifex ad hunc modum cenſuerat; Chronicon Euſebii Cæſarienſis, atque ejuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros &c.* recitat hic totum textum primum, deindè pergens inquit: *Poſtea verò ſic cenſet: Hiſtoria Euſebii Pamphili apogrypha. Quæ duæ ſententiæ cum contrariæ non ſint, tum ſunt etiam veriſſimæ, & nimis quam gravitèr, ac ſeverè latæ. Cur autem Gelaſius hiſtoriam Euſebii apogrypham pronunciarit, cauſæ ſunt ſanè plures atque vehementes.* Poſt quæ idem laudatus Auctor nonnullas cauſas ex decem Euſebii hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris adfert, ob quas Gelaſius eam hiſtoriam Euſebii apogrypham definierit. Poſt plura autem, diſcurſum de Euſebio concludens ait: *In cujus hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis Gelaſius oſtendit, cætera ſibi ac Concilio placuiſſe dum quædam diſplicuiſſe commonuit.* Quibus omninò Canus demonſtrat, Euſebii hiſtoriam Eccleſiaſticam in Decreto Gelaſiano partim approbatam, partim repudiatam, tandemque planè nimis gravitèr, & ſeverè veluti apogrypham fuiſſe notatam.

(*a*) Melch. Can. de hum. hiſt. Auct. lib. 11. c. 6.

X. Cla-

X. Clariſſimus Abbas Juſtus Fontaninus, qui vulgatum Gelaſii Decretum cum genuino ejuſdem Papæ Decreto, quod ex antiquiſſimo Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ, nongentis & amplius ab hinc annis ſcripto, publici juris fecit, & perdoctis obſervationibus illuſtravit, in Appendice libri, quod edidit, *de Antiquitate Hortæ Coloniæ Hetruſcorum*, occaſione hujus Decreti cùm Beati Rhenani, tum Melchioris Cani mentionem faciens explodit Rhenanum, qui in epiſtola præfixa Auctoribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à ſe collectis & Baſileæ editis apud Frobenium An. 1539. (a) *temerè putavit* (ait Fontaninus) *Gelaſium interdicere nobis voluiſſe Lectionem Euſebii, vel ab aliquo aſino adjectum in ejus Decreto, hiſtoriam Euſebii apogrypham eſſe: vel Gelaſium ſibi ipſi contrarium, ut qui in Decreto improbet librum alibi à ſe probatum: quæ omnia perperàm pronunciavit, non intellecta ſignificatione apogryphorum.* Poſt hæc ſubdit: *Hanc quidem ad mentem Gelaſii aſſecutus neque eſt preſtantiſſimus noſtre Religionis Interpres Melchior Canus, qui in Lib. 2. de locis Theologicis Cap. 6. impudentiam Rhenani redarguens opinatur, apogryphum à Gelaſio accipi pro reprobato, atque Euſebii hiſtoriam ideò inter apogrypha rejici, quia in illa Chriſti Domini, & Abagari amabocas epiſtolas retulerat, quę item à Gelaſio cum apogryphis numerantur; & quia multa teſtimonio Clementis Alexandrini firmaverat: cujus quoque opuſcula inter apogrypha recenſita ſunt à Gelaſio.* Tandem ex Richardo Montacutio, & Baronio refert, quod, *Gelaſii apogrypha non tanquam hæreticorum carcinomata, ſed ut talia, quę nequaquam inter hagiographas, & Canonicas Scripturas admitti debeant.*

(a) Antiq. Hort. p. 210.

XI. Verùm antequam de his, quæ ſentio pauca verba promam, tibi in memoriam revoco hoc ipſum Gelaſianum Decretum à laudato Fontanino ex antiquiſſimo Codice Vaticano editum, in quo ſervatis primigeniis Scripturæ nævis legitur: *Hiſtoria Euſebi Pamphili apogrypha*, in vulgatò enim: *Hiſtoria Euſebii Pamphili apogrypha*, quod omninò Rhenani aſſertum, dum dicit hoc in Gelaſii Decreto *ab aliquo*

aſino

aſino adjectum, manifeſtæ falſitatis convincit. Sed quod Rhenanus *temerè putavit*, ut Fontaninus inquit, *Gelaſium interdicere nobis voluiſſe lectionem Euſebii*, non planè temerè putaſſe videtur Rhenanus, ſecùs enim, ut ipſe infert, *Gelaſius ſibi ipſi contrarius eſſet, ut qui in Decreto improbet librum alibi à ſe probatum*;quæc ertè non perperàm Rhenanus pronunciavit.

XII. Igitur veniâ à Viris Clariſſimis Cano, & Fontanino rogatâ, liceat mihi, quod animi conjecturâ colligo, proferre, & dicere, me cum Cano, dum ait: *quæ duæ ſententiæ cum contrariæ non ſint, tum ſunt etiam veriſſimæ, & nimis quàm graviter ac ſeverè latæ*; duas à Gelaſio prolatas ſententias intelligere, ſed diſtinctas, & prorsùs contrarias, neque nimis quàm graviter ac ſeverè, ſed competenter, & in ordine latas. Certum namque eſt, præter Scripturam Sacram, & Auctores Sacros, omnium aliorum Auctorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros à Gelaſio fuiſſe ſecretos in duas claſſes, quorum alios à ſe, & Concilii illius Patribus approbatos & receptos, ad priorem: alios verò reprobatos & non receptos, ad poſteriorem claſſem repoſuit; ſingulos autem enumerans, de ſingulis quoque ſingillatim tulit ſententiam. Claſſi priori inſeruit *Opuſcula SS. Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur*, quibus omnem fidem, & auctoritatem tribuit, aliorum verò nonnullorum ſcripta notavit, non tamen rejecit, ſed propter rerum Eccleſiaſticarum notitiam, ad eandem claſſem ſpectare decrevit. Secundæ claſſis libros, *qui in Eccleſia Catholica non recipiuntur*, *vocat apogryphos*, eoſque ſine fide & auctoritate eſſe declaravit. Jam inter prioris claſſis approbatos, & receptos recipiendoſque libros recenſet Gelaſius: *Euſebii Chronica atque ejuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros*, de quibus poſteaquam eos ob Origenis defenſionem, & alia notaverat, ſententiam hanc tulit: *propter rerum tamen ſingularem notitiam, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos*; quæ ſententia non aliud, niſi præciſè Euſebii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros decem reſpicit, ubi in libro ſexto, ea, quæ Gelaſius reprehendit, de Origenis defenſione

N ex-

Digitized by Google

extant. Poſt hæc ſecundæ claſſis Gelaſius libros reprobatos, & non receptos nec recipiendos enumerans, eoſque apogryphos nuncupans, rursùm in Euſebii hiſtoriæ mentionem incidit, ferens hanc ſententiam: *Hiſtoria Euſebii Pamphili apogrypha*; quæ ſecunda ſententia certè alia, ac planè diſtincta eſt à priore, quippè ea non Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam jam approbatam, ſed aliam ab ea diſtinctam hiſtoriam reprobatam reſpicere videtur. Si diceremus poſteriorem hanc ſententiam ſpectare ad libros priores, tunc Gelaſius videretur priorem ſententiam, quam in favorem Euſebii tulit, invertere, & ſequeretur, quod putat Rhenanus, vel ultimam ſententiam *ab alio quopiam adjectam*, *vel Gelaſium ſibi ipſi contrarium eſſe*, *ut qui in Decreto improbet librum alibi à ſe probatum*. Quantum igitur ex his colligo, longè aliam, & ab Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica planè diſtinctam, ſecundo loco, Euſebii hiſtoriam fuiſſe intellectam à Gelaſio, ac quidem non aliam, niſi Vitæ Conſtantini hiſtoriam ſub falsò nomine Euſebii publicatam, & à Gelaſio rejectam arbitror. Cùm enim præter Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & quatuor libros Vitæ Conſtantini hiſtoricos, non conſtet de alia Euſebii hiſtoria, ac præterea Euſebii hiſtoriam de Vita Conſtantini ante Gelaſii tempora paſſim apud Auctores citatam inveniamus, planè veriſimile eſt, ſecundô locô non aliam, niſi de Vita Conſtantini Euſebii hiſtoriam, velut apogrypham, a Gelaſio fuiſſe declaratam, & rejectam.

XIII. Euseb. Quid inde? Licèt enim verum eſſet, Gelaſium ultimò locô, Conſtantini Vitæ hiſtoriam intellixiſſe, atque adeò illam quoque declaraſſe apogrypham, non tamen ſequitur illam ideò etiam eſſe rejectam. Quemadmodum enim Cl. Fontaninus idem argumentum pertractans perdoctè demonſtrat, *Probæ*, cujus Centonem Gelaſius itidem inter apogryphas ſcripturas rejecit, honori, & famæ nequidquam detrahere, ejus Centonis inter apogrypha rejectio; ita Euſebio non derogat conſimilis ejus hiſtoriæ rejectio. Quæ enim in Decreto (inquit (*a*) Fontaninus) apocrypha appellantur, ea

(a) In cit. Ant. 1. Hort. p. 216. ſeq.

eā omnia tanquam à Catholicis paſſim vitanda minimè damnantur: quod tamen putârunt Pearſonius & Caveus. Enim verò communi ſenſu veterum Patrum, quod inter apogrypha recenſetur, Canonicis libris, & publica in Eccleſia legendis tantùm opponitur. Unde S. Auguſtinus in fine capitis 23. libri 15. de Civitate Dei, de ſcriptis quibuſdam affirmat, *quod nomine apogryphorum ab Auctoritate Canonica diligenti examinatione remota ſunt*. Hinc graviſſimus Cardinalis hiſtoricus anno 31. numero 41. notat vulgatam epiſtolam Divini Servatoris Noſtri ad Abgarum cum ſua reſponſione à Gelaſio inter *apogrypha, quaſi non hagiographa, non tamen, ut eas omninò ab Eccleſia proſcribat, ſicut nec complures alios libros quos proximè recenſuit*. Hucuſque Fontaninus.

XIV. Silvest. Sed illa ſcripta quæ, ut citatus S. Auguſtinus ait, nomine apogryphorum *remota ſunt*, cenſentur etiam rejecta.

XV. Euseb. Duplicis generis fuiſſe apogrypha animadvertas cum (*a*) Chiffletio, Orthodoxorum, & Hæreticorum. Prima Canonicis opponebantur, ideoque publicè in Eccleſia legi non poterant. Secunda tanquam fidei, & bonis moribus repugnantia omninò damnata habebantur. Utraque apogrypha deſignari in Decreto Gelaſii obſervavit (*b*) Petrus de Marca, quippe ibidem præter libros hæreticos inter apogrypga recenſentur Clementis Alexandrini, Tertulliani, Arnobii, Lactantii, Euſebii, Probæ & aliorum opera, quia Gelaſius, qui libri legendi, quive non legendi eſſent definiens, *id de lectione publica in Eccleſiis facienda intelligere videtur*, ut ait (*c*) Mabillonius in curſu Gallicano, quam viri doctiſſimi interpretationem Fontaninus exoſculatur.

(*a*) Ad Vigil. Tapſ. p. 147. apud Fontan.

(*b*) De concord. l. 3. c. 2. ſect. 7.

(*c*) Pag. 385.

XVI. Silvest. Mabillonii ſententiam quoque veneror, eo magis, quod Geleſii mens non fuiſſe videatur, quoſcunque libros apogryphos indiſcriminatim omninò abſcondi debere atque ignorari, ſed pro non hagiographis, ut inquit Baronius, haberi: &, ut indicat laudatus Mabillonius, à lectione publica in Eccleſiis prohiberi; ità tamen, quòd, cùm

duplicis generis Orthodoxorum, & Hæreticorum apogrypha recenſeantur, Mabillonii ſententiam ſolùm de Orthodoxorum, non item de Hæreticorum apogryphis putem eſſe intelligendam, præſertim eorum, quorum ſcripta fidei, & bonis moribus repugnantias in ſe continent, quæ ſine dubio pro planè rejectis à Gelaſio atque damnatis cenſeri debent. Quamobrem Euſebii hiſtoria, ſive quod veriſimile eſt, ejus nomine conſcripta Vitæ Conſtantini hiſtoria, meritò à S. Gelaſio Papa in ſuo Decreto inter apogrypha rejecta, ac prorsùs damnata videtur.

XVII. Euseb. Non ità certò conſtat Euſebii hiſtoriam de Vitâ Conſtantini à Gelaſio inter apogrypha fuiſſe relatam, ac propterea planè damnatam, quam certò conſtat hiſtoriam ejus Eccleſiaſticam ab eodem Papa probatam.

XVIII. Silvest. Si non conſtat Euſebii hiſtoriam de Vita Conſtantini à Gelaſio inter apogrypha relatam, & damnatam, non etiam conſtat illam tunc approbatam, quod nec poſtea factum eſt. Imò ſi de Vita Conſtantini hiſtoriam Euſebio adſcribis, non te latet Nicæni Concili II. Patrum in Euſebii libros ſeveræ cenſuræ lata ſententia; quapropter hiſtoria illa ut ſemper, ità etiamnum defectu gravi laborat.

XIX. Euseb. Quis hic defectus? Cùm nec Gelaſius hanc hiſtoriam nominatim inter apogrypha rejecerit; nec dicti Concilii Nicæni Patres ut talem, aut damnatam ſpeciatim declaraverint.

XX. Silvest. *Liber apogryphus dicitur, cujus Auctor ignoratur, & ab Eccleſia non recipitur*; inquit (*a*) Gloſſa, & notavit (*b*) Bellarminus de Scriptoribus. Unde animo defectum conſequimur, nimirùm, ſi libri de Vitâ Conſtantini à Gelaſio non fuiſſent rejecti inter apogrypha, tamen pro talibus habentur, & dicuntur apogryphi, quia eorum Auctor, Euſebium certò eſſe, ignoratur. Quoniam verò illorum Auctor qualiſcumque demum, juxtà omnes, hæreticus & Arianæ hæreſis Fautor cognoſcitur, libri ipſius eo modo ut ſuprà de

(*a*) Ad C. Sancta, Diſt. 15.

(*b*) Ad an. 1145. de Gratian.

de Hæreticorum apogryphis dixi, ab Eccleſia non recipiuntur, nec à Gelaſio cenſeri poſſunt eſſe recepti.

XXI. Euseb. Ergò quod Pearſonius ſentit, in Decreto nempe Gelaſiano *omnia, quæ apogrypha appellantur, tanquàm à Catholicis vitanda, & ab Eccleſia eliminanda*, tu ſimiliter ſentire videris, & Libros de vita Conſtantini non tantùm ab Eccleſia non receptos, ſed ut apparet, abſcondi, & neſciri aut prorsus ab Eccleſia eliminari debere arbitraris?

XXII. Silvest. Non planè ſic. Sententia (a) S. Hieronymi, ad Lætam de Inſtitutione, filiæ ſcribentis præcedat. *Caveat*, inquit, *omnia apogrypha: & ſi, quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerit; ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ, aurum in luto quærere*. Quibus inſtruimur, non vitanda prorsùs aut eliminanda, ſed cavenda, & ab eo, qui legit, cautè eſſe legenda apogrypha, & ſi, quandoque ea, non ad dogmatum veritatem (nam ab hoc excludit S. Pater quæcumque apogrypha) ſed ad eruendam eruditionem legere voluerimus, ſcire nos oporteat, non eorum eſſe, quorum nomina præſeferunt, & quorum titulis prænotantur. Item ſcire: bona eſſe mixta malis; ne dum veritatis aurum in luto quærimus, & veritatem eruere aſtruereque putamus, fumum vendamus. Cumque præterea S. Pater apogrypha præcisè excludat à veritatis dogmatum lectione, ſanè magis excluſa animadvertimus ea à veritatis dogmatum aſſertione. Ità, non ſecùs cenſet Eccleſia, quæ propter utilem rerum notitiam apogrypha à Gelaſio virgâ cenſoria notata, etiamnum permittit, & non eliminat aut à Catholicis penitùs vitanda præcipit, ſed cavenda, vel cautè legenda cupit. Et cur nos apogrypha prorſus vitanda, aut eliminanda ſeveriùs cenſeamus?

(a) Epiſt. 15.

XXIII. Euseb. Sed ità cenſere videris, dum de Vitâ Conſtantini libros nimium, & immoderatè carpis, atque pro damnatis haberi, ac penitùs exauctorari cupis.

XXIV. Silvest. Hoc tibi perſuadeas, nolim. Non ultrà,

Digitized by Google

trà, niſi ſecundùm S. Hieronymi, & communem Eccleſiæ ſenſum de apogryphis, libros de vita Conſtantini carpo. Neque quoad totum illa certi hæretici Auctoris apogrypha dico reprobata penitùs, & axauctorata, ſed quoad ſpecialem eorum partem, dico actionem de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi, non tantùm à Gelaſio rejectam, & damnatam, verùm etiam ab univerſa Eccleſia ad ultimam Thulen relegatam.

Euseb. Quomodo autem, aut unde hæc probari poterunt?

XXV. Silvest. Ex ipſo Gelaſiano Decreto; ubi ſub titulo: *de Opuſculis SS. Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur*, Acta Silveſtri, in quibus hiſtoria de Baptiſmo Conſtantini Romano refertur, ſpecificantur, laudantur, & approbantur; ubi præterea Concilii illius Romani Patres, & S. Gelaſius Papa teſtantur, illa Acta *à multis in Urbe Roma Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo uſu multæ hæc imitantur Eccleſiæ*. Et hoc verum eſt; nam ea tempeſtate, ſicut in Occidente; ità etiam in Oriente, ſicut in Romana; ita etiam in Alexandrina Eccleſia, perconſequens, ut innuit textus, in multis quoque aliis Eccleſiis legebatur, & notiſſima fuit vera de Conſtantini Baptiſmo Romano hiſtoria, quod, uti S. Gelaſius de Occidentalibus, & Eccleſia Romana; ita S. Jacobus Sarugenſis, qui Gelaſii tempore floruit, apud Cl. Aſſemanum de Orientalibus; & Martyrologium vetus Alexandrinum apud Ecchellenſem de Eccleſia Alexandrina Melchitarum, ſive Catholicorum teſtificantur, ac poſtea in Nicæna Synodo ſecunda Oecumenica Patres hanc hiſtoriam comprobantes teſtificati ſunt; quam canonicam auctoritatem à Gelaſio, & dicti Concilii Nicæni Patribus confirmatam, hiſtoria de Baptiſmo Conſtantini Romæ ſuſcepto, etiamnum retinet, & ut tempore Gelaſii, nunc quoque in Dedicatione Baſilicæ Salvatoris IX. Novembris, & feſto S. Silveſtri XXXI. Decembris *publicè in Eccleſiis* legitur; quod autem alibi pluribus demonſtrandum erit. Si ergò res ità ſe habet, de qua tamèn, utpotè publicis iiſque ſinè exceptione majoribus teſtimoniis minimè dubitandum,

dum, quòd S. Gelaſius, & dicti Nicæni Concilii Patres, hiſtoriam de Baptiſmo Cônſtantiniano Romano, laudarint, approbarint, & genuinam eſſe declararint, de quâ & in eâ contentis etiam *Syros nullam in iis ſuppoſitionis, aut fabulæ vitium agnoviſſe* laudatus Aſſemanus teſtatur; fieri non potuit, quin Gelaſius relatam in libris Euſebianis de vitâ Conſtantini hiſtoriam contrariam de Baptiſmo Nicomedienſi verè apogrypham, & fictitiam damnaſſet, & veluti alienam, & proſcriptam ab Eccleſia tacitè declaraſſet, videlicet declarando *Euſebii hiſtoriam apogrypham*. Ex quibus conſequimur, hiſtoriam de Baptiſmo Nicomedienſi, eſſe reverà apogrypham, & minùs idoneum ab Eccleſia proſcriptum, & exauctoratum teſtimonium, ad aſſerendum Conſtantinum M. Nicomediæ eſſe baptizatum. *Apogryphum* namque ait (*a*) Lupus, idem eſt, ac ſine auctoritate, & inter apogrypha referre idem eſt, ac *exauctorare*. Nam inquit: *docet Gelaſius cum ſeptuaginta Epiſcopis viris eruditiſſimis, qui Scriptores eſſent recipiendi, ubi Fauſti ſcripta his verbis exauctoravit: Opuſcula Fauſti Regenſis apogrypha*; quod idem intellige de Euſebii hiſtoria, in eandem claſſem rejecta.

(*a*) Lup. in fin. Epiſt. 128.

XXVI. Euseb. Ego quidem acquieſcere vellem, verùm movet me, nondum dare me manus victas, eò quòd Joannes Porteſius, Wolfgangus Muſculus, Joan. Criſtophorſonus, & Henricus Valeſius, Euſebii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, atque etiam vitæ Conſtantini Interpretes, ſimile quidpiam ſuſpicati non ſint, proùt hactenùs retuliſti. Nullus illorum dubitavit de Auctore hujus vitæ, & quòd ea apogrypha foret, nec in mentem ipſis venit. Et quod magis admiror, eſt, quòd laudatus Valeſius abſque ulla hæſitatione, non tantùm integram illam vitam: verum etiam caput illud, in quo de Baptiſmo Nicomedienſi agitur, ſpecialibus iiſque doctiſſimis notis illuſtraverit, atque ſat multis, & ut videtur, ſolidis argumentis, & rationibus, Conſtantinum Nicomediæ baptizatum clarè demonſtraverit, quibus mihi fidem omnem fecit, eumque propterea confidenter cum recentioribus ſum ſequutus.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Silvest. Quod de Interpretibus generatim memoraſti, bilem quoque movit (*a*) Antonio Poſſevino, qui Porteſium corripit, eo quòd vitæ Conſtantinianæ nullas præfixerit cautiones. Sed quod Porteſius, & alii neglexiſſe videntur, ſupplevit laudatus Valeſius, qui pleraque teſtimonia veterum, qui aliquando cùm in laudem, tùm in vituperium Euſebii ſcripſerunt, magna curâ, & diligentiâ collegit, in duas partes diſtribuit, & Euſebianæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ præfixit. Quibus, ut ego quidem conijcio, doctiſſimus Vir, Lectorem tacitè admonere, cautumque reddere voluerit, ne omnia, quæ in Euſebio legit, ſingula temerè credat; quod etiam Scaliger, Pontacus, & alii in Chronico Euſebiano præſtiterunt. Notis verò, quod Valeſius vitam Conſtantini atque ipſum caput de Baptiſmo Nicomedienſi illuſtraverit, & probabilibus confirmaverit argumentis, ipſi nequaquam vitio vertas. Hic namque Vir Eruditiſſimus ex inſtituto interpretatus eſt vitam Conſtantini, atque compluribus caput illud illuſtravit; ſed ea, quæ ab hoc inſtituto aliena, & capiti illi, foris extrà vitam Conſtantini adverſantur, non pertractavit, nec litem diremit, ſed verſando in Euſebio, quem illuſtrare ſibi propoſuerat, noluit inconvenienter falcem mittere in alienam meſſem. Diſcuſſit ille Euſebianum de Baptiſmo Conſtantini aſſertum, atque ea, quæ huic favent, & favere poſſe videntur; propoſuit, & confirmavit, relinquens aliis, qui contra ſentiunt ſua diſcutienda, proponenda, & confirmanda. Quamobrèm, licèt Valeſius aſſertum Euſebianum perſpicuè demonſtraſſet, atque iis argumentis, quæ à veritate parum, & nihil à probabilitate abhorrere videbantur, clare illuſtraſſet; eo ipſo autem contrariam ſententiam de Baptiſmo Romano, obſcuriorem, & magis intricatam reddidiſſet, eam verò cùm intactam reliquit, neque tibi imputandum eſt, planiorem iniviſſe viam, & clariorem ſatiſque probabilem cum Valeſio ſequutum eſſe ſententiam. Verum enim verò, cùm longe aliter ſe habere rem, ut arbitror, animadvertas, & Euſebianum aſſertum exauctoratum, ruereque videas, cer-

(*a*) Apparat. Sacr. de Euſeb.

certum eſſe debet, etiam notas cunctaſque Valeſii argumentationes pro hujus aſſerti confirmatione productas ruere, & eſſe abſque auctoritate.

XXVIII. Cautela ſanè, quam laudatus Valeſius interpretationi ſuæ providenter inſeruit, quemque admonet, ut, dum Euſebium propter Arianæ hæreſis labem à priſcis aliquando graviter notatum experitur, providè legat Euſebii opera, nec facilis ſit in credendo, præſertim quoad dogmata, in quibus plerumque Euſebii auctoritas vacillat. In Chronico tantùm Euſebii inquit (*a*) Cuſpinianus: *Cautè legendus eſt Euſebius*. Et Scaliger (*b*): *Quanto majorem*, inquit, *diligentiam, ac judicium in tantis viris deſideramus, tanto impenſior danda eſt opera, ut non negligenter illorum ſcripta à nobis legantur. Nam & longe plura deprehendet Lector eruditus, majore ſtudio quàm judicio ab Euſebio & aliis veteribus collecta. Nos unum tantum Euſebium diſcuſſimus, quod iſte, ut diximus, omnium illorum veterum clauſula eſt. Itaque unum Euſebium noris, omnes noris*. Porrò quantum interſit Euſebii habere notitiam, præcipuè quando ejus fide, & auctoritate rei cujuſpiam controverſæ conamur aſtruere veritatem, tradunt Baronius, Bellarminus, Billius, Ribera, Poſſevinus in ſuis obſervationibus circà vitia, & errores in operibus Euſebii contentos.

(*a*) In Caſſiodor.

(*b*) In Elench. trihæreſ. c. 27.

Euseb. Non loquimur de aliis, ſed ſolum de libris Vitæ Conſtantini eſt diſcurſus. Quæ vitia aut errores continentur in illis?

Silvest. Satis pro hodierno colloquio; craſtina luce à veterum, ſuper contentis in Vitæ Conſtantini libris defectibus, judicia requiramus; ac pro conſequenda majori Auctoris notitia, ex ipſis libris nonnulla, cum recentioribus, vitia indicabo.

Digitized by Google

COLLOQUIUM VII.

De Criticorum Judiciis ſuper quatuor de Vita Conſtantini Libris, quorum nonnulla vitia deteguntur.

SILVEST. Quod in heſterno Colloquio promiſeram, implere paratus ſum, amice Euſebiane! nimirum de vitiis & erroribus, in libris de Vitâ Conſtantini contentis, nonnulla diſſerere, ut ex paucis tanquam ex ungue leonem, primarium tui aſſerti Auctorem agnoſcas.

Euseb. At quid juvat recenſere vitia, deque iis diſſerere, cùm hoc nonniſi quoddam ſit convitiandi genus; ac præterquàm cum convitia non emendent vitia, præſtat, ne unus alteri aures offendamus, his ſuperſedere.

I. Silvest. Hic tuus Achilles Vitæ Conſtantini Auctor, ab aliis Scriptoribus ſæpenumerò provocatus, acerbè vexatus, ac ſexcenties propriis armis profligatus eſt. Sunt autem arma illa ejus vitia, qua is in dicta vita poſt ſe reliquit, quibus adhibitis non ad convitiandum, ſed ad oppugnandum eum aggredior. Si igitur horum, quæ nunc & in ſequenti colloquio dicturus ſum, & hactenùs attuli, ſimul memineris, certus ſum, fore, ut impoſtoris audaciſſimi malitiam planè detegas, & omnis difficultas à te evaneſcat.

Euseb. Referas ergò, ut lubet. Dic, quid veteres de hac vita cenſeant, ac quo in genere illi Auctorem hunc falſi criminis arguant; quidve ſentiant recentiores.

II. Silvest. Socrates, qui, ubi in libri primi capite primo in Euſebii Pamphili mentionem incidit, & refert, quouſque ille Hiſtoriam Eccleſiaſticam deduxit, de illo tanquam vitæ etiam Conſtantini Auctore hæc ſubjungit: (a) *Vitam etiã Conſtantini idem Author litteris mandans, Arii facta leviter admodum perſtrinxit: quandoquidem Imperatoris illius virtutes prædicare, atque adeò orationem qua illum egregiè laudaret, majeſtate verborum exquiſitè illuſtratam, componere ma-*

(a) Socrat. l. 1. c. 1. p. 389.

magis animo connitebatur, quàm res geſtas accuratè explicare. Rurſùm Socrates, ubi de Aceſio Sectæ Novatianorum Epiſcopo, poſt terminatum Concilium Nicænum, Conſtantino Imperatori dicente: relapſos *non debere divinorum Myſteriorum fieri participes*: Imperatore àutem denuò reſpondente: *Erigito tibi ſcalam Aceſi, & ad Cœlum ſolus aſcendito*, narrat, ità ulterius pergit, inquiens: (*a*) *Iſtud factum neque Euſebius cognomento Pamphilus: neque quiſquam alius Scriptor aliquando litteris prodidit: ſed ipſe à viro minimè vano, qui ætate admodùm provecta erat, eaque quæ in Concilio geſta ipſe viderat, commemorabat, equidem accepi. Unde etiam conjecturam facio, idem illis contigiſſe qui hoc ſilentio prætermiſerunt, quod aliis pleriſque, qui ad hiſtoriam ſcribendam omne ſuum ſtudium, & operam conferunt. Nam iſti non pauca miſſa faciunt, vel ſtudio partium quibus nimium favent, adducti: vel, ut certis hominibus gratificentur.* Ex quibus primùm colligas, non dico *Euſebium*, ſed *Auctorem* Vitæ Conſtantini à Socrate notari, propter Arii facta leviter perſtricta, ac propter ſilentium de facto Conſtantinum inter, & Aceſium aſſentationis, & invidiæ causâ, videlicet ut certis hominibus, id eſt, *Arianis*, gratificaretur, & ne Conſtantini dictum in laudem Concilii Nicæni prolatum, probare atque ipſemet Concilii Acta laudare videretur.

(*a*) Id Socrat. lib. 1. cap. 7. pag. 409.

III. Eadem ac præterquam multò plura notat Photius in illis libris vitia, quæ cùm ità ſe etiam habeant, eo majorem ſuggerunt admirationem, quò magis alienum à Græcis Arianis, & à Latinis Romano Catholicis fuiſſe conſtat Photium. Hic enim Photius, prout eum (*b*) Graveſon benè depingit, ſchiſmatis Eccleſiam Græcam inter & latinam nequiſſimus Auctor fuit, doctrinâ claruit non vulgari, & exactiſſimi judicii Criticus fuit eo præſertim in opere, quod *Bibliothecam* de libris à ſe lectis nominavit, in quo tàm accuratè, tàm perſpicaci ingenio, tàm doctè, tàm liberè de omnibus Scriptoribus Chriſtianis, ſimul prophaniſque Auctoribus, *Theologis, Philoſophis, Hiſtoricis Poetis, Grammaticis, & Oratori-*

(*b*) Hiſt. Eccl. to. 3. Colloq. 5. de Vir. Illuſtr. 9. ſec.

Digitized by Google

toribus judicat, ut nemo hanc ejus *Bibliothecam* vel ſemel aſpexerit, qui eum Hiſtoricum ſummum, Philoſophum abſolutiſſimum, Criticum acerrimum, Oratorem diſertiſſimum, & Theologiam ad amuſſim tenuiſſe ſtatim non fateatur.

IV. Hic igitur Criticorum Anteſignanus in illa ſua Bibliotheca, à me alibi ſæpiùs citata, de Vita Conſtantini libris ſequentia notavit, eoſque ſolito ſuo Criterio in hunc modum perſtringit: (*a*) *Leguntur*, inquit, *Euſebii Pamphili de Vita Conſtantini Magni Auguſti laudatoris libri quatuor. Continent autem hujus Viri cum cæteram vivendi formam, jam inde à pueritia incohando, tum quæcunque ad Eccleſiaſticam pertinentia hiſtoriam ille geſſit, ad extremum uſque finem, hoc eſt, quatuor & ſexaginta annorum ſpatio.*

(*a*) Phot. Bibl. Cod. 127. pag. 306. ſeq.

V. *Eſt porrò etiam in hoc opere ſui ſatis in dictione ſimilis, niſi quod nonnihil ad ſplendorem magis trahitur oratio, voceſque ad floridum alicubi genus tendunt: etſi jucunditatis, & gratiæ in explicando modicum adhibere, ut in aliis quoque libris, videtur. Adferuntur verò loca plurima in his quatuor libris ex universa ejus decem librorum Eccleſiaſtica Hiſtoria.*

VI. *Refert ergò hic Nicomediæ baptizatum Magnum Conſtantinum hactenus Lavacrum diſtuliſſe, quod in votis haberet in Jordane tingi: quis verò baptizarit, ſilentiò præterit. De Ariana inſuper hæreſi prorſus nihil manifeſtè commemorat, neque an Conſtantinus illi aliquando adhæſerit, neque an eam abjecerit, ſed neque an rectè, aut ſecus ſenſerit Arius: tametſi neceſſitas eum compelleret horum meminiſſe, quando & magna pars fuit Synodus rerum à Magno Conſtantino geſtarum, & alioquin illa ipſa viciſſim poſtularet exactiſſimam his de rebus hiſtoriam. Itaque diſſenſionem quidem ortam Arium inter, & Alexandrum commemorat (ſic nimirum hæreſin appellare, ac tegere videtur) ac diſcidii hujus gratia valdè indolentem pientiſſimum Imperatorem allaboraſſe, cùm per epiſtolam, tùm per Hoſium Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopum, ut miſſa contentione illa mutua, & hujuſmodi quæſtionibus, ad amicitiam concordiamque diſſidentes adigeret: atque ubi non perſuaſit, Synodum*

dum undique convocaſſe, & natam contentionem pace permutaſſe. Quæ tamen neque accuratè, neque perſpicuè ab eo ſcribuntur: Quare præ pudore videtur hic Arium, & à Synodo factum contra illum Decretum, publicare non voluiſſe, ut nec ejus erroris ſocius, aut ſimul expulſorum juſtam ultionem, quin neque illam, quam divinitus ſumptam omnis oculus vidit, juſtam Arii vindictam: quando horum nihil in lucem proferens, Synodi ipſius, rerumque in ea geſtarum hiſtoriam obiter tantùm percurrit. Quo etiam fit, ut de Divino Euſtathio narraturus, ne nominis quidem meminit; tantùm abeſt, ut quæ in ipſum audaciſſimè machinati ſunt, reque ipſa præſtiterunt, recenſuerit. Igitur ad diſſenſionem dumtaxat atque tumultum ea referens tranquillitatem rurſum commemorat Epiſcoporum eorum, qui cùm Antiochiam Imperatoris ſtudio atque opera conveniſſent, ſeditionem turbamque pace commutarunt. Similiter, ubi narrationem inſtituit de iis quæ in magnum illum Athletam Athanaſium improbè comparata fuerunt: ſeditione quidem ac tumultu impletam iterum Alexandriam refert: ſed eam Epiſcoporum, qui Imperatoris auctoritate niterentur, præſentia placatum fuiſſe. Neque interim quis ſeditionem concitarit, aut quænam illa fuerit, neque quo pacto contentionem alii ſedarint, omninò manifeſtè oſtendit. Quin ferè quotieſcunque Epiſcoporum inter ipſos de fidei capitibus contentiones, vel aliæ denique diſſenſiones fuerunt, eundem ſervat in narrando celandi modum. Hæc Photius Schiſmaticus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cui quidem lubenter cæteris in omnibus, non tamen in eo fidem adhibeo, quod libros quatuor de vita Conſtantini Euſebio Pamphili adſcribat.

VII. Euseb. Quare Photio non in omnibus fidem adhibes? Nam quod ille, hoc etiam ante ipſum alii, videlicet Socrates, Theodoretus, & Sozomenus fecerunt, dictos nimirum quatuor libros Euſebio adſcribentes.

VIII. Silvest. Meâ non intereſt, ſive Euſebius, ſive alius Auctor ſit, ſufficere namque mihi videtur notitia, Auctorem hunc qualemcunque demum, fuiſſe Arianum. Si itaque

Digitized by Google

que contendis, Photium, & alios rectè adſcribere Euſebio hos libros, tergiverſari non potes cum Hankio, incertum eſſe, an Euſebius poſt Nicænum Concilium fuerit Arianus.

(a) Hank. de Byzant. rer. ſcript. part. 1. n. 115. p. 53.

IX. Euseb. Auſculta (*a*) Hankium, qui reponit, quòd neque Photius in ſua Bibliotheca libros, quos Euſebius de Conſtantini M. vitâ, poſt Synodum Nicænam compoſuit, ab Ariano ſcriptos eſſe probet; etſi demonſtret, in iiſdem ab Euſebio multa (quæ non ſine magno Arianorum dedecore commemorari poterant) in Arianorum ſuique gratiam, ſilentio præterita. Quo nomine videtur Euſebius, quoniam libros illos ſub Imperatore Conſtantio Ariano, dominantibus, & ſævientibus in Orthodoxos Arianis, compoſuit, veniam mereri. Hæc Hankius.

X. Silvest. Et quis alius, niſi, quem Hankius oſtendit, magis apertus Arianus eſt? qui enim cenſetur multa in gratiam Arianorum ſilentiò præteriiſſe; cenſeri etiam debet ea non niſi in Orthodoxorum odium præteriiſſe. Et quomodo talem dicere poſſumus veniam mereri, qui dominationibus & ſævientibus in Orthodoxos Arianis, non pro Orthodoxis, ſed pro ipſis Arianis ſcripſit?

XI. Ne tamen verba mea tibi ſupervacanea videantur, vim addo ex graviſſimorum recentioris temporis Auctorum de Conſtantini Vitæ librorum Scriptore judiciis, quibus ea, atque Photii dicta peregregiè confirmantur. Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis Magnæ Britanniæ decus hanc protulit ſententiam: (*b*) *Euſebius in eo libro, quem de Conſtantini vita, ipſo Conſtantio imperante, ſcripſit, cùm ut ſibi ſatisfaceret, in ea opinione tuenda, cui tacitus ſemper adhæſerat, tùm ut ea ſcriberet, quæ Principi non ingrata eſſe cognoſceret, audacius quidem ſe in ſcribendo effudit, ità, ut, de controverſia Arii, & Alexandri ſcribens, non dubitaret dicere, parvi momenti prorſus eam fuiſſe, in verbis duntaxat poſitam. Quare, qui hoc auſus eſt ſcribere, idque contrà judicium ipſius Nicæni Concilii, quòd rem maximi fundamenti, & qua nulla major eſſe poterat, illam controverſiam fuiſſe judicaverat; contrà*

(b) Regin. Pol. de Conc. Trid. & Bapt. Conſt.

trà etiam Judicium Romani Pontificis, atque hanc ſententiam ipſi quoque Conſtantino tribuere. Quid mirum eſt, ſi de Conſtantini Baptiſmi tempore, loco, & Miniſterio diverſa tradat ab iis, quæ in Romanorum Pontificum Actis continentur.

XII. Doctiſſimus Melchior Canus Hiſpanus ſic pronunciat: (a) *Conſtantinum finxit Euſebius ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum, quo Arianorum factioni majorem, & fidem, & auctoritatem adjungeret. Hinc etiam cum in Synodi Nicænæ mentionem incidit, dogma fidei, quo damnatus eſt Arius, aſtutè diſſimulavit, in Paſchatis quæſtionem repente digreſſus. Sed ne Arii quidem unquam in hiſtoria ſua meminit, callide hominis memoriam præteriens, quem Synodi auctoritate obrutus laudare non eſt auſus, amicitiæ lege conſtrictus noluit vituperare.*

(a) Can. de locis Th. l. 11. cap. 6.

XIII. Annalium Eccleſiaſticorum Conditor Card. (b) Baronius ità cenſet: *Poſtrema omnium ejus* (Euſebii) *Lucubratio fuiſſe videntur Libri quatuor, quos ſcripſit de Vita Conſtantini Magni, haud dubium in gratiam Conſtantii ejus Filii Imperatoris, quo utebatur familiariſſimè ex affinitate pravorum dogmatum, quorum causâ nequaquam ſe (quod ad ea ſpectare noſcuntur) in omnibus fidelem ſe exhibuit.* Idem alibi (c) *Quod autem ad Criſpi, & Fauſtæ necem ſpectat: parum quidem fidelis hiſtorici numeros expleſſe Euſebius viſus eſt, hæc prætermittens in vita Conſtantini quam ſcripſit, imitatus in multis in eâ potiùs Xenophontem; qui (ut de eo teſtatur (d) Cicero) vitam Cyri non tàm ad hiſtoriæ fidem conſcripſit, quàm ad effigiem juſti Principis exhibendam: nam non niſi felicia Conſtantini egregiaque facta, dicta, vel ſcripta proſequutus eſt: cum legis divinæ præſcripto certum ſit, non eſſe hominem, qui non peccet.* Ibidem paucis interpoſitis: *In Conſtantini vita, quam tempore Conſtantii, Conſtantini filii, Ariani, hominis, ſcripſit, in eo tantum argumento apparet eſſe verſatus, ut in gratiam Principis ea ſolùm attigerit Conſtantini, quæ laudabilia, & imitanda omnibus Principibus viderentur: atque adeo ex hoc intelligatur, ejuſdem Conſtantini encomium eâ ex parte texuiſſe potiùs quàm rerum cunctarum ab eo geſtarum hiſtoriam.*

(b) An. 340. n. 42.

(c) Baron. An. 324. n. 5.

(d) Ad Quint. Frat. 1.

XIV.

Digitized by Google

(a) Ibid. Baron. n. 6.

XIV. (a) *Sed quod deterius eſt, hac etiam ex parte inofficioſi quoque, vel dixerim potiùs invidi ac planè illiberalis ſilentii damnandus eſt; quippe cùm multa ſuppeterent argumenta Conſtantini laudandi de rebus in Urbe, atque toto Occidente optimè præclarèque geſtis, ea propemodum omnia sic silentio obvoluta reliquerit, ut poſt paucis narratam obtentam de Maxentio Tyranno Victoriam, perinde ac ſi numquam amplius idem Romæ fuiſſet, vel aliis in locis Orbis Occidentalis, nuſquam illorum meminerit. Qui enim ſemel expertus eſt ſibi inhærenti Ario adverſariam Romanam Eccleſiam, adeò averſatus eſt eam, ut ea ex parte delegerit potiùs à Conſtantini laudibus abſtinere quàm ulla ex cauſa de ea velle benè mereri. Innatum eſt autem hoc hæreticis, ut non tantùm contraria ſibi Catholica dogmata oderint; ſed perſonas ea defendentes, & loca ipſa, tanquam firma veritatis propugnacula, ſummo odio proſequantur.*

(b) Apparat. Sacr. in Euſeb.

XV. (b) Antonius Poſſevinus de vitæ Conſtantini libris eorumque Auctore hoc fert judicium: Certum eſt, inquit, plura in ea vita data opera mentitum fuiſſe Euſebium, ſive de Baptiſmo Conſtantini, ſive de aliis pleriſque. Quæ quoniam accurratè Cæſar Baronius Cardinalis expendit tertio ſuo Annalium tomo, eo Lectorem amandamus. Id interim ſciendum, non mendacii ſolum, atque hæreſeos meritò fuiſſe ſuſpectum Euſebium, verùm etiam turpis aſſentationis, atque inverſionis temporum, quibus res geſtas enarrat, haud ſervans hiſtoricas leges, neque enim de nece Criſpi, & Fauſtæ, nec de Epiſcopi nomine, qui in prima ſede poſt Imperatorem in Synodo Nicæna ſedit, nec de Arianorum nomine quod latum in Edicto Conſtantini fuerat adverſus hæreticos locutus eſt; cùm, & tradat Imperium Conſtantini fuiſſe ſine ſanguine. Porrò vitam hanc Conſtantini Joannes Porteſius latinam fecit, cui expediret, haſce quas hic nos inſerimus cautiones præfigere. Hæc ità Poſſevinus.

(c) Part. 1. n. 199. p. 124.

XVI. Abrahamus Scultetus apud (c) Hankium de Euſebio Pamphili ſic ait: *In quatuor libris de Vita Conſtantini tantis laudibus Imperatorem cumulat, ut Oratorem, non Hiſtoricum, agere videatur.*

XVII.

XVII. (*a*) Paulus Benius: *Euſebii libri quatuor de vita Conſtantini: in quibus tamen facilè ſentias, eum ſibi & Conſtantino canere.* (a)Ibid. apud Hank. n. 300.

XVIII. (*b*) Lælius Biſciola: *Neque fidem habeo Euſebio vitam Conſtantini ſcribenti, qui potiùs ipſius encomium ſcripſit, quàm hiſtoriam, & Conſtantini vitiis tacitis, ejus tantùm laudes, eſt proſecutus*. Atque de his hactenùs. (b)Ibid. n. 301.

XIX. Euseb. Quandoquidem recentiores iſti, ſicut veterum omnes Conſtantini vitæ libros Euſebio adſcripſerunt, nec ſuſpicati ſunt eos a quopiam alio ſcriptos, miror vehementer, quomodo hoc fieri potuerit, ſi, ut perſuades, verum eſſet, alium libros illos habere Auctorem.

XX. Silvest. Haud aliter id accidiſſe tibi perſuadeas, niſi ex falsô titulô, quô libri iſti, cujus non videntur eſſe, prænotabantur. Hos libros cuncti, propter titulum, ab Euſebio ſcriptos perfacilè credere potuerunt, ſed quos recenſui ac innumeri alii perdifficilè, imò neutiquam credere potuerunt omnia quæ leguntur in ipſis libris. Quare producta Virorum præſtantiſſimorum judicia non parùm his libris derogant, eoſque apogryphos declarant, id eſt, eſſe ſine auctoritate. Interim non planè extrà ſuſpicionem fuerunt hi libri Baronio, qui alibi Euſebium optimi Hiſtorici functum officiô obſervat; ut mox infrà dicam.

Euseb. Sunt ne alii, qui de his libris aliter cenſent?

XXI. Silvest. Sunt nonnulli ex recentioribus, & quidem de Arianorum fraudibus ità perſuaſi, ut quædam loca ab illis mutilata, & interpolata ſuſpicentur. (*c*) Sic Pagius Junior ex Petro de Marca cenſet textum hodie in Euſebio deſiderari, quem Gelaſius Cyzicenus, ſe ex eodem Euſebio tranſcripſiſſe profitetur, qui in hæc verba ſonat: *Ipſe enim Hoſius ex Hiſpaniis nominis, & famæ celebritate inſignis, qui Silveſtri Epiſcopi Maximæ Romæ locum obtinebat, una cùm Romanis presbyteris Victore, & Vincentio cum aliis multis in conſeſſu illo adfuit*. Verùm aliud ego ſuſpicor, nimirum Hoſii, Silveſtri Victoris, & Vincentii nomina nunquam extitiſſe in Eu- (c)Franc. Pag. Breviar. Rom. Pont. in Silveſt. n. 21.

 ſebio

Digitized by Google

ſebio, ſive in libris de vita Conſtantini, ſed datâ operâ ab Auctore fuiſſe prætermiſſa, & à Gelaſio Cyziceno ex aliis ſuperaddita, quod inde magis veriſimile redditur, cùm & alibi Cyzicenus ex eodem Euſebio,ſive ex libris de Vita Conſtantini referat, Imperatorem hunc ab Orthodoxo Sacerdote fuiſſe in fine vitæ baptizatum, quod tamen Auctor ejus Vitæ minimè expreſſit, imò contrarium ſcribit, Imperatorem videlicet ab Epiſcopis baptizatum.

XXII. Præterea idem Pagius Junior dubitat in aliis etiam locis de interpolatione librorum Conſtantini, quod maximè oſtendit in Vita S. Fabiani de Philippo Imperatore, quem Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica, atque etiam in Chronico ſcribit primum fuiſſe Chriſtianum: in libris autem de Vita Conſtantini legitur contrarium, Conſtantinum nempe primum Chriſtianum fuiſſe. (a) Quæ ſi vera ſint, inquit Blanchinus, non video cur Critici nonnulli apud Cave mirentur, quod in Decreto Gelaſii Papæ hiſtoria Euſebii referatur inter apogrypha. Non enim ideò referebatur in eam claſſem, quod pleraque ab Euſebio relata putarentur à veritate aliena, aut ab Euſebio non eſſe ſcripta; ſed quia juſta ſuberat cauſa dubitandi, num textui genuino hiſtoriæ Euſebianæ aliqua fuiſſent intruſa ab Arianis, aut à Donatiſtis; *quandoquidem iſti Auctores muſſitant interpolatum fuiſſe utrumque opus Euſebii, tum Chronicon, tum hiſtoriam*. Hæc Blanchinus. Iſta Virorum Eruditorum judicia rursùm alia nos non docent, quam libros de Vita Conſtantini rejectos in apogryphorum claſſem, eſſeque ſine auctoritate. De quibus proindè non angor, num corrupti ſint, vel mutilati, aut interpolati; nam non magis hæc illis præjudicare videntur, quàm quæ Photius & alii annotârunt.

(a) Blanchin. in not. ad Anaſt. Biblioth. in Silveſt.

Euseb. Photius tantummodò in genere locutus eſt; quæ ſpecialia ſunt, & Viris Doctis ſuſpecta redduntur, equidem aveo ſcire.

Silvest. Ergò libros ipſos inſpiciamus; & cum Criticis perbrevem vitiorum Synopſin criticam dictis aſtruamus.

Euseb.

Euseb. Quæ vitia illa tandem?

XXIII. Silvest. In primis planè verum eſt, quod Photius ait, plurima loca in his quatuor libris adſerri ex univerſa decem librorum Hiſtoria Eccleſiaſtica. Nam in libro primo, ubi Auctor agit de Conſtantio Patre Conſtantini M. item de Maxentio, Licinio & geſtis Conſtantini circa eorum tempora, pleraque deſumpta ſunt ex libro decimo, ſive ultimo dictæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Sed de his nihil ultrà indagare opus eſt; ad ipſum librum primum tranſeo, ubi Auctor Encomiaſtes caput primum, ex interpretatione Joannis Criſtophorſoni, Angli Ciceſtrenſis quondam Epiſcopi, (quâ uſus eſt Baronius & ego quoque utor) ſic auſpicatur: (*a*) *Quemadmodum*, inquit, *univerſum hominum genus illuſtrem*, *&* *præpotentem noſtrum Imperatorem, ad decimum quemque Imperii annum ratis converſionibus iterùm, ac tertiò revolutum, diebus feſtis epuliſque ſolennibus magnificè celebravit: itâ nos quoque non ſolum cum jam viginti annos regnaſſet, multiſque victoriæ trophæis eſſet nobilitatus, illum amplo Miniſtrorum Dei conſeſſu ſtipatum, divinis laudibus ad Cœlum uſque extulimus: verum etiam cum triginta annos modò in hoc imperandi munere confeciſſet, auguſtum illius caput orationibus, tanquam coronis ex variis floſculis pulchrè contextis, nuper in ipſa regia mirificè decoravimus*. Ubi protinus in veſtibulo ſentis Auctoris appetitum laudis, atque, ut Benius rectè obſervat, *eum ſibi*, *&* *Conſtantino canere*. Sed propterea, quod Conſtantinum divinis laudibus ad Cœlum uſque extuliſſe ſcribat, corripitur à (*b*) Baronio, qui ſtudioſum planè vafrum hominem, Græcanicæ eloquentiæ lenociniis Imperatorem demulcere, ſibique conciliatum in omnibus reddere cupientem explodit. Et quidem meritò. Non enim expedit ſcribere, quod non expedit dicere, & hominem, qui dicere non poteſt: (*c*) *mundum eſt cor meum*, *purus ſum à peccato* divinis efferre laudibus. Sed factum hoc non credo, quia multò veriſimilius eſt, quod idem (*d*) Auctor refert de Sacerdote aliquo, qui auſus eſt Conſtantinum *in os beatum dicere*. Sed Imperator, *cùm ſe hæc moleſtè*

(*a*) Auct. Vid: Conſt. lib. 1. cap. 1. p. 244. Interpret. Criſtoph. Edit. Colon. Agripp. 1570.

(*b*) Annal. An. 325. n. 187.

(*c*) Prov. 20. 9.

(*d*) Vit. Conſt. lib. 4. cap. 48. p. 323.

ſitè audire ſignificaſſet, hortatus etiam eſt, ne auderet aliquando ejuſmodi vocem uſurpare: ſed à Deo potius precibus contendere, ut & in hac vita, & in futura Dei famulatu dignus videretur. Quare hîc nihil veri, niſi quod canit (a) Naſo:

(a) Lib. 3. de Ponto.

Ipſe ego librorum video delicta meorum,
Cum ſua plùs juſto carmina quiſque probet.
Autor opus laudat, ſic forſitan Accius olim.
Therſiten facie dixerit eſſe bona.

(b) Auct. Vit. Conſt. l. 1. c. 7. p. 248.

XXIV. (b) Libro eodem ſecundo, ubi Auctor de Conſtantini geſtis, quæ ſolùm ad pietatem pertinent, liberius & diffuſiùs in his libris commemoraturum ſe ſpondet, & profitetur, ſubdit: *Nam antehac iſtud munus minimè propterea obire licebat, quod nobis veterum præcepto vetitum ſit, ne quenquam ante mortem propter varias, & incertas vitæ mutationes omninò beatum exiſtimemus*. Quibus in primis clarè indicat, hos libros de Vita Conſtantini ſcriptos eſſe poſt mortem Imperatoris. Sed mirum eſt, quod ait, ſibi veterum præcepto vetitum fuiſſe, ne quenquam, ac neque Conſtantinum, ante mortem beatum exiſtimet; cùm tamen is ipſe Conſtantinum longè ante mortem in ejus Vicennalibus, non tantùm beatum prædicaſſe, ſed & divinis laudibus ad Cœlum uſque extuliſſe, alibi ſe jactet. Neque Euſebium Pamphili præceptum illud ſervaſſe, abundè indicat ejus oratio, quam in Tricennalibus Conſtantini coràm habuit, quaque certò quovis dicendi genere liberè ac diffusè, non tamen divinis laudibus Imperatorem extulit. Hæc oratio Euſebii in Tricennalibus habita extat. Prior verò de Vicennalibus, quam Auctor ipſe adeò laudat, deſideratur; apud me tamen vix dubium eſt, quin cum eâ fucum faciat.

(c) Auct. Vit. Conſt. l. 1. c. 2. p. 246.
(d) Idem lib. 4. c. 53. p. 324.

XXV. (c) Scribit Conſtantinum: *regno ſine moleſtia, & ægritudine ad extremum ejus exitum omnino* perfunctum; quod alibi in memoriam revocans magis exprimit: (d) *Duos igitur*, ait, *& triginta annos (extrà paucos menſes, & dies) cum imperio fuit: eundemque annorum numerum vita duplicabat:*

bat: quo omni tempore corpus ei præclarè conſtitit, ſinè morbo, ſine dolore, nulla conſpurcatum labe. Ubi duo potiſſimùm notanda, videlicet, *ſine moleſtia & ægritudine*, deindè: *Sine morbo, ſine dolore, nulla conſpurcatum labe.* Quod primùm ad *ſine moleſtia, & ægritudine* ſpectat, apertiſſimum mendacium eſt. Quantam namque Conſtantinus M. cunctis hoſtibus jam devictis moleſtiam, & ſaltem animi ægritudinem habuerit, dum Fauſtam propriam Conjugem, Criſpum Filium aliàs dilectiſſimum, Licinium Juniorem Conſtantiæ ſororis filium, utrumque Cæſarem, ac præterea numeroſos amicos interfici juſſit, facilè animô conſequeris ex tot teſtibus, quot, exceptô Vitæ Conſtantini Auctore, coævi & ſubſequentis temporis veterum extitêre Scriptores. Hæccine ſinè moleſtia aut ulla planè animi ægritudine peragenda, & peracta dici potuerunt? Et propter hanc eandem rationem, cùm hujus rei ſat valida Auctorum turma citari poſſit, unus verò Vitæ Conſtantini conſarcinator altè ſileat, parum fidelis Hiſtorici numeros explêſſe viſus eſt, hæc prætermittens Auctor, Baronio, Poſſevino & aliis, *cùm tamen*, ut ait idem (a) Baronius, *alias ipſe idem Euſebius optimi Hiſtorici functus officio, hujus facinorum meminiſſe in Chronico non prætermiſerit*, ubi eadem quod alii tradunt, leguntur his verbis: (b) *Criſpus filius Conſtantini, & Licinius Junior Conſtantiæ Conſtantini ſororis, & Licinii ſuperioris filius crudeliſſimè interficiuntur Annô Imperii ſui nono Chr.* 324. Hæc Euſebius Pamphili in Chronico. Quibus S. Hieronymus ſubjunxit: *Conſtantinus Uxorem ſuam Fauſtam interficit*. Cumque aliàs Euſebius Pamphili optimi hiſtorici videtur functus officiô, minimè verò officium explevit in Vita Conſtantini, haud planè obſcurè indicat Baronius, Euſebium Pamphili diſtingui debere à Pſeudo-Euſebio.

(a) An. 324. n. 5

(b) apud Scalig. Pontac. & Miræ.

XXVI. Sequitur: *Sine morbo, ſine dolore, nulla conſpurcatum labe*. Quid iſta ſibi volunt? annon rursùs impoſtura, rursùs craſſum mendacium? Scripſit alibi Euſebius Pamphili Conſtantinum M. habuiſſe aliquando corpus conſpurcatum labe, laboraſſeque leprâ: curatum verò baptiſmatis Sacramentô Ro-

Digitized by Google

Romæ Sanctiſſimi Silveſtri Papæ miniſteriô. Cujus Euſebii veram hiſtoriam ex Græco in latinum verſam, atque in Acta Silveſtri relatam, S. Gelaſius Papa, & Nicæni Concilii II. Patres approbarunt, & tota Eccleſia Græca, & Latina ſemper venerata eſt. Sed impoſtor hic eam apertè negat, & aliam ſuperſtruere baptiſmatis hiſtoriam collimans, protervè improbat.

XXVII. Eodem capite aſſerit, Conſtantinum ſolitum fuiſſe (a) *ſine ſanguine, ſine cæde de hoſtibus victorias reportare*; quapropter illum Poſſevinus notat; quare? quia hoc iterùm falſum eſt. Siquidem Nazarius in Panegyrico de prælio Maxentiano, & Victoria Conſtantini referens ſic perorat: (b) *Non commemorabo hic tectas continuis ſtragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tyberim, & inter congeſtas altè cadaverum moles ægro nixu ac vix eluctantibus gurgitibus exeuntem, quodque illum ipſum tyrannum non mors virilis, ſed fuga turpis prodidit, & dignum ignaviæ, & ſævitiæ exitu fluctus ſanguinei necaverunt.* Et Zoſimus de eadem Conſtantini victoria: (c) *Acri*, inquit, *conſertô prælio, Romani quidem ipſi, & Itali Socii, ſegniores ad obeunda pericula ſe præbebant, quod acerba Tyranide ſe liberari optarent: reliquorum verò militum innumerabilis quædam multitudo cecidit, tum ab equitibus proculcata, tum à peditibus interempta.* Victoriam nonniſi ſanguinolentam reportavit Conſtantinus primo prælio Liciniano in Campis Cibalenſibus, (d) *cæſis*, ut ait Anonymus Valeſianus, *poſt dubium certamen Licinianis viginti peditum millibus, & equitum ferratorum.* In Thracia Conſtantinum inter, & Licinium, (e) *innumerabilibus quidem utrimq; cæſis*, pugnatum eſt. Præliô Hadrianopolitano, ubi rurſùm Conſtantinus Victor extitit (f) *ad triginta, & quatuor hominum millia ceciderunt*; ac paulò poſt adeò magna cæde hoſtium victoriam reportavit pugnâ navali, (g) *ut hominum quinque millia, naves cum hominibus centum, & triginta perirent.* Iſta ne *ſine ſanguine, ſine cæde* dicantur, ut vult Auctor?

(a) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 53. p. 324.

(b) Nazar. Paneq. mihi pag. 196.

(c) Zoſ. lib. 2. p. 26.

(d) Anon. Valeſ. n. 30. pag. 473.

(e) Zoſ. lib. 2. p. 28.

(f) id. Zoſ. ibid. p. 29.

(g) Id. Zoſ. ibid.

XXVIII. In rerum geſtarum de origine Arianæ hæreſis narra-

Digitized by Google

narrationem incidens, *Arii* vocabulum ſtudioſè ſupprimit, & ſolùm ità refert: (*a*) *Nonnulli in ipſa Alexandria de ſummis Religionis Chriſtianæ myſteriis juveniliter, & inconſultè digladiari: alii per Univerſam Aegyptum, & ſuperiorem Thebaidem, de controverſia quadam jampridem inter ipſos concitata decertare cœperunt, adeò, ut ubique Eccleſiæ in varias partes dirimerentur*. Infrà hac de re ſic narrat: (*b*) *In ſingulis Civitatibus Epiſcopi cum Epiſcopis diſſidere, & populus contra populum tumultus ciere, & impetu quodam repentino inſtar Symplegadum* (ſive conflictantium) *& mutuis pugnis ſe ipſe concidere cœpit: uſque eò, uti animis inſanis ac deſperatis impia ſcelera aggredi, & Imperatoris Imagines contumelia afficere non dubitarent. Verum Imperatorem non tàm ad iram, quàm ad immenſam animi ægritudinem, qua furioſorum amentiam ſuprà modum deploravit, incitârunt*. Poſt quæ in Paſchatis queſtionem repentè digreditur. Ubi, quæſo, mente recolas, quæ antè ex Photio, Cardinale Polo, Cano, & aliis adduxi, qui non perperàm hæc capita cenſurâ ſuâ perſtrinxerunt. Ego verò, ut nihil loquar de Arii ſuppreſſo nomine, vel de quæſtione, propter quam controverſia illa, ſeu Ariana hæreſis orta eſt, maximi quidem fundamenti, ut ait Polus, & qua nulla major eſſe poterat, de illa autem Alexandrum Alexandriæ Patriarcham Sanctiſſimum juveniliter tantùm, & inconſultè cum Ario digladiatum acerbè ſugillat, ſolùm hic animadverto, data opera prætermiſſa, quæ ingenuus hiſtoricus Euſebius Pamphili in Chronico narrat: (*c*) *Alexandrinæ Eccleſiæ* XIX. *ordinatur Epiſcopus Alexander; à quo Arius Presbyter de Eccleſia ejectus, multos ſuæ impietati ſociat. Ad quorum perfidiam coarguendam Synodus* 318. *Epiſcoporum in Nicæam Urbem Bithyniæ congregata, omnes hæreticorum machinas Homouſii oppoſitione delevit*. Iſta ſaltem breviter oportuiſſet hic inſinuare, quæ Chronici Alexandrini Auctor commemorat: (*d*) *Arius quippe*, inquit ille, *emota mente inexplicabilem, & indiviſam Patris, & Filii Divinitatis unitatem dividere, & ſeparare non formidavit*.

(*a*) Auct. Vit. Conſt. lib. 2. c. 61. p. 482.

(*b*) Auct. Vit. Conſt. lib. 3. c. 4. p. 487.

(*c*) Euſeb. in Chron. apud Scalig. Pontac. & Mir.

(*d*) Chron. Alex. apud Du Cang.

XXIX.

XXIX. Caeterùm, quod memorat, Conſtantinum *ad immenſam animi ægritudinem* incitatum fuiſſe, etiam antè in eo capite ſcribit, nimirum quod *invidiæ flamma* Alexandrina Imperatoris *animum non parum commovit*. Et alibi: (*a*) *Quibus auditis Imperator animo ſuprà modum dolens, remque illam propriæ calamitatis loco ſtatuens*; quibus ſui oblitus ea negat, Auctor quæ alio loco aſſerit, Conſtantinum nempe fuiſſe *ſine moleſtia, & ægritudine ad extremum ejus exitum*. Quis majorem Conſtantino cauſavit *moleſtiam ac animi ægritudinem*, quam Arius, & ejus fautores Euſebiani? quod ipſe Conſtantinus tunc temporis exortæ Arii hæreſis in Epiſtola ad Alexandrum, & Arium data, ità ſcribens: (*b*) *Date igitur mihi dies tranquillos, & noctes curę ac moleſtiarum expertes, ut voluptas quæ tum ex ſincera concordiæ luce, tum ex vita quieta capi ſolet, mihi integra inpoſterum conſervetur. Quod quidem ſi minus contingat, neceſſe eſt ingemiſcere, lacbrymis, & mærore omninò confici: nec fieri poteſt ut vitæ curſum de reliquo tranquillè, & ſedatè tranſigam. Nam quamdiu Dei populus, eum dico, qui communi mecum ergà Deum obſequio fungitur, tàm iniqua pernicioſaque contentione ab ſe mutuo diſſidet: quomodo fieri poteſt ut ipſe animo tranquillo conſiſtam?* teſtificando confirmat, & alibi ſæpenumero teſtificatus eſt.

(*a*) Auct. Vit. Conſt. lib. 2. c. 62. p. 282.

(*b*) Conſt. in Epiſt. ad Alex. & Arium apud Auct. ejus Vit. lib. 2. c. 70. p. 285.

XXX. Refert præterea inquiens: (*c*) *Imperator ..... confeſtim virum ex numero piorum, quos habuit circà ſe, quem modeſta fidei virtute ſatis ſpectatum, & ſuperioribus temporibus pietatis confeſſione inſigniter decoratum intelligebat, mittit, ut pacem inter eos, qui Alexandriæ diſcordabant, conciliaret.* Quis hic vir, quem Imperator Alexandriam miſit? Silet Encomiaſta, at Socrates hiſtoricus indicat: (*d*) *Virum ſpectatum, & fidelem Oſium nomine Epiſcopum Cordubæ, quę eſt Civitas Hiſpanię (hunc enim Imperator ſingulari amore complexus eſt, & honore ſummo proſecutus) ad Alexandrum, & Arium mittit.*

(*c*) Auct. Vit. Conſt. lib. 2. c. 61. p. 282.

(*d*) Socrat. lib. 1. c. 4. p. 395.

XXXI. De Patribus, qui in univerſali Concilio Nicææ convenerant, loquens ait: (*e*) *Ex ipſis Hiſpanis unus nominis & fa-*

& famæ celebritate inſignis, cum aliis multis in conſeſſu illo adfuit. Quis hic? magis jam Hiſpani nomine exprimit, ſed proprium ejus nomen celat. Non ità lividè, ſed ſincerè ſcribit (*a*) Gelaſius Cyzicenus, qui inquit: *Ipſe etiam Oſius ex Hiſpaniis, nominis, & famæ celebritate inſignis, qui Silveſtri Epiſcopi Maximæ Romæ locum obtinebat, unà cum Romanis Presbyteris Bitone & Vincentio, una cum aliis multis in conſeſſu illo adfuit*. Quibus facilè perſpicis, quo affectu in Orthodoxos hic Auctor ſcripſerit, qui nec Oſii, nec Silveſtri Romani Pontificis; ac deinceps nuſpiam Athanaſii nomen ſcribere, & exprimere dignatus eſt. Cùm tamen, quod benè notes, *Euſebius Pamphili* in Chronico tantùm Silveſtri mentionem faciat his verbis: (*b*) *Romanæ Eccleſiæ* XXXI. *ordinatur Epiſcopus Silveſter, annis* XXII. Quid amplius? Euſebius Pamphili Hiſtoriographus noſter integram S. Silveſtri vitæ hiſtoriam Græco ſermone conſcripſit, ut alibi indicavi, quàm & ipſe Henr. Valeſius in Euſebii noſtri laudis commendationem adducit. Imò & Oſii nomen idem Euſebius in (*c*) hiſtoria Eccleſiaſtica exprimit; ex quibus omnibus perſpicuum fit, hunc *in narrando celandi modum*, ut Photius ait, non de Euſebio Pamphili, ſed de Pſeudo Euſebio quopiam eſſe intelligendum.

XXXII. Quot numerò Epiſcopi Nicænæ Synodo adfuerint, enarrat, ipſe quidem his verbis: (*d*) *In præſenti choro fuit Epiſcoporum multitudo, ad numerum ducentorum quinquaginta, & ampliùs*. Sed omni exceptione major eſt M. ille Athanaſius, qui Archidiaconus tunc temporis Alexandriæ Eccleſiæ, cum Patriarcha ſuo Alexandro, cui proximus in Patriarchatu Alexandrino ſucceſſit, ipſi Synodo intererat, quique duobus in locis, cùm in Epiſtola ad Jovianum Imperatorem, tum in diſputatione adversùs Arium ſcripta teſtatur, *trecentos decem & octo*, Epiſcopos Synodo interfuiſſe; & hoc ipſum profitentur (*e*) Epiphanius, (*f*) Hilarius, (*g*) Rufinus, & alii.

XXXIII. (*h*) Recitat Conſtantini Orationem ad Concilium,

(*a*) Hiſt. Nic. Concil. l. 2. c. 5. apud Labb. & Hard.

(*b*) Euſeb. in Chron. apud Miræum. Vid. Scalig. & Pontac.

(*c*) Euſeb. lib. 10. c. 6. p. 239.

(*d*) Auct. Vit. Conſt. lib. 3. c. 9. p. 288.

(*e*) Hæreſ. 69. & in Ancorato.

(*f*) Lib. contra Conſtant.

(*g*) Lib. 1. c. 1.

(*h*) Auct. Vit. Conſt. lib. 3. c. 12. p. 289.

Digitized by Google

lium, pro concordia; an integram, dubito. Extat enim apud Gelaſium Cyzicenum Sermo Proſphoneticus Conſtantini ad Sanctam Synodum, cujus illa ſynopſis tantùm eſſe videtur. Talem illam Orationis ſynopſim etiam cenſent Regii Collegii Panormitani Nobiles (a) in Theſibus hiſtoricis ad Vitam S. Conſtantini Magni. Verum tamen quod aſſerunt ſermonem Proſphoneticum, ſive Orationem, quam in Concilio Nicæno à Conſtantino habitam refert Gelaſius Cyzicenus, ex hiſtorici ingenio fictam potiùs, quàm reverà à Conſtantino habitam, eruditis videri, idque (ut arbitrantur) ſine injuria, video probari non poſſe, quin adhuc à vero alienum eſſet, quod ex Theodoreto, qui ante Gelaſium floruit, demonſtratur. Refert idem Theodoretus quandam Conſtantini orationis partem ad Concilium in hæc verba: (b) *Nam libri*, inquit, *Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quin etiam veterum Prophetarum oracula, nos evidenter docent, quid de Divino Numine ſentiendum ſit. Omni igitur ſeditioſa contentione depulſa, litterarum divinitùs inſpiratarum teſtimoniis res in quæſtionem adductas diſſolvamus. Iſta aliaque de genere eodem, dum doctrinæ Apoſtolicæ conſenſum ſtabilire moliretur, tanquam filius Patris amantiſſimus, Epiſcopis, & Sacerdotibus velut Patribus propoſuit.* Sic apud Theodoretum. Sed deſiderantur iſta in ſynoptica Conſtantini oratione apud Auctorem ejus Vitæ; in ſermone autem Proſphonetico apud (c) Gelaſium Cyzicenum leguntur ea de verbo ad verbum, priora, quidem ipſius Conſtantini: poſteriora verò: *Iſta aliaque &c.* verba videntur eſſe Dalmatiani Epiſcopi Cyziceni, qui primùm acta Concilii Nicæni collegit, Gelaſius vero in ordinem redigens publicavit. Cùm itaque Theodoretus, qui non multùm poſt Concilium Generale Chalcedonenſe an. Ch 451. celebratum obiit, Sermonis Proſphonetici memor ſit; Gelaſius autem Cyzicenus primùm ſub Imperatore Zenone Iſaurico circà an. Ch. 490. claruerit, perſpicuum ſit, Gelaſii ingenio non potuiſſe fictam eſſe Conſtantini orationem, ſive ſermonem Proſphoneticum.

(a) Theſ. 17. diſput. an. 1736 habit.

(b) Theodoret. lib. 1. c. 7. p. 603.

(c) Tom. 2. Concil. apud Labb. edit. Venet. c. 7. col. 174.

XXXIV. Præterea nihil prorſus commemorat Auctor

Vitæ

Google

Vitæ Conſtantini de rebus, quas Sacroſancta Synodus Nicæna ipſa ſtatuerat, nec de Arii, & eorum, qui eandem cum eo tuebantur opinionem; abdicatione. Sed recitata Conſtantini ſynoptica oratione tranſit, paucis interpoſitis, ad Concilii exitum, & Decretorum ſubſcriptionem.

XXXV. (*a*) Socrates de iſto Auctore, quem ille, utpote deceptus, Euſebium fuiſſe credebat, hæc ſcribit: *Euſebius cognomento Pamphilus ait, ſtatim poſt confectum concilium, Aegyptum ſeditionem inteſtinam conflaſſe: cauſam tamen non adjungit, unde in bilinguis opinionem apud pleroſque venit.* Hæc Socrates cæteroqui Euſebio Pamphili devotiſſimus, pro quo etiam (*b*) Apologiam ſcripſit ideò, quia hic Euſebius ob libros, quos edidit, tanquam Arii errori fautor, contumeliis vexatus fuerat. Sed citatum à Socrate Auctoris ſeu Pſeudo Euſebii locum inſpiciamus. Ibi igitur, poſteaquam perbrevem de Concilio Nicæno, & Vicennalibus Conſtantini narrationem terminaſſet, ſic pergit: (*c*) *Verum cum jam inter omnes pax eſſet conciliata, ſolos Aegyptios ſeditioſa contentio mutuò inter ipſos diſtraxit, ità ut Imperatori de integro nonnihil negotii faceſſerent illi quidem, ſed tamen bilem ei minimè commoverent: quippè eos ut Patres, imò verò ut Dei Prophetas, omninò honorificè verens, illos ſecundò accerſere dignatus eſt.* Similis contentionis procellæ meminit idem (*d*) Auctor, ubi de Synodo Tyri an. 335. celebrata, ac etiam de Templi Hieroſolymitani Dedicatione, & Conſtantini Tricennalibus agit: *Sed virtutis*; inquit, *hoſtis, invidia etiam hac in re quaſi tenebricoſam nebulam clariſſimis ſolis luminibus offundens, per controverſias quaſdam turbatis denuò Aegyptiis Eccleſiis, inſtitutæ hujus celebritatis ſplendorem obſcurare conata eſt. Sed Imperator omni cogitatione, & cura in Deum defixa, collegit ex omni Aegypto, Africa, Aſia, Europa, frequentem Epiſcoporum cœtum, eumque tanquam Dei exercitum armis contectum, objecit huic invido diabolo, mandavitque primùm, at quàm celeriter renovatæ contentiones finem facerent.* Harum contentionum in Eccleſia meminit Imperator ipſe

(*a*) L. 1. c. 8. p. 410.

(*b*) Socrat. l. 2. c. 17. p. 443.

(*c*) Auct. Vit. Conſt. l. 3. c. 22. p. 294.

(*d*) L. 4. c. 41. p. 320.

Digitized by Google

(a) Ap. Auct. V. Conſt. l. 4. c. 42. p. 321.

ipſe in Oratione ad dictam Tyri Synodum in hæc verba: (a) *Erat fortaſſe conſentaneum, & ad præſentis temporis opportunitatem maximè accomodatum, carere omni contentione Eccleſiam Catholicam, & Chriſti ſervos ab omnibus rixis ſolutos, ac liberos eſſe. Sed quoniam nonnulli ſceleratæ cujuſdam contentionis furore incitati, ac (ne quid gravius dicam) vitam ſua profeſſione indignam agentes, omnia turbare ac miſcere conati ſunt (quod ſcelus ſupra omnem calamitatem mihi ſane poſitum eſſe videtur) propterea vos &c.* Ergò ſemper rixæ, ſemper contentiones in Eccleſia, & nec poſt Concilium Nicænum, & celebrata Vicennalia Conſtantini pax, neque pax tempore Tricennaliorum Imperatoris. Sed cur propterea Auctor, qui hoc affirmat, *bilinguis* dictus eſt? Reſpondeo duplici ex ratione. *Primò*: Nam hoc ipſum, quod libro tertio prima vice aſſerit, ac deinde ſuis & Conſtantini verbis confirmat, in dicti libri tertii capite ultimo meretricia fronte negat, hæc effutiens: *Hoc modo*, inquit, *cum illis, qui alienam ab Eccleſia opinionem, & doctrinam ſequebantur, actum eſt. Alios autem, qui dum in eorum dogmatum diſciplina verſabantur, nihil concepiſſent impietatis, ſed Schiſmaticorum culpa ſe temerè à communi Eccleſiæ congregatione, & frequentia ſejunxiſſent, abjecta omni cunctatione in Eccleſiam receperunt. Hi igitur gregatim, tanquam ex Colonia revertentes, ſuam recuperarunt Patriam, & Eccleſiam Matrem agnoverunt. A qua diu aberrantes, cum gaudio, & lætitia ad eam redierunt, membraque communis corporis fuère in unum coagmentata, & concordiæ quaſi compagibus firmè copulata: Solaque Catholica Dei Eccleſia in ſe coaleſcens, tum reſplenduit, cum nuſquam gentium vel hæreticæ, vel ſchiſmaticæ factionis veſtigium reliquum quidem eſſet.* Eſt ne verum hoc, ſi id conferas cum relatis perpetuiſque contentionibus? Et qui extiterunt harum in Eccleſia excitatarum contentionom fomes & cauſa primaria? non Aegyptii, id eſt Sanctiſſimus Alexander Patriarcha Alexandrinus, ejuſque Sapientiſſimus Archidiaconus Athanaſius ac confeſtim ipſe, mortuô Alexandrô, Patriarcha, ſed

non-

nonnulli alii, ac quidem Bithyni, & Arii Hæreſiarchæ à Nicænis Patribus damnati, & in exilium ejecti, acerrimi Propugnatores. Hinc *ſecunda* Ratio cur Auctor *bilinguis*. Nam Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus, uterque Bythynus Epiſcopus, poſt Nicænam ſynodum, & pacem in Eccleſia conciliatam, de novo eam turbare aggreſſi ſunt. De his (*a*) Sozomenus, ubi de Arianorum cum Meletianis inita adverſus Orthodoxos ſocietate agit, ſic refert: *Res Arianæ ad priorem denuò tumultum revolutæ ſunt: atque populus, & Clerus à mutua inter ſe communione ſeparati. Quin etiam cùm in aliis urbibus, tum maximè in Bithyniæ, & Helleſponti Civitatibus, tum Conſtantinopoli quoque, dogmata Arii de integro accenſa. Denique fertur, Euſebium Epiſcopum Nicomediæ & Theognidem Nicææ, cum falſa perſuaſione, eum cui Imperator libellum de Actis Concilii Nicæni cuſtodiendum commiſerat, circumveniſſent, ſuas in eo ſubſcriptiones deleviſſe, jamque conatos palàm docere, non exiſtimandum filium Patri conſubſtantialem eſſe. De qua re Euſebium, cùm eſſet accuſatus, apertè ac liberè reſpondiſſe Imperatori: atque veſte quadam, qua induebatur, demonſtrata dixiſſe: Si veſtis illa ſe inſpectante divideretur, ſe tamen nunquam affirmaturum utramque ejus partem unam, eandemque eſſentiam habere. Quibus verbis valdè graviter commotus eſt Imperator. Nam cum perſuaſum haberet, tales quæſtiones poſt Concilium Nicænum penitùs compreſſas fore, præter ſpem eas denuò excitatas vidit.* Rectè igitur vocatus eſt Auctor *bilinguis*, qui adeò ſibi contraria ſcribit, & turpiter mentitur. Primò cauſam tumultus in Eccleſia poſt Concilium Nicænum excitati in Aegyptios conijciens: ſecundò nuſquam gentium vel hæreticæ, vel ſchiſmaticæ factionis veſtigium reliquum quidem fuiſſe aſſerens. Quare non immeritò ſeveriùs à Photio, atque aliis perſtringitur, præſertim à Baronio, in cujus Annalium Tomo tertio in ſuperadditis nomine Euſebii Pamphili plura Vitam Conſtantini concernentia ad finem cerni poterunt; nimirum *de Auctoris vafricie in ſcribenda hiſtoria Nicæni Concilii, de corruptis ab eo*

(*a*) Lib. 2. c. 10. p. 767.

eo Conſtantini Edictis: de falſitate in hiſtoria de Euſtathio: de fictione quod laudatus ſit à Conſtantino: de ejus Electione in Epiſcopum Antiochenum à parte Arianorum: de appetitu laudis: de ejus profuſione in adulando: de infida ejus hiſtoria &c. Sed de Vitæ Conſtantini libris quatuor eorumque vitiis, ac defectibus hæc pauca prælibaſſe, ac levi brachio attigiſſe ſufficiat.

XXXVI. Euseb. In pluribus hactenùs enarratis defectibus excuſari poteſt Auctor, & veniam mereri videtur ſpeciatim propter Fauſtæ, Criſpi atque aliorum necis ſilentium. Ipſemet enim libro primo capite ſexto, de operis ſui inſtituto, deque iis, quæ ſcripturus eſſet loquens ait, ſe nolle ad exemplum ſcribere eorum, qui tum à Nerone, tùm ab aliis quibuſdam impiis, & nefariis tyrannis improborum facinorum argumenta ſplendido, & illuſtri genere orationis hiſtoricos libros exornare non gravati ſunt, ſed conſentaneum ipſi videbatur (a) *ut eximiam & illuſtrem virtutis ejus & rerum geſtarum famam palàm prædicemus*, ait, *omnibus illis, quorum deſiderium ad divinum amorem amplexandum præclarorum imitatio mirè poſſit incendere*. Et infrà eodem capite: *Rerum namque præclarè & divinitus geſtarum commemoratio, non incommodam quidem & injucundam lectionem, his præſertim qui ſunt animo benè conſtituti, ſed ad vitam inſtruendam perquàm utilem, & fructuoſam eſt planè allatura*. Quid indè, ſi plura diſſimulavit, quæ putabat non ſpectare ad ſuum inſtitutum.

(b) Auct. Vit. Conſt. lib. 1. c. 6. p. 147. ſeq.

XXXVII. Silvest. Nec excuſationi ſuæ fidem adhibeo. Nam (b) *impia ſub dulci melle venena latent*; & notoria res eſt eum ſcripſiſſe contra ſuum inſtitutum, & prout in his quæ ad improborum facinorum argumenta, ut ipſe quidem ait, ſpectabant, diſſimulare cupit, ità & in iis, quæ ad majorem Dei gloriam, ad ſempiternam ſinceramque Conſtantini majorem laudem, ad Divinum amorem amplexandum, præclarorumque Conſtantini factorum imitationem ac ad vitam inſtruendam, cuncta perquàm utilia, & fructuoſa ſpectabant,

(a) Ovid. lib. 1. Eleg.

nec

nec citrà ſceleſti cujuſdam Scriptoris infamiæ notam taceri, & diſſimulari poterant, vafrè diſſimulavit, adeòut, quod (*a*) Martialis alii, ego Auctori huic objiciam:

(*a*) Lib. 4. Epigram.

Decipies alios verbis vultuque benigno:
Nam mihi jam notus diſſimulator eris.

Et hæc quidem proba non indigent, cùm evidenter certum ſit, quòd, ut Baronius ſuprà num. XIV. relatus exacte obſervat, Auctor Ario adhærens adverſam ſibi Romanam Eccleſiam adeò averſatus ſit, *ut ea ex parte delegerit potiùs à Conſtantini laudibus abſtinere, quam ulla ex cauſa de ea velle benè mereri*; quod ex unico, quem hic adduco, loco clariſſimè patet. Refert, quomodo in Nummis Conſtantinus poſt mortem, tanquàm in Cœlum aſcendens ſculptus, & repræſentatus fuerit, inquiens: (*b*) *Jam verò in ipſis nummis exſculptæ formæ, quæ una parte beatum hunc noſtrum obvoluto capite repræſentabant, altera parte, quadrigis inſtar aurigæ inſidentem, demiſſa illi cœlitùs manu dextra exceptum*. Poſt quæ ſtatim ad alia digreditur, ne verbô quidem ad hujus nummi explicationem adjectô, neque plùs dicit, quàm quod nummus etiamnum extans per ſe exhibet. Cur adeò rudis hoc loco Auctor? qui tamen alias, & quidem libro tertio capite tertio hieroglyphicam Conſtantini imaginem, ſuper cujus caput Crux, ſub pedibus verò confoſſus Draco ſitus erat, perdiſertè explicat? Voluit nimirum, ut ex animi quidem ſententia conjicio, hoc loco potiùs à Conſtantini laudibus abſtinere, quam hac ex cauſa de Romana Eccleſia benè mereri, ne, nummum explicando laudare, & approbare videretur id, quod Romæ factum eſt, & Nummi hujus cauſa prima extitit.

(*b*) Auſt. Vit. Conſt. lib. 4. c. 73. p. 329.

Euseb. Quæ cauſa illa?

XXXVIII. Silvest. Hanc non obſcurè indicare videtur Euſebius Pamphili, dum in Oratione coram Imperatore anno trigeſimo Imperii ſui anno habita, inter reliqua ſic perorat: (*c*) *Atque Deus ipſe, qui ſummus omnium Imperator eſt, ut*

(*c*) Euſeb. Orat. de laud. Conſtant. p g. 368.

ut in hac vita dexterâ ſua ad opem illi ferendam cœlitùs demiſſa, omnium, inimicorum, adverſariorumque effecit Victorem, imperiique principatum longinquo annorum circuitu amplificavit: Sic poſt diſceſſum è vitâ, illum bonorum multò præſtabiliorum participem facturus eſt, reque ipſa promiſſa ſua ei cumulatè præſtaturus. Quibus Euſebius id, quòd revera ante Conſtantini mortem factum eſt, & poſt ejus mortem in nummis fuit expreſſum, docet. Videlicet, quòd, quemadmodum Cœlica divina manus, quæ Imperatori noſtro ad opem ferendam in hac vita ſemper præſto fuit, ac omnium inimicorum, adverſariorumque effecit Victorem; ità quoque eadem cœlitùs viſibiliter tandem demiſſa manus (quæ, ut refert idem Euſebius ſincerus Hiſtoriographus noſter, Imperatori eo tempore, quando Romæ in Palatio ſuo Lateranenſi à Silveſtro Sanctiſſimo Papa baptizatus eſt, apparuit, corpuſque ejus tangens à Lepra mundavit) imperii principatum longinquo inſuper annorum circùitu amplificaverit, atque, quod etiam nummus exhibet, illum poſt diſceſſum è vita bonorum multò præſtabiliorum participem factura, inter Cœlites, ut pro certo tenendum, ad ſe aſſùmpſerit. Quantam, quæſo, potuiſſet Auctor Conſtantini Vitæ Imperatori congerere laudem, ſi nummum hunc, ità ut oportuit, explicaſſet, non quidem verbis ex flumine Tullianæ Eloquentiæ ductis rivulis, nec ſumtis ex Quintiliano floſculis: neque neceſſarium fuiſſet, inflatis pleniſque buccis adhibere ſpumantia, alibi toties ab eo in falſam exceſſivamque Conſtantini laudem perperàm adhibita verba; ſed ſatisfeciſſet, ſic ſcribere, ut intelligeretur, & de facto loquens nummumq; explicans hiſtoriæ veritatis imitatus fuiſſet ſimplicitatem; quemadmodum Euſebius, atque alii Orientales Scriptores hac de re ſcripſere; quandoquidem ea ad Auctoris inſtitutum, quod profitetur, præciſe ſpectaſſet; quam tamen ſilentiô ſuô damnans dolô malô præterire voluit.

XXXIX. Hæc atque alia in libris de Vita Conſtantini obſervata vitia, quæ viri graviſſimi cenſurâ ſuâ percellunt, haud

haud ego laudare poſſum. Dico: *hæc atque alia*, non item omnia. Cùm etenim mala mixta ſint bonis, & permiſſum ſit *omnia probare*, præceptum verò, *quæ bona ſunt tenere*; hinc quoque libri iſti, malis boniſque mixti, quoad bona à viris doctis, & ab Eccleſia probata, non planè reijciendi, ſed tenendi ſunt. Multa namque continentur in illis, quæ ad veram Conſtantini laudem, ad ejus pietatis ſanctitatiſque commendationem: actionumque ſuarum piæque vitæ rationis imitationem: nec non ad Divinam quoque, ob planè admirabilem in ejus converſione diſpoſitionem, veram ingenuamque laudationem ſpectant; & negare non poſſumus, multum nos Auctori debere, ac propterea, quod Arianæ partis ſtudioſus cognoſcatur, eam cauſam tanti non æſtimemus, ut illum vel durius tractandum, vel etiam de manibus ſtudioſorum hiſtoriæ putemus excutiendum. Cui, ſi quando Eccleſia, Majores noſtri, & Viri docti noſtri temporis fidem quandam, & auctoritatem tribuunt, nos quoque tribuere debemus, neque omnia, ut in Colloquio VI. n. 22. dixi, reijcienda putemus. (*a*) *Si cui hiſtorico*, inquit Doctiſſimus Canus, *auctoritatem Eccleſia tribuit, hic dubio procul dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adjungamus. Contrà verò, cui Eccleſia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure ac merito derogabimus*. Non Auctor librorum de Vita Conſtantini penitùs reſpuendus eſt, ſed legendus ex parte, juxtà doctrinam D. Hieronymi, quomodo ſint veteres quidam legendi: (*b*) *Ego*, inquit S. Pater, *Origenem propter eruditionem, ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemuſque contraria, juxta Apoſtolum dicentem: omnia probate, quod bonum eſt, tenete. Cæterùm qui vel in amorem ejus nimium, vel in odium ſtomachi ſui pravitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico ſubjacere: Væ his, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam ejus prava ſuſcipienda ſunt dogmata:*

(*a*) Melch. Can. lib. 11. c. 6.

(*b*) Hier. Epiſt. 54. ad Tranquill.

nec propter dogmatum pravitatem, ſi quos commentarios in ſcripturas ſanctas utiles edidit, penitus reſpuendi ſunt. Quòd ſi contentioſum inter ſe amatores ejus, & obtrectatores funem duxerint, ut nihil medium appetant, nec ſervent modum, ſed totum aut probent, aut improbent, libentiùs piam ruſticitatem, quàm doctam blaſphemiam, eligam. Proinde bona in libris de vita Conſtantini contenta, quibus Eccleſia & viri docti fidem tribuunt probo, nec fidem elevo, ſed ego quoque cum iis tribuo; Malis verò, quibus Eccleſia fidem derogat; ego quoque jure ac merito derogo, nihilque magis in animo eſt, quam ob falſam, & ab Eccleſia reprobatam de Conſtantini M. Nicomedienſi baptiſmo narrationem, illis fidem elevare omnem derogareque. Nunc vero plura non dicam, ne prætergrediar horam, quâ Colloquia noſtra metiri ſolemus.

COLLOQUIUM VIII.

De ſpeciali Imperatoris Conſtantini Baptiſmi Nicomedienſis in Libris ejus vitæ contenta narratione, quæ nec Hiſtoria, nec fabula, ſed confictum mendacium demonſtratur.

EUSEB. Salutem primùm jam à principio propitiam mihi atque tibi nuntio.

SILVEST. Superi, ſi qui talia curant, perſolvant grates dignas, & præmia reddant debita.

EUSEB. Nunc mihi, ſiqua tenes dubia de baptiſmi Conſtantini Nicomediæ hiſtoria, ab origine dicere prima incipe. Apertè, ità ut res ſe ſe habet, narrato. Suſpenſis auribus iſta bibam.

I. SILVEST. Quid hiſtoria? utique noris. Quid fabula, quid mendacium? non te latet. Euſebiana narratio de baptiſmo Conſtantini, quam dicis hiſtoriam, non eſt hiſtoria, neque fabula, ſed mendacium; parce! aliô enim vocabulô appellare eam ignoro.

Eu-

Euseb. Quid igitur hac de re dicere habes? Et quo modo tandem, aut qua ratione id oſtendis?

II. Silvest. De ſcribenda hiſtoria ſumma capita delibat M. Tullius, cujus idcircò verba apponere hſc neceſſum arbitror. (a) *Quis neſcit*, inquit ille, *primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat? deinde nequid veri non audeat? ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo? ne qua ſimultatis? hæc ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus. Ipſa autem exædificatio poſita eſt in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis, conſilia primum, deinde acta, poſteà eventus expectantur, & de conſiliis ſignificari quid Scriptor probet, & in rebus geſtis declarari, non ſolum quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam quomodo: & cum de eventu dicatur, ut cauſſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis: hominumque ipſorum non ſolùm res geſtæ, ſed etiam qui fama ac nomine excellant, de cujuſque vita atque natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fuſum, atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, proſequendum eſt*. Hactenùs Tullius Cicero, qui fundamentum quidem hiſtoriæ, eſſe dicit veritatem: quomodo & Dionyſius Hallicarnaſſeus & (b) Strabo; ubi quæ de Amazonibus narrantur, inter fabulas refert: *Hiſtoria requirit veritatem, ſive ea vetus ſit, ſive nova: monſtroſa autem, vel nulla admittit, vel rara*. Nempe, ut ait (c) Voſſius, cum hiſtoria haud aliter, ac cum arteria aſpera comparatum eſt. Uti enim hæc rejicit, quidquid inciderit: ità hiſtoria averſatur, ac repellit, quicquid à vero abhorret.

(a) Cic. lib. 2. de Orator.

(b) lib. 11.

(c) de Art. hiſt. in hiſt. Græc. lib. 2. c. 9. p. 14.

III. Sicut igitur veteres Ethnici ad hiſtoriam profanam veritatem tanquam ejus animam primùm neceſſariam exiſtimabant; ità quoque Scriptores Eccleſiaſtici ad hiſtoriam Sacram requirendam eſſe veritatem cenſuerunt. (d) *Legibus obſequens*, inquit Socrates, *hiſtoriæ, quæ ſimplicem ſinceramque, rerum geſtarum narrationem eamque omni fuco caren-*

(d) Socrat. lib. 6., in Proem. p. 544.

tem poſtulant, deinceps ad ipſam hiſtoriam aggrediar: & ea ſcribam, quæ partim ipſe vidi, partim ab his, qui illa conſpexerunt, perdidici: quæ quidem vera eſſe inde exploratum habeo, quòd qui eadem mihi narrabant, ipſi narrando minimè inter ſe diſcreparunt. Quomodo in hiſtoria veritatis potiſſimum habenda ſit ratio Sozomenus ità exprimit, dicens: (*a*) *Alii addicti ſententiis, epiſtolas quæ pro ſua ſecta faciebant, ſtudioſè in unum collegerunt: miſſas verò fecêre contrarias. Quæ res una efficit, ut quæ in his obtigerint, ægrius & majore cum difficultate erueremus. Verum cum in hiſtoria nihil ponendum ſit, quod non ſit ſincerum maximè, & veritatis proptereà maximè in ea ratio habenda: idcircò videbatur per mihi neceſſarium, ut quoad poſſem, ejuſmodi literas diligenter per veſtigarem.* Idem alibi (*b*) *De doctrina autem* inquit, *viderint illi, penes quos eſt poteſtas de ea judicandi. Nam illa neque ſcribere inſtitui, neque ſunt accomodata hiſtoriæ: cujus munus eſt, vera narrare, nihilque adjicere de ſuo.* Hæc hactenùs de hiſtoria.

(*a*) Sozom. lib. 1. c. 1. in Proem. p. 718.

(*b*) Sozom. lib. 3. c. 14. p. 795.

Euseb. Nunc quæſo, ut mihi explices, quæ aut quid ſit Fabula?

IV. Silvest. (*c*) *Nos fabulæ ſumus, ſenex atque anus.* Dicitur autem fabula apud Zenodotum ex Platone & Plutarcho *imperfectus, ac mutilus ſermo.* Unde fabula ſortiatur nomen, docet (*d*) Iſidorus: *Fabulæ*, inquit, *à fando dictæ: quia non ſunt res factæ, ſed tantummodo loquendo dictæ.* Fabulæ docent, & non nocent. Sic Comediæ & Tragediæ, quæ fabulæ ſunt, inſtruunt. (*e*) *Apud Auctores ſecularium litterarum*, inquit S. Auguſtinus, *ut apud Horatium, mus loquitur muri, & muſtela vulpeculæ, ut per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur ſignificatio. Unde & Aeſopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Hæc & in ſacris libris, ut in libro Judicum, quum ligna ſibi regem fecerunt, & loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur: ficta quidem narratione, ſed veraci ſignificatione hæc dicuntur.* Et (*f*) S. Ambro-

(*c*) Terent. in Hecy.

(*d*) Lib. 1.

(*e*) S. Aug. contra mendac.

(*f*) S. Ambroſ. lib. 3. de offic.

bro-

broſius ait: Fabula etſi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, ut juxtà eam poſſit veritas manifeſtari. Dicitur præterea fabula *hiſtoria fabularis*, in qua nimirum multa falſa, & minime vera ſcribuntur. Sic Svetonius in Tiberio ait: *curavit hiſtoriæ fabularis notitiam*. Hæc de fabula.

Euseb. Quid tandem eſt Mendacium?

V. Silvest. Mendacium derivatur à verbo mentior, quod falſum dicere ſignificat; ideòque mentiri nihil aliud importare videtur, juxtà nominis Ethymologiam, & vocis interpretationem, quàm contra mentem ire, & dicere aliquid vel ſcribere contrà rei veritatem ad decipiendas audientium, vel legentium mentes. Unde Tullius Cicero: *Mendacium*, inquit, *eſt falſa verborum prolatio*, *cum intentione fallendi*. Et communiter definitur *Mendacium* à Doctoribus ex (*a*) S. Auguſtino & (*b*) D. Thoma, *eſſe falſam ſignificationem vocis cum intentione fallendi*, *ſeu dicendi falſum*. Eſt porrò nonnulla differentia inter *mentiri*, & *mendacium dicere*. Qui enim mentitur, non ipſe fallitur, ſed alterum fallere conatur. Qui verò mendacium dicit, tum etiam fallitur ipſe, cùm credit ſe verum dicere. Unde Nigidius apud Gellium ait: Vir bonus præſtare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. Aliquando tamen mentiri eſt per imprudentiam falſum dicere, ſicut & mendacium dicere.

(*a*) lib. 1. contra mendac. c. 42.
(*b*) 2. 2. q. 110. Art. 1.

VI. Multipliciter mendacium dividitur à Viris doctis, ſed nonniſi de illo loquor, quod illi vocant *mendacium perniciosum*, quod eſt illud, ex quo ſequitur, vel ſequi poterit nocumentum, & damnum alicujus, ſivè in perſona, ſivè in rebus, ſivè in honore, & fama, cum Dei offenſa contrà Divinam Legem. De quibus agunt D. Thomas, Sylvius, Silveſter, & alii. Et tale mendacium eſt, quod legitur in libris de Vita Conſtantini, de hujus Imperatoris baptiſmo Nicomedienſi; non tamen quod Auctor dixiſſet mendacium, eo ſenſu quod & ipſe crediдiſſet ſe verum dicere, ſed quod mentitus & conatus ſit alios fallere.

Euseb. Quo autem modo iſta probabis? Optimè profe-

ctò

ctò feceris, ſi hæc expoſueris, ac præterea alacri animo diſputationem, ad quam æquè paratus ſum, aggreſſus fueris.

Silvest. Fabularem hiſtoriam, ac planè mendacem eam eſſe narrationem, ex hactenùs dictis utcumque erui poteſt, nimirum ex notitia differentis hiſtoriæ, veræ à falſa, ipſiuſmet veritatis à falſitate ſive mendacio. Et enim nos diſtinguere oportet hiſtoricos veros à falſis, quod non levis eſt negotii, benè autem ſi diſtinguimus, faciliùs tandem etiam hiſtorias ipſas à fabulis, atque mendaciis diſcernere poterimus. Ad notitiam hanc exactiùs aſſequendam varias tradunt viri docti Regulas, quibus erudimur, quomodò hiſtoriam veram à falſa, ſive veritatem à falſitate, ac mendacio diſcernere expediat.

(a) apud Can. lib. 11. cap 6. circà finem in marg.

VIII. (a) Euripides in Phœniſſis ait: *Veritatis ſuevit eſſe oratio ſimplex, vafris non egens ambagibus; ſiquidem ipſa per ſe congruit*. Sed narratio Auctoris de Conſtantini Baptiſmo Nicomedienſi, non eſt oratio ſimplex, ſed auctor vafris utitur ambagibus, à quibus etiam nonnulli viri doctiſſimi in varios ſeducti ſunt anfractus.

IX. Tullius, cujus textum ſuprà retuli, dum ait: primam hiſtoriæ legem eſſe, *ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*; clarè oſtendit, Auctorem vitæ Conſtantini, quem alibi falſum dicere, & verum reticere auſum conſtat, & hoc ipſum in Conſtantini baptiſmi narratione obſervatur, gratiæ, & ſimultatis ſuſpectum, primamque hiſtoriæ regulam tranſgreſſum eſſe.

X. Plutarchus in Pompejo, cùm quædam narraſſet Pompeii indole ac moribus indigna, ſubjungit, non eſſe, quod fidem iis alligemus, quòd ea hauſerit ex C. Oppio, Cæſaris familiari, qui amore Cæſaris, odioque Pompei, pleraque ſcripſiſſe videri poſſit; quæ hiſtoricorum culpa provenit, inquit laudatus Voſſius, ab amore, odio, metu, à quibus propterea ſcribentis animum vacuum eſſe decet, ſubjungens: (b) *Tanto magis & Lectori opus, videre an malefacta, quæ narrantur, ſatis conveniant cum aliùs natura. Nec modo falſitas*

(b) apud Voſſ. de Scr. Græc. & Att. hiſt. c. 9.

tas ab affectu, & partium ſtudio eſſe ſolet, ſed etiam ab levitate humano generi inſitâ. Sed propter hæc eadem, nimirum propter odium, & amorem reputat Socrates Vitæ Conſtantini Auctorem inter eos, qui (a) *non pauca miſſa faciunt, vel ſtudio partium, quibus nimium favent, adducti: vel, ut certis hominibus gratificentur.* Et communiter dicitur, vitam illam nonniſi in gratiam Conſtantii Imperatoris Ariani fuiſſe ſcriptam. Quo autem pactô fidem alligemus iis, quæ Auctor narrat de Baptiſmi dilatione, Conſtantinum nempe diſtuliſſe baptiſmum uſque ad mortem, ſicque eouſque perduraſſe impœnitentem. Anne hæc ſatis convenientia, cum Pientiſſimi Principis Conſtantini natura? Annon potius ejus indole ac moribus planè indigna?

(a) Socrat. l. 1. c. 7. p. 409.

XI. Accedit doctiſſimi Cani animadverſio, qui ſic inquit: (b) *Mihi ſanè aliquando, & verum ipſum in ſcribentis ſinceritate, candoreque relucet, & mendacium contra auctoris quidam angor, & calliditas patefaciunt. Sincera, mihi crede, veritas eſt, & ſi animum repurgatum invenerit, ipſa per ſe rectè influit. Falſitas circuitiones quærit, & anfractus ſeque verborum ambitu ſollicitè circumdat, ac protegit. Atque etiam cum in hiſtoriæ ratione, quid quemque deceat, conſidero, facilè intelligo, hiſtoricos non ſolum falſo, ſed imprudenter reos quoſdam memoriæ prodidiſſe.* Sed hoc ipſum obſervatur in enarratione de Baptiſmo Conſtantini. Cùm enim Auctor nequaquam auſus ſit nominare Baptiſmi miniſtrum, nec formam, & ritum exponere; ac præterea nonniſi circuitiones quærat, ſeque verborum ambitu ſollicitè circumdet, ac protegat, angor, & calliditas ejus mendacium patefaciunt.

(b) Melch. Can. l. 11. c. 6. circ. fin.

XII. Euseb. Ex hactenùs à te dictis nonnulla de historiarum notitia ſatis comperio. At nondum hiſce demonſtraſti, hiſtoriam de Baptiſmo Nicomedienſi eſſe mendacem. Ità quidem dixiſti, at non probaſti.

Silvest. Ne fumos tibi vendere videar, antiquorum Græcorum, juxtà ac recentiorum quorundam Latinorum, qui de baptiſmo Nicomedienſi aſſertum nonniſi abſurditatis, ac men-

Digitized by Google

mendaciorum plenum figmentum dixerunt, adduco teſtimonia, quibus, ea quæ paucis aſſerui, abundè probantur, & confirmantur.

Euseb. Qui ſunt iſti, & quonam modo id illi probant?

XIV. Silvest. S. Theophanes Graphus ex illuſtri Proſapia Conſtantinopoli ortus, eruditione & ſanctimoniâ in Oriente celeberrimus, qui poſtquam in ſua Chronographia Conſtantinum M. Romæ à S. Silveſtro baptizatum narraſſet, ulterius pergens argumentum ſuppeditat his verbis: (a) *Alii in Oriente, Nicomediæ videlicet, ab Euſebio Nicomediæ Præſule, Arianæ partis fautore, circà mortis tempus, baptiſmo luſtratum* (Conſtantinum) *aſſerunt: quo loco eundem obdormiiſſe contigit. Differebat enim, ut ajunt, Jordanis fluento ſe tingendum ſperans. Mihi ſanè tanquam pro vero compertum eſt, eum à Silveſtro Romæ baptizatum: perindeque Conſtitutiones ad Miltiadem ejus nomine vulgatas, ab Arianis confictas apud me indubium. Hinc vel ſuum facere ſtudent, vel certè piiſſimum Imperatorem infamare conantur; abſque baptiſmate eum deceſſiſſe declarantes, quod abſurdum eſt, & à vero alienum. Nondum enim luſtratus ſi Nicænæ interfuiſſet Synodo, ſanè neque divinorum myſteriorum, neque precum à Sanctis Patribus factarum extitiſſet particeps: id verò dicere, nedum ſentire iniquiſſimum eſt. Alii verò Ariani, & Ethnici velut ſpurium calumniantur M. Conſtantinum: at mentiuntur, & ipſi, regia ſiquidem eſt ejus familia, & ante Diocletianum Nobilis. Pater quippè Conſtantius Claudii Imperatoris nepos extitit, & ex priore cum Helena Conjuge connubio ſuſcepit M. Conſtantinum.* Alibi idem (b) Theophanes: *Conſtantinus ad Nicomedienſem Urbem profectus, acie jam adverſùs Perſas inſtructa, morbo correptus, in pace quievit, tum primo baptiſmi gratia donatus, ut quidam ex Arianorum affectis referunt, & ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo in Conſtantinopolitanam Sedem tranſlato luſtratus, quod falſi ſuperius arguimus: Romæ ſiquidem, prout jam demonſtratum, à Silveſtro baptizatus eſt.*

(a) Theoph. Chronograph. edit. à Combefis p. 14.

(b) Ibid. p. 17.

XV.

XV. Georgius Cedrenus id affirmat, ac erraſſe dicit eos, qui talia dicunt. (*a*) *Qui autem dicunt*, inquit, *Conſtantinum morte demùm appropinquante ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo Ariano fuiſſe Nicomediæ baptizatum, errant.*

(*a*) Cedren. hiſt. Comp. in Conſt.

XVI. Michael Glycas eum ipſum errorem & falſitatem probat, dum ità narrat: (*b*) *Alexander Monachus in hiſtoria de pretioſæ Crucis inventione tradit, Magnum hunc Principem* (Conſtantinum) *Nicomediæ fato functum, quum lethifero morbo laboraret, ibidem eum morbi tempore baptizatum eſſe. Conſtantinus enim, ut ipſe quidem commemorat, ad illud uſque temporis baptiſmum diſtulerat, quòd divinum hoc lavacrum in Jordane conſequi cuperet. Verum hæc narratio reapſe parum vero conſentanea videtur. Nam plùs meretur fidei, quod alii tradunt, eum apud Romam veterem à S. Silveſtro baptizatum eſſe. Quanquam enim Ariani quidam conſtanter adſerunt, eum ab Euſebio Nicomedeæ Antiſtite baptizatum eſſe, ut qui Conſtantino illum ad locum uſque comes fuerit, itaque deinceps obdormiviſſe: non tamen dubium eſt, quin magni hujus Imperatoris baptiſterium, quod adhuc Romæ conſpicitur, illuſtri ratione commonſtret. Imò fieri non potuit, ut Nicæno in Concilio baptiſmi expers ipſe foret. Quo enim pacto vel preces unà concipere, vel Sacris adeſſe rebus poterat, nondum baptiſmo particeps? Quapropter in hunc modum de viro maximo vel loqui, vel ſentire prorsùs abſurdum fuerit.*

(*b*) Glyc. Sic. Annal. par. IV. ad init.

XVII. His conſonat Nicephorus Calliſtus. (*c*) *Qui in Oriente*, inquit, *olim Arianæ ſectæ fuere, Conſtantinum Nicomediæ ab Euſebio ejus Urbis Epiſcopo jam moriturum baptiſmum ſuſcepiſſe, prodiderunt: propterea eum ſacrum lavacrum diſtuliſſe dicentes, quod in Jordane fluvio perficere voluerit. Id verò ex eo facilè refellitur, quòd Eccleſia à Silveſtro eum Romæ baptizatum eſſe certò prædicat. Quapropter teſtatum omnibus eſſe volo, ut hoc ſic etiam ipſi tutò opinentur & credant. Ariani enim malè ſentientes, animo & conſilio diabolico hoc confinxerunt, non Romæ baptizatum eum eſſe aſſerentes, aut fortaſſe eadem cum illis ſenſiſſe aſtruentes, perinde atque ab ipſis*

(*c*) Niceph. lib. 7. c. 35.

Digitized by Google

propterea baptiſmi gratiam ſuſceperit : quod abſurditatis & mendacii plenum eſt. Quod & alius Græcus (*a*) Joan. Zonaras ſentire videtur, qui Conſtantinum non Nicomediæ, ſed Romæ baptizatum affirmat.

(*a*) Annal. to. 3. in Conſt.

XVIII. Iſta Græcorum Auctorum, qui poſterioribus ſeculis ſcripſerunt, teſtimonia, tantò firmiora eſſe cenſet (*b*) Card. Polus, quantò magis ab ipſorum animis Ariana impietas fuit prorſus depulſa, atque ideò hac in re judicium eorum, qui nec ipſis latinis favebant, attamen cum Romanis hiſtoriis conſentiunt, ſincerius videri debet. Qui ſi id verum judicaſſent, quod Auctor vitæ Conſtantini ſcripſerat, non inviti illius ſententiam eſſent ſecuti, cum ea præſertim non parvi momenti, eſſe videretur adversùs Romani Pontificis dignitatem, quocum de honoris prærogativa contendebant. Cùm verò extent, inquit idem Cardinalis Nicephori Calliſti, Theophanis, Cedreni, Zonaræ, & aliorum probatorum apud Græcos Scriptorum clariſſima in ſcripturis teſtimonia, cùm de baptiſmo Conſtantini miniſtro Silveſtro celebrato, tum verò de ejuſdem ergò Romanam Eccleſiam munificentia, quæ ferè in omnibus cum Romanorum Pontificum hiſtoriis conſentiunt: hæc quidem veritatis teſtimonia, quaſi ab inimicis prolata, firmiora eo magis eſſe debent. Inimicos enim & æmulos Romanorum Pontificum poteſtatis Græcos, præſertim verò Patriarchas Conſtantinopolitanos, per multos annos, tùm verò maximè, cùm hi ſcripſerunt, fuiſſe, ſatis conſtat.

(*b*) De Bapt. Conſt.

XIX. Quo autem modo à Græcis aſſertum de baptiſmo Nicomedienſi cohoneſtatum eſt, eo quoque modo, nomine, ac titulo inſignitur illud à (*c*) Baronio, ſententiam ex Pſalmiſta ferente: *mentita eſt iniquitas ſibi*. Hoc enim nonniſi Arianorum hæreticorum figmentum eſſe perſpicuè etiam demonſtrat Melchior Canus à me ſæpè laudatus, (*d*) *niſi priùs*, inquit, *baptiſmi fuiſſet fonte ſublatus, qui credi poteſt Conſtantino Epiſcopos aut culparum, aut quærimoniarum libellos obtuliſſe, aut, ut Synodo, & diſputationibus intereſſet, permiſiſſe? Baptizatus ergò ante Synodum Nicænum fuerat Conſtanti-*

(*c*) An. 324. no. 43.

(*d*) Can. lib. 11. c. 5. p. 317.

ſtantinus. Ubi hæreticorum induſtriam, ac diligentiam in propaganda ſecta mirari ſatis non queo. Omnia quippè illi ſursum deque miſcent, ut viri pietate inſignes, præſertim ſi Reges, aut Imperatores ſunt, ipſorum partes foviſſe videantur. Tanta verò arte id efficiunt, ut doctos etiam viros, nedum imperitos fallant. Rursùs alibi: (a) *Meritò ergò Gelaſius Pontifex hiſtoriæ Euſebii Cæſarienſis auctoritatem ademit. Quid? an non etiam abſurdum eſt, ut qui infidelis Eccleſiæ fuerit, ei fidem Eccleſia in rebus Eccleſiaſticis habeat? Experimur ſanè, hæreticos ſectæ ſuæ non dogmata ſolum ac præcepta, ſed res etiam geſtas accomodare: Imo verò torquere, atque adeò fingere, ut Sectam undique & comprobaſſe, & ornaſſe videantur. Hinc enim, quemadmodum ſuprà diximus Conſtantinum finxit Euſebius ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum, quo Arianorum factioni majorem & fidem, & auctoritatem adjungeret.* Ubi advertas velim, non Euſebium Pamphili, ſed potiùs Pſeudo-Euſebium Acacium Euſebianum hoc finxiſſe, &, ut alibi dixi, libros illos, prout etiam Epiſtolam ad Conſtantiam ſcriptam Euſebii nomine ac titulo in vulgus ſparſiſſe, ut Euſebii Pamphili magnâ apud omnes fide, & auctoritate mendacia ſua confirmata eſſent fortiùs. Proindè cum omnis, qui libros de vita Conſtantini inſpicit, protinùs complures deprehendat falſitates, fraudes, ac dolos, & plurimos magni nominis Auctores pro me adferam, qui ſpecialem de baptiſmo Conſtantini relationem tanquam hiſtoriam fabularem & nudum mendacium explodunt, non eſt, quod in minimo quidem dubitem, aſſertum illud falſitatis ac mendacii plenum figmentum dicere.

(a) idem Can. ibid. c. 6. p. 335.

Euseb. Eſto, ut contendis, non tamen ſequitur, hoc mendacium eſſe pernicioſum.

XX. Silvest. Quod cum deliberatione falsò profertur, ſcribitur, aut planè in vulgus ſpargitur, quod dilectioni Dei, vel proximi contrariatur, & ſecundùm gravitatem materiæ ex genere ſuo peccatum graviſſimum eſt, id quoque ex ſua natura mendacium pernicioſiſſimum eſt. Nam mentiri in re

Digitized by Google

fidei, vel ſcripturæ, vel morum, ut communiter tradunt Doctores, mendacium perniciosiſſimum eſt. Atqui in re fidei mentitur Auctor, qui baptiſmatis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, per manus Apoſtolorum traditum, & Conſtantino M. Romæ collatum, per alterum baptiſmum Nicomedienſem reprobare & reformare intendit. In re morum mentitur Auctor, ex quo ſecutum eſt graviſſimum nocumen- & damnum Religioſiſſimi Principis Conſtantini, qui propterea & apud Orthodoxos in ſuſpicionem venit, prolapſus quòd aliquando ſit in Arianam hæreſin. An non hoc pernicioſiſſimum mendacium? finxiſſe, ex quo alii anſam acceperunt arguendi Conſtantinum inexpiatum vixiſſe uſque ad mortem: alii in fine vitæ Arianam hæreſin fuiſſe amplexum, rebaptizatum, atque omnes ſuas vitæ præteritæ in Eccleſia Catholica pias & religiosè peractas actiones, in fine vitæ ejuraſſe, confeſſumque eſſe, ut apertè ſcribit Auctor, tunc primùm ſe fidelium communione dignum, & tunc primùm revera beatum factum eſſe. At hæc nunc miſſa facio, alibi plura de his diſſertaturus. Solum dico nullam prorsùs Auctori hac in quæſtione fidem adhibendam eſſe, cum certò conſtet, Arianum eum fuiſſe, ac in gratiam Ariani Principis Conſtantii aliorumque Arianorum, atque in odium Orthodoxorum, hoc planè abſurdum finxiſſe commentum.

XXI. Euseb. Leviſſima eſt hæc conjectura. Fuerit enim hic Auctor Arianus: anne ideò veriſimile eſt ipſum in hiſtoria mendacem eſſe, ubi de Ario & Arianorum cauſa non agitur? An exiſtimandum eſt ipſum res proximè geſtas, quarum adhuc recentiſſima eſſet memoria, planè aliter ac geſtæ eſſent, ſcriptis prodere auſum fuiſſe, ſpirantibus teſtibus rerum illarum oculatis, à quibus tàm inſolentis, tamque putidi mendacii convinci cum ſummo ſuo dedecore potuiſſet? Sanè ſi baptiſmum Conſtantino Romæ à S. Silveſtro collatum ſiluiſſet tantummodo Euſebius, ſicut & alia multa damnationem Arianæ hæreſeos, & Nicæni Concilii celebrationem ſpectantia ſilentio præteriit (quam ob cauſam ejus hiſtoria à Gelaſio

laſio in Romana Synodo ex parte improbata eſt, & à Photiô cenſoriâ virgulâ notata) ſi, inquam, de baptiſmo Conſtantini Romæ ſiluiſſet tantùm Auctor, alicujus eſſet ponderis illa Conjectura. Verùm cùm aſſerat ità luculenter, Conſtantinum ſub finem Vitæ in Suburbio Nicomediæ baptiſmo initiatum, præter omnem fidem eſt, quòd infidus hac in parte fuerit hiſtoricus. Adhuc enim ſuperſtites erant, qui Romæ baptizatum noſſent, ac ejus baptiſmi adfuiſſent ſpectatores, ſpirabant ſexcenti teſtes, qui negaſſent illum Nicomediæ baptizatum, quique Auctorem impoſturæ palam conviciſſent.

XXII. Silvest. Nimium quantum veriſimile eſt, Auctorem hac in quæſtione mendacem eſſe, & agi hic potiſſimùm de Ario & Arianorum causâ; cujus gratiâ Orthodoxorum baptiſmum ille eludere, ac econtrà Arianorum Anabaptiſmum aſſerere, atque per M. Conſtantini Imperatoris baptiſmum probare, & confirmare voluiſſe videtur. Nam nemo non videt, hunc Auctorem prorsùs ſimilem eſſe Presbytero, qui apud Conſtantiam Conſtantini Imp. ſororem & apud ipſum Imperatorem mendaces ſparſit ſermones, puta Ario injuriam factam eſſe à Nicæna Synodo, eumque non in alia ſententia eſſe, quam quæ à dicta Synodo confirmata eſſent; ipſiſſimo Presbytero, qui Euſebio Nicomediæ Epiſcopo & Eunuchis adjuvantibus mortem Imperatoris celavit, teſtamentum corrupit, neque illud Conſtantino, ſed *Conſtantio* tradens, Deo & hominibus perfidus factus eſt. Hunc Auctorem certum ac indubitatum Socium noſcimus illorum, qui tot enormia Crimina in Tyria, & Conſtantinopolitana Synodis in divinum Athanaſium inhumaniter adeò conjicientes mendacia ſua falſis teſtibus comprobârunt; qui etiam, quod inauditum & falſiſſimum (a) Philoſtorgius & ipſe mendax tradit, utpote manifeſti hætetici criminati ſunt, pium Conſtantinum Imperatorem Orthodoxum, quòd poſt Nicænum Concilium ὁμοούσιον publicis litteris lacerâſſet, & ἑτερούσιον contrà firmâſſet: qui etiam poſteà mendaciſſimè (b) *rumorem diſſipârunt, liberium quoque verbum conſubſtantiale rejeciſſe,* aſſe-

(a) hiſt. Eccl. lib. 2. c. 1. p. 8.

(b) Sozom. lib. 4. c. 14. p. 812.

aſſeruiſſeque ipſum Patri diſſimilem eſſe, idque ſecundùm Aetii & Eunomii mentem, quæ omnia ſanè luculenter probant, Auctorem hunc ſimillimum eſſe *Acacio Luſco* Euſebii Pamphili ſucceſſori & diſcipulo, à quo præter alia innumera mala adversùs Eccleſiam Catholicam & Epiſcopos Orthodoxos perpetrata, (*a*) *maximè adlaboratum eſt, ut omnes in oblivionem decretorum Concilii Nicæni adducerentur*. Et talem Auctorem (quem præterea primam ſcribendarum hiſtoriarum regulam tranſgreſſum: & nonniſi vafris in ſcribendo ambagibus uſum, falſum dicere, & verum occultare, ut certis hominibus, ideſt Arianis, gratificaretur, auſum cognovimus) adeò exactum, fidelem, verecundum & timoratæ conſcientiæ ſe præſtitiſſe hiſtoricum exiſtimemus, ut hiſtoriam de baptiſmo Conſtantini; non aliter ac res proximè geſtæ eſſent, ac nonniſi in Sacramenti baptiſmatis, ritu Orthodoxorum adminiſtrari ſoliti laudem deſcripſerit & commendationem? Quis ità rem ſibi perſuadeat?

(*a*) Sozom. lib. 4. cap. 25. p. 816.

XXIII. Euseb. Difficile tamen eſt creditu, mendacium confingere potuiſſe Epiſcopis tot præſentibus, qui, ut ipſe Auctor refert, tunc aderant, quando Conſtantinus baptizatus eſt Nicomediæ.

XXIV. Silvest. Quod Auctor de Epiſcopis refert, itidem fingit; ut infrà oſtendam. Morienti namque Imperatori nemo adfuit, niſi Presbyter unus, & Eunuchi, quibus Euſebius impius loci Epiſcopus, ut alibi ex Actis S. Metrophanis demonſtravi, ſocium in teſtamenti proditione ſe adjunxit. An difficile creditu? Presbytero (*b*) *homini ſcilicet ſuarum partium ſtudioſo*, ut benè obſervat Franciſcus Combefiſius, *haud abſurdum pro hæreticorum genio vulgando eo baptiſmate* (*quod hominis lecto defixi in cubiculi angulo fuerit, ſeorſim paucisque Symmiſtis ſpectantibus*) *ſibi aliquid indulſiſſe*. An non hoc ipſo baptiſmus Nicomedienſis ſuſpectus & planè fictus videri & dici debet, quòd in occulto peractus dicatur. Sanè Acacius Luſcus Epiſcopus Cæſarienſis, ea quæ in Seleucenſi Concilio confecta erant, propterea admodùm repre-

(*b*) Combefiſ. in not. ad Act. Silveſt.

pre-

Digitized by Google

prehendebat, quòd occluſis januis Actis Patres ſubſcripſerint. (*a*) *Nam ea* (*inquit Acacius*) *quæ in occulto geruntur, ut neutiquam probari debent, ità ſunt plena admodum ſuſpicionis.* Quibûs Acacius, vel contrà ſe, vel certè contrà Auctorem de Vita Conſtantini ſententiam protulit baptiſmum Nicomedienſem in Cubiculo, & loco occulto adminiſtratum neutiquam probari debere; quia plenus admodùm eſt ſuſpicionis.

(*a*) Socrat. lib. 2. c. 32. p. 467.

Euseb. Ego certè vix aliter ſentire poſſum. Verùm, quia plura adhuc dilucidanda reſtant, & hora jam protracta eſt, interim ſi lubet, ſuperſedeamus.

Silvest. Ut placet. Craſtinus ſermo prolixior erit.

COLLOQUIUM IX.

Priora textus de Baptiſmo Nicomedienſi verba trutinantur, & refelluntur.

EUSEB. His, quæ in heſterno colloquio dixiſti, & quæ ego animo revolvi, me adeo conviciſti, ut vix negare poſſim, ſuſpectam omninò eſſe poſſe hiſtoriam de Baptiſmo Nicomedienſi. At necdum acquieſco.

Silvest. Eccur?

Euseb. Optarem, ut etiam ea quæ cæteroqui in ipſa hiſtoria tibi ſuſpecta, dubia vel planè falſa videnter, nominatim exequereris.

Silvest. Placetne, ut de ſingulis textûs verbis ſeorſim dicamus, ac rem plenius diſcernamus?

Euseb. Maximè quidem. Nam certè non pauca, quæ tibi objiciam, ſunt contra tuam opinionem poſita; & tuum erit, ut ea quoque diluas,

I. Silvest. Non facile quidem eſt contrarias objectiones excutere: ſed excutiendæ ſunt tamen. *Fors juvat audentem priſci ſententia vatis.* Atque inprimis textûs de Baptiſmo Conſtantini Auctoris verba reſumo, prout ea ex Henrici Valeſii interpretatione hunc in modum recitaſti: (*b*) *Principio qui-*

(*b*) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 61. p. 557. Interpret. Valeſ. edit. Pariſ. 1659.

quidem inæqualis corporis intemperies, poſt hæc morbus eum invaſit. Itaque ad aquas calidas Civitatis ſuæ progreſſus, inde Helenopolim delatus eſt, Urbem matris ſuæ nomine appellatam: ibique in Templo Martyrum diu commoratus, ſupplicationes, & preces obtulit Deo. Leguntur hæc quoque apud Criſtophorſonum alium Interpretem quantum ad ſenſum, uſque ad ultimum paragraphum, quem ille ſic vertit: (*a*) *ubi in Martyrum ſacra æde diu verſatus, ſupplices preces, & vota publica adhibuit Deo.* Apud Muſculum de his nihil, niſi ultima verba. Helenopolis Civitas, quæ hîc memoratur, *Drepanum* ſive *Drepana* Bithyniæ Urbs erat ad Nicomediæ ſinum, Natale S. Helenæ Matris Conſtantini M. ſolum, quam ideò, & in honorem S. Luciani Martyris Conſtantinus inſtauravit; ut tradunt (*b*) S. Hieronymus, & ex eo S. Proſper his verbis: *Drepanam Bithyniæ Civitatem, in honorem Martyris Luciani, ibi conditi, Conſtantinus inſtaurans, ex vocabulo Matris ſuæ Helenopolim nuncupavit.*

(*a*) Ex Interpret. Chriſtophor. p. 326. edit. Colon. 1570.

(*b*) In Chron. Vid. etiam Chron. Alex.

II. Cauſam, cur tunc temporis, id eſt an. 337. paulò antè Sacratiſſimæ Pentecoſtes Solennitatem Imperator Conſtantinopoli Helenopolim, ac deindè Nicomediam uſque digreſſus ſit, ubi etiam mortuus eſt, reddit Auctor Chronici Alexandrini, nimirum ob ſuſceptam contra Perſas expeditionem, qui ſic ait: (*c*) *Perſis bellum Romanis denunciantibus, Conſtantinus Anno* XXXII. *Imperii, dum in Orientem proficiſcitur, ſuſcepta contrà Perſas expeditione, cùm veniſſet uſque Nicomediam, glorioſè vitam cum morte commutavit in ejuſdem Urbis ſuburbano.* Ita etiam ſcribunt S. Hieronymus & Proſper in Chronico, S. Theophanes in Chronographia, Anonymus Valeſianus in Excerptis, Rufus Feſtus in Breviario, & alii.

(*c*) Chron. Alex.

III. Verùm aliter ſentire videtur Auctor Vitæ Conſtantini, qui non expeditionis Perſicæ, ſed ægritudinis cauſâ Imperatorem Helenopolim, ac deinceps Nicomediam tranſgreſſum inſinuat, præſertim, ubi (*d*) ipſe ſcribit, Conſtantinum quidem contrà Perſas exercitum educere conſtituiſſe, ſed

(*d*) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 56. p. 325.

ſed miſſis Perſarum Legationibus fœdus cum illis iniiſſe conceſſiſſeque pacem, annô, ut ex ipſâ narratione patet, Imperii ſui ultimô, circà diei Paſchæ celebritatem; ſunt autem hæc ejus verba: (*a*) *Interea verò Perſæ, cum Imperatoris animum de movendo bello famâ intellexiſſent, ac pugna cum illo congredi metuiſſent, Oratores ad eum de petenda pace mittebant. Ille viciſſim (ut erat ſemper pacis amantiſſimus) legatos obviis ulnis accepit humaniſſimè: porrectaque dextera, amicitiæ cum illis fœdus lubens inivit. Magna autem agebatur diei Paſchæ eo tempore celebritas.* Non aliam ob rationem niſi infirmitatis causâ Conſtantinum digreſſum fuiſſe Conſtantinopoli Socrates quoque affirmat, de Imperatore ſic ſcribens: (*b*) *in morbum incidit: ac Conſtantinopoli decedens, Helenopolim trajicit, balneis aquarum naturâ calidarum, quæ ibi ſunt in proximo, uſurus.*

(*a*) Auct. Vit. Conſt. l. 4. c. 57. p. 325.

(*b*) Socrat. lib. 1. c. 26. p. 429. Conf. Theodoret. lib. 2. c. 32. p. 627. Sozom. lib. 2. c. 32. p. 779.

IV. Varia deinde Auctoris textûs ſequitur lectio. Ex Valeſio: *Supplicationes & preces obtulit Deo.* [Ex Criſtophorſono: *Supplices preces & vota publica adhibuit Deo.* Verùm tamen poſterior Criſtophorſoni veriſimilior, & magis] ad mentem Auctoris expreſſa videtur lectio. Nam hoc ipſum idem Auctor etiam alibi ſcribit, nimirum M. Conſtantinum Imp. *publicas* in Eccleſiis preces cum fidelibus atque cum ipſis Epiſcopis adhibuiſſe & perſolviſſe Deo. Atqui, ſi hoc ipſum Auctor ſcribit & affirmat, certum & evidens argumentum eſt, deſumptum ex ipſius Auctoris teſtimonio, Conſtantinum M. jam tunc & longè ante fuiſſe baptizatum. Nondum enim baptizato non licuit preces fundere publicas in Eccleſiis cum fidelibus vel cum Epiſcopis.

V. Euseb. In templo quidem Martyrum Helenopoli diverſatus fuiſſe, & ibi preces fudiſſe refertur ab Auctore; ſed hac tantùm vice Eccleſiam ingreſſus Conſtantinus ante baptiſmum memoratur, non ut myſteriis ſacris intereſſet, aut Chriſtianis Sacramentis communicaret; ſed ut ritu ſolemni per manus impoſitionem Epiſcoporum & Orationem, Catechumenus fieret, quod & poſteà factum eſt.

Digitized by Google

VI. Silvest. Falleris, & fallis, aſſerens: *hac tantùm vice*. Nam pius Conſtantinus non tantùm illa vice Helenopoli, ſed aliàs etiam frequenter ubique & in ſuo Palatio Eccleſias ingreſſus publicas cum fidelibus fudit preces.

VII. Euseb. Nuſquam legitur, in Eccleſia, ſive cum fidelibus, ſive cum Catechumenis preces feciſſe, & Sacramenta vel fidelium, vel Catechumenorum, Conſtantinum percepiſſe. Cùm tamen de Helena Auguſta Conſtantini Matre diſertè Auctor affirmet, eam in Eccleſia cum reliquis mulieribus conſtitiſſe.

VIII. Silvest. Quod de Matre: idem de filio apud Auctorem legitur. De Matre: (a) *Ubique cernebatur in Eccleſiam Dei intrare .... videre ſæpè verſari cum multitudine, & verum cultum ergà Deum omnibus piis vitæ officiis declarare.* De filio M. Conſtantino: (b) *Multa magnificentiora contemplari potes, ſi animadvertas, quemadmodum in ipſis regiis Eccleſiæ Dei formam inſtituerit, populo in Eccleſia congregato ipſe ſtudioſè exordiens. Sumptis enim in manus libris, vel Sacrarum litterarum contemplatione diligenter animum adhibebat, vel conſtitutas cum univerſo Eccleſiæ cœtu preces reddebat.* Hanc precandi Imperatoris conſuetudinem cum fidelibus declarat Auctor rursùs alibi dicens: (c) *Magna autem agebatur diei Paſchæ eo tempore celebritas: & Imperator cum cæteris pernoctans, vota precèsque Deo perſolvebat.* Imò ſcribit idem Auctor Imperatorem in celebritate Paſchæ divinos Sacrorum ritus obiiſſe, & quaſi Sacerdotem Sacra feciſſe, omnibuſque præiviſſe exemplo.

(a) Auct. Vit. Conſt. lib. 3. c. 44. p. 300.

(c) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 17. p. 314.

(b) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 57. p. 325.

IX. Euseb. Scribit quidem Auctor noſtrum Imperatorem Pontificis, atque Hierophantæ munere functum, ut ſuo Imperio, & exemplo auguſtiorem Paſchalis ſolemnitatem, quantum ad externum apparatum, efficeret, & gentiles ad Chriſtianæ Religionis venerationem tam ſanctâ, tamque magnificâ pompâ invitaret. Hoc tantummodo autem feſtum Sacratiſſimum celebraſſe Conſtantinum refert Auctor, nec alibi ipſum oraſſe notat, quam in Palatio, ubi quotidiè preces Deo fun-

ſundebat, non autem in Eccleſia, aut Sacris Myſteriis communicaſſe, ſicut fideles, die maximè Paſchatis, communicabant. Quæ certè non omiſiſſet Auctor, ſi tunc baptiſmo initiatus fuiſſet Imperator. Auctoris verba, interprete Valeſio lubet adferre: (*a*) *Ipſe verò, utpote Sacrorum Myſteriorum particeps, in intimis palatii ſui penetralibus quotidie ſtatis horis ſeſe includens, remotis arbitris, ſolus cum ſolo loquebatur Deo; & in genua provolutus, ea quibus opus haberet, ſupplici prece poſtulabat. In ipſis autem ſalutiferæ feſtivitatis diebus, diſciplinæ, atque exercitationum vigorem intendens, cunctis animi & corporis viribus collectis, Pontificis, atque Hierophantæ munere fungebatur. Et ipſe quidem cæteris omnibus præibat ad feſti celebrationem*: Scribit quidem Conſtantinum pernoctaſſe cum cæteris, & vota Deo perſolviſſe, ſed non exprimit an in Eccleſia, an verò in Palatio, ubi Deum precari ſolebat intimis in penetralibus, pernoctaverit. Qui enim eandem noctem, quam fideles in Eccleſia tranſigebant, & ipſe in Palatio Orationi vacans conſumebat, dici potuit cum cæteris pernoctaſſe.

(*a*) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 21, 22.

X. Silvest. Noli confundere Auctoris verba, ſed diſtinctum planè precandi modum & tempus ab eo deſcribi animadvertas velim. Modum diverſum docet, cùm dicat & *publicè* & *privatim*: tempus verò, ubi dicit: *ſtatis horis privatim* quotidie, & *publicè* majoribus in ſolennitatibus eum fudiſſe preces. Intimis in Palatii penetralibus quotidiè ſtatis horis ſe ſe includens preces perſolvebat, & ſolus cum ſolo Deo agebat: in ipſis autem feſtivitatibus Pontificis munere fungens, cæteris omnibus ad feſti celebritatem præibat exemplô. Quibus duplex ac diverſum ejus ſtudium divina obeundi perſpicuè declaratur. Primò *privatim* remotis arbitris, in intimis Palatii penetralibus: deindè *publicè* præſentibus arbitris in publicis Eccleſiis; quomodo enim aliàs dici poteſt: *Pontificis munere fungi, & cæteris omnibus præire*, niſi in publico, & præſentibus omnibus? Cur arguis Auctorem, quod *non exprimit, an in Eccleſia, an verò in Palatio*, qui utrum-

que clariſſimè exprimit. Statis horis, inquit, quotidiè ſe incluſit, & privatim ſupplices Deo reddebat preces, remotis arbitris: in ſolennitatibus autem, ait, eum publicè cæteris præiviſſe exemplò, ac quidem cunctis ſpectantibus. Modus ille & conſuetudo, quando Imperator cum cæteris pernoctavit, & vota preceſque Deo perſolvit, nihil ad *ſtatas horas* quotidianas, quibus ſe ſe incluſit: ſed ad Paſchæ celebritatem pertinet, in quâ more ſolitô publicè cum cæteris divina peragebat. Si verò pernoctatio illa Paſchalis & precum perſolutio non in Eccleſia publica, ſed in Palatio contigiſſe tibi videatur, an non Regium etiam Palatium, ubi fideles ad divina peragenda convenerunt, & M. Conſtantinus *conſtitutas cum univerſo Eccleſiæ cætu preces reddebat*, cenſeri debeat Eccleſia?

XI. Euseb. Sed etſi in Eccleſia oraviſſet, non ſequeretur eum fuiſſe baptizatum. Eccleſias enim ingredi licebat etiam gentilibus, excepto miſsarum tempore; quanto magis Imperatori, qui ſe Chriſtianum profitebatur? Valentem Imperatorem Arianum ab Eccleſiæ ingreſsu non prohibuit S. Baſilius: quin etiam paſsus eſt, ut dona ad Altare offerret.

XII. Silvest. Nec decuit prohiberi Valentem Imp. licet Arianum, ab Eccleſiæ ingreſsu, qui tamen non ad preces fundendas cum fidelibus, ſed ad Verbum Divinum audiendum intravit Eccleſiam. Sic Theodoretus de eo (a) *ad templum*, inquit, *Sanctum ſe confert: fitque doctrinæ Baſilii Magni auditor, & conſueta dona altari offert*. Cur enim Valens prohibitus fuiſset ab Eccleſiæ ingreſsu, cùm audire Verbum Divinum licitum ſit omni creaturæ? Sed ſicut Gentilibus: ità etiam Catechumenis non licebat miſsarum tempore ingredi Eccleſias; nec preces reddere cum fidelibus, quod nec Conſtantino M. licuiſset, ſi nondum fuiſset baptizatus. De cætero rectè ais, quod *etſi in Eccleſiis oraviſſet, non ſequeretur eum fuiſſe baptizatum*; cùm orare in Eccleſiis etiam Catechumenis permiſsum eſset: ita tamen, quod benè notandum,

(a) Theodoret. lib. 4. c. 17. p. 684.

dum, ut Catechumenus nonniſi cum ſolis Catechumenis in loco ſeparato, & nequaquam cum fidelibus baptizatis, orare auderet.

XIII. Euseb. Cur excluderetur Conſtantinus Catechumenus, imò etiam nondum Catechumenus à perſolvendis precibus cum fidelibus baptizatis, qui ſe, ut dixi, Chriſtianum profitebatur?

XIV. Silvest. Licèt Conſtantinus ſe Chriſtianum profitebatur, tamen ut patet ex Conciliis Neocæſareenſis Canone V. & Nicæni Canone XIV. ab hoc excluſus fuit, & auſus non eſt orare cum fidelibus. Quare cum certò conſtet eum aliquando more Catechumenorum in loco ſeparato: & poſteà cum fidelibus, imò cum ipſis Epiſcopis oraſse, *ſequitur eum fuiſſe baptizatum*; quod probatur.

XV. Eô tempore, quô M. Conſtantinus, ante ſuſceptum Romæ baptiſmum, duodecim ferè annis ſe ſemper Chriſtianum profitebatur, ac etiam pro tali habebatur, nunquam ſe ingeſſit ad preces fundendas cum fidelibus; ſed ſolus, cum aliis, qui æquè Chriſti fidem amplexabantur, ſeque Chriſtianos profitebantur privatim in loco ſeparato orationi vacabat, ac pietatis officia exercebat. Id luculenter narrat ejus Vitæ Auctor, qui, cùm de bello primo, quod Conſtantinus Auguſtus contrà Licinium paraverat, & de apparatu bellico ante initum prælium, agit, hæc refert: (a) *Precibus, ſi unquam alìàs, jam etiam ſibi opus eſſe probè intelligens, Dei ſolicitare Sacerdotes, ut ſemper cum ipſo verſari, ſemperque præſtò eſſe vellent: hoſque tanquam quoſdam animæ cuſtodes ducere*. Ex quibus colligitur, Conſtantinum, tunc tantùm ſolicitaſse Sacerdotes, eoſque in hunc finem ſecum duxiſse, ut pro obtinenda victoria orarent, ipſique ſuis precibus præſtò eſſe vellent, non tamen oraſse cum illis. Partâ Victoriâ & inita pace, recruduit rursùs bellum Licinianum & (b) *Conſtantinus*, ut ait Auctor, *qui ſecundò jam bellum neceſſario gerendum animadverteret, Servatori ſuo preces fundendi tempus vacuum & ſolutum dicavit: & Crucis tabernaculo extrà Caſtra etiam lon-*

(a) Auct. Vit. Conſt. lib. 2. c. 4. p. 266.

(b) Auct. Vit. Conſt. lib. 2. c. 12. p. 269.

Digitized by Google

longiſſimè fixo, ibi ſinceræ & piæ meditationi ſe dedens, more veteris illius Dei Prophetæ, quem extrà Caſtra tabernaculum fixiſſe divina confirmant oracula, Deum orare cœpit. Nonnulli etiam quos ipſe ob fidei & pietatis ſtudium ſatis ſpectatos habuit, in idem munus eum eo unà incumbebant: hocque etiam aliàs exequi ei erat in more poſitum, cum bello cum hoſte decertare conſtitueret. Rursùm alibi: (a) *Quemadmodum igitur hæc & infinita his ſimilia, etiam aliàs Imperator facere conſueverat: ſic in præſentia, de more ſuo ante initum prælium, in tabernaculo ſeparato, tempus precibus ad Deum fundendis liberum addixit: ab omni licentia & vitæ ratione luxu diffluente ſeſe vocavit, inedia & corporis afflictatione ſeipſum coercuit, uti Deum ſibi cùm precationibus ſupplicibus placatum, tum benignum adjutorem haberet: eaque perageret, quæ Deus eſſet illius animo injecturus.*

(a) Auſt. Vit. Conſt. lib. 2. c. 14. p. 269.

XVI. Nihil hîc Auctor commemorat, quòd Auguſtus in illo bello cum Sacerdotibus preces ſudiſset, quippè Conſtantinô pietatis officia, *in tabernaculo ſeparato*, exercente, Sacerdotes divina peragebant cum fidelibus baptizatis in aliis tabernaculis. Cur hoc? certè non aliam ob cauſam, quàm, quod Imperator nondum eſset baptizatus, nec ei liceret preces fundere cum fidelibus & Sacerdotibus. Quapropter ſolus, ac etiam quandoque cum aliis, quos ob fidei & pietatis ſtudium ſpectatos habuit, pietatis obibat exercitia, quod non ſolùm tunc, verùm *etiam alias exequi ei erat in more poſitum.*

XVII. Hunc in bellis, præſertim Licinianis, circà divina & diſciplinam Eccleſiaſticam, à Conſtantino inſtitutum & obſervatum morem Sozomenus quoque deſcribit his verbis: (b) *Tabernaculum Eccleſiæ figuram exprimens, cùm contrà hoſtes prælio contenderet, ſecum circumferre conſuevit, ad eum finem, uti neque ſibi in ſolitudine vitam agenti, neque exercitui deeſſet ædes ſacra, in qua quidem deberent Deum laudibus efferre, precibus ſolicitare, & ſacra myſteria percipere. Nam Sacerdotes, & Diaconi, qui ſecundùm Eccleſiæ inſtitutum iſta*

(b) Sozom. lib. 1. cap. 8. p. 734.

munera obirent, tabernaculum aſſiduè ſecuti ſunt. Ex eo tempore militares Romanorum Ordines, qui jam vocantur numeri, ſinguli ſibi tabernaculum ſeparatum conſtruxerunt, habueruntque ſecum Sacerdotes & Diaconos ad rem divinam faciendam deſignatos. Quibûs liquet, quòd quamquàm ex inſtituto Imperatoris Sacerdotes Caſtra & tabernacula ſequerentur, tamen ideò hoc factum non ſit, ut illi in tabernaculo Caſtrenſi Eccleſiæ figuram exprimente cum ipſo Imperatore orarent, ſacraque peragerent in ejus præſentia, ſed ut illi cum fidelibus in eo tabernaculo res divinas peragerent, ipſique Imperatori nondum baptizato, tanquam animæ Cuſtodes, præſto eſsent, ut fideles & baptizati, quibus *Sacra Myſteria percipere* liceret, iis etiam tempore belli in Caſtris frui poſsent. Quare & ipſi Romanorum Militares Ordines, utpote fideles & veri Chriſtiani, ſeparata ſibi à Catechumenis & infidelibus, tabernacula ad rem divinam faciendam conſtruxerunt, in quem finem & illi deſignatos ab Imperatore ſuos Sacerdotes habuerunt. Quæ omnia Conſtantinum tanquam nondum baptizatum, à precibus cum fidelibus faciendis excluſum perſpicuè declarant; præſertim verba: *neque exercitui deeſſet ædes Sacra, in qua quidem deberent Sacra myſteria percipere*, à quorum perceptione Imperator tunc adhuc arcebatur.

XVIII. Iſte mos, & conſuetudo belli paciſque tempore, ſacra peragendi preceſque fundendi, viguit, uſque dum Baptiſmum Imperator ſuſcepit, antè enim nonniſi ſeorſim à fidelibus baptizatis, vel ſolus vel cum aliis quoque interdictis in tabernaculo, vel alio loco *ſeparato*, preces reddebat. Poſteaquàm verò paulò ante mortem contra Perſas expeditionem ſuſcepit, tum non ampliùs in tabernaculo ſeparato, ſed *cum Epicopis* legitur habuiſſe ſupplicandi, ſeu preces fundendi conſuetudinem. Auctorem ejus Vitæ de expeditione Perſica referentem audiamus, ubi ait: (*a*) *Exercitum contrà Perſas educere properaret. Nam cùm id plenè ſecum ſtatuiſſet, militares ordines eduxit: & de expeditione cum Epiſcopis, quos ſecum habebat, communicabat: exiſtimans oportere ex his aliquos*

(*a*) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 56. p. 325.

quos ad pietatis officia maximè idoneos perpetuò ſibi adeſſe. Illi verò libenter quidem ſequuturos ſe, nec veſtigium ab eo diſceſſuros, ſed unà militiam obituros, & apud Deum ſupplicibus votis ſe pugnaturos recipiebant. Hac ille voluntatum, & ſtudiorum profeſſione vehementer delectatus, totius expeditionis quaſi veſtigia eis expreſſit: ac ad bellum illud ſuſcipiendum, tabernaculum interim ad Eccleſiæ ſimilitudinem magnificentia faciendum curavit, in quo Deo Victoriarum datori, ipſe cum Epiſcopis ſupplicaret. Ex quo clariſſimo teſtimonio concluſionem deduco, quod, ſi Conſtantinus non amplius ut olim, nondum baptizatus bellorum tempore cum Licinio, *in tabernaculo ſeparato tempus precibus ad Deum fundendis liberum addixit*, & ſeorſim à fidelibus oravit: ſed jam dum bellum contrà Perſas parabat, *tabernaculum faciendum curavit, in quo ipſe cum Epiſcopis ſupplicaret*, & per conſequens cum omnibus aliis fidelibus preces fundere ipſi licebat, prout omninò ipſi hoc indultum fuerat jam in Nicæna Synodo, ut omnes teſtantur, neceſſario ergò *ſequitur eum fuiſſe baptizatum* longè ante ſuam mortem. Nam non dico non Catechumenum, quem Conſtantinum fuiſſe credis, ſed Catechumenum à fidelium, & baptizatorum orationum communione prohibitum fuiſſe dico, quod adeò certum eſt, ut nonniſi temerarius id negare poſſit.

Euseb. Ità cenſes, at non probas.

Silvest. Probabo hoc alio loco argumentis ſat luculentis.

XIX. Euseb. Sed aliud occurrit argumentum contra tua hactenùs dicta. Antiocheno Concilio in celeberrimi templi dedicatione celebrato intereſſe Conſtantium adhuc Catechumenum, Epiſcopi paſſi ſunt. Quidni igitur in Conſtantinum tàm integræ fidei, tamque inſignis pietatis Imperatorem, cui tot nominibus obſtricta erat Eccleſia, eâ indulgentiâ uſi ſint Antiſtites, ut Eccleſias ingredi, & in illis preces fundere, licet nondum Catechumenus, poſſet: nec non Conciliis intereſſe ad fidem, & unitatem Eccleſiæ contrà hæreticos, & Schiſmaticos protegendam? Hanc diſpenſationem, & indul-

dulgentiam exemplo Theodoſii M. firmat Arnaldus Pontacus, in *notis ad Euſebii Chronicon*: qui Conciliis, & Myſteriis interfuit, & tamen ſub finem vitæ, S. Ambroſio teſte, baptizatus eſt.

XX. Silvest. Reſpondeo, non eſſe paritatem Sanctiſſimi ac Religioſiſſimi Patris, cum filio impiiſſimo. Sic Conſtantium M. Conſtantini filium vocat S. Athanaſius, loquens de dicto Concilio Antiocheno, Encæniorum tempore celebrato, (*a*) *præſente ibidem impiiſſimo Conſtantio Imperatore*. Nec eſt, quod Epiſcopi plerumque Ariani impium Conſtantium Catechumenum Arianum, intereſſe Concilio noluiſſent, cui Concilio, non à Catholicis, ſed ab Euſebianis iiſdemque Arianis congregato, impiiſſimus itidem Euſebius Nicomediæ Epiſcopus, (*b*) *propugnator impietatis* præfuit? Cur Ariani Epiſcopi Arianum Principem, cujus gratiam adeò in omnibus aucupati ſunt, ut Concilii Nicæni Decreta Oblivioni traderentur, & econtrà Arii regnaret opinio, excluſiſſent à Concilio, ullamque, quæ illis communia erant, negaſſent indulgentiam? Ejuſdem enim farinæ Socii erant iſti, cùm illis hæreticis, quos Tertullianus perſtrinxit, quod apud eos (*c*) *quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant*. Quis hoc unquam proferre auſus eſt de Orthodoxis, vel de Sanctis Nicænæ Synodi Patribus? quòd cum Conſtantino Imperatore Catechumeno, vel planè nondum Catechumeno hæreticorum more Eccleſias pariter adiviſſent, pariter oraſſent, nullaque diſtinctio fuerit, quis Catechumenus, quis fidelis?

XXI. Grande ſanè piaculum foret ità cenſere, cùm & contrarium certò conſtet, ipſum *Conſtantium* Imperatorem Catechumenum, cujus meminiſti, apud Catholicos fuiſſe prohibitum à Divinis & fundendis cùm illis precibus. Aderat ille, cùm Patris Conſtantini M. funus Nicomediâ Conſtantinopolim delatum tandem maximâ Pompâ ad Apoſtolorum ædem depoſitum fuit. *Sed cum is*, inquit (*d*) Auctor Vitæ Conſtantini, *jam cum reliquis militum cohortibus ſeceſſiſſet, ade-*

(*a*) S. Athan. de Synod.

(*b*) Theodoret. lib. I. c. 19. p. 617.

(*c*) Tertull. lib. I. de præſcript. hæret. c. 41.

(*d*) lib. 4. c. 71. p. 339.

Digitized by Google

rant Dei Sacerdotes, circumfuſi turba ac univerſo pietatis ſtudioſo populo, à quibus divinus per preces cultus adhibitus eſt..... Jam populus frequens unà cum Sacerdotibus, non ſine lachrymis, & ſanè magno cum gemitu, preces pro anima Imperatoris Deo fundebant. Ex quo patet Conſtantium Catechumenum excluſum fuiſſe à fundendis cum fidelibus precibus, nec ei licuiſſe ſacris intereſſe.

(a) In not. ad c. 71. lib. 4. p. 154.

XXII. Euseb. Horum verborum, inquit (a) Valeſius, duplex ſenſus afferri poteſt. Aut enim ſignificat Euſebius (Auctor) Conſtantium Cæſarem, cùm Patris arcam in Eccleſia depoſuiſſet, ſtatim cum militibus ex Eccleſia diſceſſiſſe; aut id tantum vult, Conſtantium ea re peracta, ſeceſſiſſe è medio Eccleſiæ, ut Sacerdotibus locum daret. Quam quidem ſententiam veriorem putat.

XXIII. Silvest. Veriorem ego puto ſententiam, quòd, ſi Conſtantio Catechumeno ſacris intereſſe licuiſſet, & populus & Clerus ipſi tanquam Principi, & declarato Urbis & Orientis hæredi, locum dediſſent. Ut ut ſit, negare non potes, Conſtantium Catechumenum in Concilio Mediolanenſi ab Epiſcopis Catholicis fuiſſe prohibitum, neque facultatem datam, ut intereſſet Concilio in Eccleſia celebrando; quare ut ſibi Arianiſque ſatisfaceret intra Palatium congregavit Concilium, de quo (b) Sulpicius Severus memorat. Sanctus verò (c) Athanaſius hoc tradit: *Quid igitur hic* (nempe Conſtantius Imperator) *quod Antichriſti non ſit, omiſit? Aut quid ille, ubi venerit, plus committere poterit? Aut quomodò ille in adventu ſuo non repererit ſibi expeditam viam ad dolos ab iſto præparatam. Siquidem jam denuò in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum Palatium tribunal earum cauſarum conſtituit, ſitque earum litium Summum Principem & Auctorem facit.* Itaque ſicut filius Conſtantius: ità quoque Pater M. Conſtantinus cenſeri deberet prohibitus à ſacris, ſi baptizatus nondum fuiſſet.

(b) Lib. 2.
(c) Epiſt. ad Solitar.

Euseb. At Imperator Conſtantinus M. tam benè meritus erat de Eccleſia, ut diſpenſationem & Indulgentiam certò ſit meritus.

XXIV.

XXIV. Silvest. Nonne Imperator Theodoſius erat optimè meritus, & tamen aditu Eccleſiæ, quòd ſanguine tinctus intrare voluerit, ab Ambroſio eſt prohibitus? Si erant loca in Eccleſiis, in Conciliis (teſte (*a*) S. Athanaſio) diſtincta, quò etiam Chriſtianis non licebat introire: quantò minùs Catechumenis, aut nondum Catechumenis, licèt Chriſtianos ſe profiterentur? Non revoco in lucem tempora, quibus Nicolaus Purpuratos Imperatoris, & Imperatorem terrebat: quando Martinus acceptô à Rege poculo primus bibebat, & mox ſuo presbytero, Rege prætteritô, propinabat; quando Chryſoſtomus Eudoxiam templo arcebat, ludos diſturbabat, Gainam Ducem compeſcebat armatum, quæ, quamvis recentiora, priſcæ tamen ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, rigoris & obſervantiæ argumenta; ſed antiquiora tibi in mentem revoco. Nonne ante Conſtantinum M. Philippus quoque Imperator erat, de quo (*b*) Euſebius in hiſtoria Eccleſiaſtica ſic refert: *Philippus unà cum filio Philippo ſuccedit. Fama eſt, iſtum (Chriſtianus namque erat) cum precationum in die poſtremæ vigiliæ Paſchatis unà cum multitudine in Eccleſia particeps fieri vellet, non priùs ab Epiſcopo, qui tum Eccleſiæ præerat, permiſſum eſſe intrare, quàm ſi confeſſus fuiſſet, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumque pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocaviſſet: Epiſcopumque dixiſſe, eum non alia conditione, niſi iſtud faceret, propter multa delicta quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquando ab ipſo in Eccleſiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti, Epiſcopo morem geſſiſſe, & ingenuam modeſtiam ac Religioſam piamque affectionem, Dei timore incitatam reipſa declaraſſe memorant.* Addit Abulfaragius, qui eandem rem narrat, de Philippo Imp. (*c*) *Solebat autem tempore precum accedens extra Eccleſiam ſtare, cum illis qui Religioni initiabantur, nec adhuc de ea loquerentur.* Quam hiſtoriam non ideò retuli, quaſi ignorarem Eruditis eam non ſatis probari, ſed quòd ea certum vigentis olim & omnibus notæ in Eccleſiis diſciplinæ præbeat argumentum.

(*a*) Epiſt. ad Solitar.

(*b*) lib. 6. c. 27. p. 144. ſeq.

(*c*) Abulf. Dyn. 7. p. 80.

Digitized by Google

XXV. Porrò Arnaldum Pontacum, qui, ut ais, diſpenſationem & indulgentiam exemplô Theodoſii M. firmat, corrigit (*a*) Cl. Natalis Alexander; nam Pontacus ad Theodoſium retulit, quod nunquam de Theodoſio, ſed de Conſtantino M. dixit Ambroſius. Nec ullo modo veriſimile eſt, diſpenſationem ſive in Indulgentiam habere voluiſſe Conſtantinum, ut Concilio & ſacris intereſſe, & cum fidelibus ipſiſque Epiſcopis orare poſſet. Repugnant hæc Religioſæ ipſius humilitati, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Canonum ac Decretorum SS. Patrum ſtrictæ obſervantiæ, & ergà Epiſcopos reverentiæ. In Concilii Nicæni Patrum (*b*) *media turba erectus conſtitit: nec prius aſſidere voluit, quam Epiſcopi, ut idà faceret innuiſſent. Tanta enim reverentia & pudor Imperatoris animo ergà illos viros inſedit.*

(*a*) Hiſt. Eccl. Secul. IV. diſſert. 23. de baptiſ. Conſtan.

(*b*) Socrat. lib. 1. c. 5. p. 398.

XXVI. Quid de Conciliorum decretis, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia cenſuerit, ipſemet variis in locis liquidò demonſtrat. Scribens idem Auguſtus de Paſchatis celebrandi Nicænorum Patrum, adverſus Judæos conſenſione, ad Univerſas Eccleſias, inter cætera ejuſdem feſti decreto pondus addens hæc memorat: (*c*) *Libentibus animis hoc decretum, tanquam donum Dei & mandatum reverà cœlitùs demiſſum amplexamini. Nam quicquid in Sanctis Epiſcoporum Conciliis decernitur, id univerſum divinæ voluntati debet attribui*. Scribens ad Populum Antiochenum, qui Euſebium Cæſareæ Epiſcopum depoſcebat, eumque propterea cohortabatur, ne Epiſcopum alterius Eccleſiæ contrà Eccleſiæ inſtitutum & morem abſtraheret, inter alia ſic ait: (*d*) *Ego verò quamquam hominem, qui à vobis & tantis honoris ornamentis decorandus, & tanto honore ac benevolentia complectendus judicatur, laudo plurimum: tamen Eccleſiæ Canon, qui ſingulis ratus & ſtabilis debet manere, non ob eam cauſam infringendus, aut debilitandus eſt*. Eam ob cauſam, quod Euſebius Eccleſiæ Canonem ſervans dictum Epiſcopatum Antiochenum recuſaverit, laudat eundem Euſebium in Epiſtola ad eum data (*e*) *Abs* te, inquit,

(*c*) Conſt. Ep. ad Eccl. apud Auct. Vit. Conſtant. lib. 3. c. 18. p. 493.

(*d*) Conſt. Ep. ad Pop. Antioch. apud Auct. Vit. Conſt. lib. 3. c. 58. p. 307.

(*e*) Conſt. Ep. ad Euſeb. apud Auct. Vit. Conſtant. lib. 3. c. 60. p. 308.

pru.

prudenter ſanè factum eſt, quòd & Domini mandatum Apoſtolicumque Eccleſiæ Canonem ſervare decreviſti Epiſcopatum Eccleſiæ Antiochenæ prorsùs repudiando, & in eo Epiſcopatu fungendo permanere laboraſti, quem ab initio Dei voluntate ſuſcepiſſes. Ad Patres Antiochiæ congregatos ſcribens rursùm, propterea ait: (*a*) *Litteras à veſtra prudentia ad me ſcriptas perlegi, & prudens Euſebii Collegæ veſtri inſtitutum ac ſententiam in eiſdem à vobis declaratam admodum approbavi...... oportebat & Euſebii literas, qui decretum Eccleſiæ maximè obſervare videbatur, & meam ſimul ſententiam veſtræ prudentiæ oſtendere..... Veſtra prudentia ex Eccleſiæ Canone & traditione Apoſtolica, ità veſtram poterit electionem moderare, uti Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio præſcribit.* Scribens ad Tyri Synodum poſt alia ſic eam cohortatus eſt: (*b*) *Veſtræ Sanctitatis*, inquit, *partes ſunt, non odio, non gratia ulla, ſed conſentientibus ſtudiis ſecundùm Eccleſiaſticam & Apoſtolicam regulam omnibus erratis, errore antiquo admiſſis, propriam curationem adhibere.* Refert præterea ejus Vitæ Auctor: (*c*) *quæ ab Epiſcopis in publicis conventibus editæ erant regulæ, ſua conſignabat, & confirmabat auctoritate* (Conſtantinus) *ne reliquarum gentium principibus liceret, quæ ab eis decreta eſſent, abrogare. Cujuſvis enim Judicis ſententiæ, Sacerdotum Dei judicium anteponendum eſſe.* Quod enim de ſuæ vitæ integritate, ſanctorumque in cunctis Divinorum Eccleſiaſticorumque præceptorum obſervantia ipſe Auguſtus profitetur, hoc idem certè de Sanctiſſimæ Eccleſiæ Diſciplinæ propria ejus obſervantiâ intelligendum eſt, cùm dicit: (*d*) *Quoniam pro cupiditate rerum à nobis expetitarum explenda, aliis etiam à fratribus ignominiæ & contumeliæ nota inuſta eſt, idcircò deinceps illa conſectemur, quæ fidem noſtram omni ſuſpicione & infamia penitùs liberent.* Hæc Auguſtus Noſter. Quibus ſatis apertè declarat, quid ipſe cenſuerit de Conciliorum Decretis, deque Eccleſiaſtica diſciplina ac obſervantia; vi cujus, non dico nondum Catechumenus, ſed Catechumenus, citrà omnem diſpenſationem, longiſſimè repellebatur

(*a*) Conſt. Ep. ad Pat. Antioch. apud Auct. ejus Vit. lib. 3. cap. 60. p. 308. ſeqq.

(*b*) Conſtan. Orat. ad Tyr. Synod. apud Auct. ejus Vit. lib. 4. c. 42. p. 321.

(*c*) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 27. p. 317.

(*d*) Conſt. Ep. ad Pop. Antioch. loc. cit.

tur

Digitized by Google

tur à fidelium precum fuſione & ſacrorum participatione, ac dehinc ſtatuta Conciliorum Decreta non tantum à ſe, verum etiam ab omnibus ſuis ſubditis ſtrictiſſimè obſervata cupiebat, ne vel ipſe quidem propter tranſgreſſionem ſuſpicionis aut infamiæ notam contraheret. Quamobrem quæro quis ſugillavit aliquando, Conſtantinum de cujuſdam ſuſpicionis & infamię inuſtâ notâ, quod nempe Eccleſię Canones ipſe fuerit tranſgreſſus? & quod ille aliis perſuaſit, & propter quod alios laudavit, ipſe minùs obſervans & ideò infamis pro cupiditate rerum à ſe expetitarum explenda, contrà Eccleſiæ Canones, contrà omnem morem & conſuetudinem, ac contra vigentis in Eccleſiâ ſtrictæ diſciplinæ obſervantiam, tanquam nondum baptizatus, imò nondum Catechumenus, ſed infidelis, diſpenſatus, ſe ingeſſerit Sacris Concilii Nicæni rebus? Et ibi atque alias frequenter in Eccleſiis publicis perinde ac adhuc Ethnicus, & diſpenſatus fidelis Chriſtianus preces fuderit cum fidelibus? Annon meritò hæc ipſi infamiam, hæreticis verò ſcandalum generare potuiſſent? (*a*) *Quæ enim participatio juſtitię, cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli*? Sed, rogo, quis Nicænæ Synodi Patres, aut poſtmodum aliòs Epiſcopos, vel Orthodoxum Populum, quô cum Imperator ſolitus erat preces fundere ſugillavit, quod Eccleſias inſtar hæreticorum pariter adeant, pariter orent, nec diſtinctio ſit, quis Catechumenus, quis fidelis? An perpulchram hanc Hæretici carpendi Orthodoxos occaſionem neglexiſſent? Objecerunt his Donatiſtæ: (*b*) *Quid Chriſtianis cum Regibus? aut quid Epiſcopis cum Palatio*? Vocavit Sabinus Macedonianæ hæreſis Princeps ſceleſtiſſimus Nicænæ Synodi Patres, (*c*) *imperitos & inſcios*: carpebat Aceſius dictæ Synodi Canonem de relapſis, dicens: (*d*) *non in Sacerdotum, ſed in Dei ſolius ſitum eſſe poteſtate illud peccati genus* (ad mortem nimirùm poſt baptiſmum commiſſum) *ignoſcere*; hæc atque alia effutiebant hæretici contrà Catholicos, ſed ne unus quidem eſt, qui diceret, Catholicos aliquando indiſcriminatim

(*a*) 1. Cor. 6. 14. 15.

(*b*) Opt. Milevit. lib. 3. ad. verſ. Parm.

(*c*) Socrat. lib. 1. c. 6. p. 405.

(*d*) Socrat. lib. 1. c. 7. p. 409. Sozom. lib. 1. c. 21. p. 748.

tim

tim ſacris interfuiſſe cum nondum baptizatis, aut planè cum infidelibus.

XXVII. Quod diſtinctio hæc in re, citrà diſpenſationis & infamiæ notam, ſanctè fuerit ſervata, ipſe Auguſtus Conſtantinus Noſter oſtendit, qui, quod Eccleſiæ in his diſciplinam attinebat, ipſe univerſum ſuum exercitum docuit. Sic Auctor ejus vitæ ſcribens, quomodo Imperator Dominicum diem colendum eſſe lege ſanxerit, hæc refert: (*a*) *Cumque hunc ſalutarem diem, quem lucis vel ſolis diem appellamus, univerſum exercitum omni ſtudio colere docuiſſet: his qui divino inſtinctu fidem ſequuti erant, otium fecit, ut liberè poſſent Eccleſiam Dei frequentare, quo ſine ullo impedimento preces Deo perſolverent. Sed aliis qui nondum divinam deguſtarant doctrinam, alia quadam lege mandavit, ut Dominicis diebus in patentes ſuburbiorum campos exirent, atque ut ibi eadem precationis forma, dato ab uno aliquo ſigno, omnes ſimul ad Deum uterentur*; quibus Militum tres claſses indicantur, nimirum: *fidelium: Catechumenorum, & infidelium*. Fidelibus & Catechumenis dedit indulgentiam die Dominico adeundi Eccleſias, ibidemque ſecundùm Eccleſiæ ritum & conſuetudinem, ut fideles cum fidelibus, Catechumeni cum Catechumenis, ab illis ſeparatim orent; Infideles autem juſſit ire foras in patentes ſuburbiorum campos, atque ut ibi eadem utantur precationis formulâ, quam ipſe univerſis præſcripſerat. Imperator, tempore belli Liciniani, utpote nondum Catechumenus, legitur foris in tabernaculo ſeparato ſuas perſolviſſe preces. At poſteà legitur cum SS. Patribus in Nicæna Synodo, cum aliis Epiſcopis, imò *cum univerſo Eccleſiæ Cœtu* preces reddidiſſe; ex quo & aliis hactenùs dictis intelliges, quantæ efficaciæ ſit argumentum S. Theophanis, qui Conſtantinum baptizatum fuiſſe ante Nicænum Concilium collegit ex hoc ſolo fundamento: Si enim, inquit, baptizatus non fuiſſet, *ergò nec orabat cum SS. Patribus*, quòd tamen ei, atque aliis Græcis à me citatis, Glicæ & Niephoro, videtur nequiſſimum & dicere & ſentire.

(*a*) Auct. Vit. Conſt. lib. 4. c. 19. p. 315.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Igitur, cum Vitæ Conſtantini Auctor idipſum variis in locis, præſertim ubi ſcribit, Imperatorem Valetudinarium paulò ante ſuam mortem Helenopoli in templo Martyrum *Supplices preces & vota publica adhibuiſſe Deo*, utique cum fidelibus, affirmet, conſtat ex ipſius hujus Auctoris proprio teſtimonio, Conſtantinum pridem fuiſſe baptizatum, & quod poſteà de ejus baptiſmo Nicomedienſi refert, nil niſi apertum figmentum ac pernicioſiſſimum eſſe mendacium.

Euseb. Hæc, quæ hactenùs ſatis fusè in medium protuliſti, apud me manent altâ mente repoſta. Sed ſuppetitne tibi aliud quid dicendum, circà textum Auctoris?

Silvest. Suppetunt nonnulla.

Euseb. Quæ illa?

XXIX. Silvest. Inprimis verba Auctoris proferam, prout ea ex Valeſii interpretatione, de iis, quæ ulterius Helenopoli peracta ſunt ſic recitâſti: *Cumque extremum vitæ diem ſibi jam imminere ſentiret, tempus tandem adeſſe exiſtimavit, quo totius vitę delicta expiaret; firmiſſimè credens, quęcunque humanitùs peccaviſſet, arcanorum verborum efficacia & ſalutari lavacro penitùs eſſe delenda. Hęc cum apud ſe reputaſſet, genuflexo humi procumbens, veniam à Deo ſupplex popoſcit, peccata ſua confitens in ipſo martyrio: quo in loco manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primùm meruit accipere*. Concordat Muſculus & Criſtophorſonus quoad ſenſum, præſertim ubi Valeſius habet: *peccata ſua confitens in ipſo martyrio*, legit Maſculus: *eoque loci confeſſionem fecit*: & Criſtophorſonus: *in ipſa martyrum ęde errata ſua confeſſus*. Quibus ad invicem ità collatis, quæro nunc, quid ea ſignificent?

XXX. Euseb. Tunc primùm Conſtantinum factum eſſe Catechumenum inde patet. Nam Catechumeni per manus Impoſitionem ab Epiſcopis *fiebant*, ut conſtat ex Concilio Illiberitano, Arelatenſi: ex Severo Sulpitio, ex S. Auguſtino, ex S. Petro Chryſologo atque aliis.

XXXI.

XXXI. Silvest. Sed manûs impoſitioni præceſſerit *peccatorum confeſſio*; quid de hac cenſes?

XXXII. Euseb. Non poteſt cenſeri Confeſſio Sacramentalis.

XXXIII. Silvest. Adeò omninò obſcurè & ambiguè ſcribit Auctor, ut, quid ſibi verba iſta velint, Oedipo opus eſſet; & conſultò fortè ab his præſcindunt illi, qui tecum ſentiunt. Quæ enim peccatorum confeſſio, niſi ſacramentalis? quæ tamen hic intelligi non poteſt, ſi eo in loco deinde primum per manûs impoſitionem Catechumenus; ac tandem paulò poſt Nicomediæ per baptiſmum conſummatus factus eſt Chriſtianus.

XXXIV. (*a*) Cl. Blanchinus, qui præclarum ac eruditione fœcundum ſuper hæc aliaque ſubſequentia Auctoris verba ſermonem inſtituit, putans eum optimâ fide ſcripſiſſe, non quæritur de hujus textus corruptione, prout Pagius Junior ſuſpicatur, ſed conqueritur tantùm de præjudicata interpolatione ac detorſione ejuſdem ſententiæ: cui occaſionem præbuit, uſus translati verbi ſive Metaphoræ juxtà diſciplinam Arcani, quæ illa ætate vigebat, cùm ſermo eſſet de Sacramentis, prolata ab Auctore de ſuſceptione ſalutaris lavacri pœnitentiæ, per arcana verba & manuum impoſitionem, cum ſolemni precatione, à Sacerdotibus Principi confitenti totius vitæ peccata adminiſtratæ, nonnulli inconſideratè referunt ad baptiſmum; & divinum ſignaculum ab Auctore memoratum, & Conſtantino per Epiſcopum Nicomedienſem inditum, interpretantur baptiſmum, cùm ſit de *Chriſmate* ſeu *Confirmationis Sacramento* intelligendum. Ità interpretandum eſſe Auctoris textum pluribus demonſtrare conatur laudatus Blanchinus, qui Auctorem non mala fide ſcripſiſſe, neque ſuô teſtimoniô, ut complures opinantur, hiſtoriam baptiſmi per Silveſtrum Romæ Conſtantino Auguſto adminiſtrati, evertere voluiſſe, ſed tantùm locum illum Auctoris alios malè interpretatos fuiſſe contendit; Cùm Auctor non de baptiſmo; ſed de duobus Eccleſiæ Sacramentis, à baptiſmi lavacro diver-

(*a*) in not. ad Anaſt. Bibl. in Silveſt.

Digitized by Google

verſis, *Pœnitentiæ* ſcilicet & *Confirmationis*, hîc loquatur.

XXXV. Verùm enim verò, licèt & ego non querar de hujus textûs corruptione aut interpolatione, tamen, cùm multò veriſimilius ſit, non Euſebium, ut Blanchinus ſupponit, ſed longè alium hujus rei eſſe Auctorem, certum eſſe debet, Auctorem hunc non bonâ fide, ſed ut viri graviſſimi utriuſque Eccleſiæ cenſent, dolô peſſimô ſcripſiſſe, & non ſolùm conatum eſſe hiſtoriam baptiſmi, per S. Silveſtrum Romæ Conſtantino adminiſtrati, evertere; ſed ipſum Catholicorum baptiſmatis Sacramentum eludere, reprobareque voluiſſe. De cætero autem minimè dubito, quin illi, qui meam ſententiam propugnant, Auctoris textum in benigniorem partem, & in favorem M. Conſtantini Religioſiſſimi Principis, in ſenſu ſano & catholico, juxtà Blanchini mentem, interpretentur. Nimirum, quod Auctor hîc de *peccatorum confeſſione*, ac *manuum impoſitione* in templo martyrum & S. Luciani Helenopoli: tandemque etiam de Lavacro Nicomedienſi memorat, nihil aliud intelligi poſſe ac debere, quam Sacramentorum adminiſtrationem *Pœnitentiæ* videlicet, & *Eucharistiæ*, *& extremæ Unctionis*, non tamen Confirmationis, ut vult Blanchinus; quia conſtat, Conſtantinum Pium jam pridem anteà *ſeptiformis gratiæ S. Spiritus conſignationem* ſuſcepiſſe Romæ. Hoc & non aliud, quod veritati conſentaneum eſſet, colligendum & aſſerendum eſt ex Auctoris textu, ubi dicit, *peccata ſua confitens in ipſo martyrio*, nempe quòd Confeſſionem Sacramentalem peregerit, ac etiam eo in loco *manuum impoſitionem cum ſolemni precatione primùm meruerit accipere*, ideſt abſolutionem Sacramentalem, tunc *primùm* Helenopoli; poſteà verò Nicomediæ *Euchariſtiæ & extremæ Unctionis* Sacramenta; Nam Pœnitentibus imponebantur manus, utique cum precationis & Sacramentalis abſolutionis formula? quod patet ex (a) Concilio IV. Carthaginenſi, ubi præcipitur, ut ſingulis diebus jejuniorum, manus à Sacerdote pœnitentibus imponantur, & licet Concilium hoc poſt Conſtantinum celebratum ſit, tamen hic Canon, nonniſi ſecundùm

(a) Can. 80.

Digitized by Google

dûm antiquam Eccleſiæ praxim conditus eſt, quia (*a*) Apoſtolus impoſitionem manus numerat cum baptiſmo, cum fide, cum pœnitentia, cum aliis rebus, quæ pertinent ad ſalutem; imo etiam ad ſundamenta Religionis, ut ex eodem Apoſtolo demonſtrat (*b*) Bellarminus.

XXXVI. Euseb. Verùm hæc explicatio eſt contrà Auctoris, atque ipſius Interpretis Valeſii mentem, qui tunc primùm Conſtantinum factum eſſe Catechumenum ait.

XXXVII. Silvest. Hoc certò ſic intelligi nequit, niſi dicas Conſtantinum tunc primùm juxtà Arianos Catechumenum factum, ac eorum aliorumque hæreticorum more deinde rebaptizatum, quod & non aliud intendit Auctor. Hinc ejus verba non ſecundum perverſam ejus mentem, ſed ut æquitas poſtulat, explicari debent, quæ reipſa nihil aliud indicant, quàm Generalem omnium inprimis Conſtantini peccatorum confeſſionem, ad quam ritè peragendam Pius ac Religioſiſſimus Imperator, *in templo martyrum diu commoratus*, ſolicitè ſe diſponebat, quâ tandem peractâ eodem in loco manuum impoſitionem Sacramentalemque abſolutionem *primùm*: poſt hæc autem Nicomediæ alia, ipſo Pentecoſtes die, Sacramenta videlicet Euchariſtiæ, per modum Viatici, ac etiam extremæ Unctionis, inſtante morte, *meruit accipere*. Quid veritati magis conſentaneum? Conſtantinus Orthodoxus & timoratæ conſcientiæ Princeps *extremum diem*, quô actionum ſuarum omnium rationem Deo daturos: ac cunctos mortales Magno Regi aliquando rationem ſuæ vitæ relaturos, frequenter (*c*) aliis prædicavit, ipſe *ſibi jam imminere ſentiens* certè nil magis in votis habuerit, quàm renovari ſpiritu, & quod aliis prædicavit, tùm ſibi ipſi maximè cordi fuerit, ad hoc autem, cùm adultus eſſet, ab iis, *quæcumque humanitùs peccaviſſet*, purgandus erat omnium peccatorum ſuorum confeſſione, in Sacramentô pœnitentiæ, ſicque deſideraverit renovari per pœnitentiam, quod Sacramentum Metaphoricè *lavacrum ſalutare*, ſive *alterum*, imò (*d*) *lavacrum quotidianum* appellatur. Hoc autem ritè à Conſtantino præ-

(*a*) Hebr. 6.

(*b*) Controv. tom. 3. lib. 2. c. 2. de Sacram. Conf. col. 305.

(*c*) Auct. Vit. Conſtan. lib. 4. c. 29. p. 318.

(*d*) S. Auguſt. apud Morin. de Pœnit. lib. 5. c. 31. n. 15. ſeq.

(a) Vid. Nic. Concil. Can. 13.

præmiſſum fuiſſe Euchariſtiæ ſuſceptioni, (*a*) infirmis per modum Viatici adminiſtrari ſolitæ, ac etiam extremæ Unctionis, ità perſpicuè Auctoris verba declarant, ut nullus ſuperſit, eadem attentè conſideranti, ambigendi locus. Quod namque in utroque loco, & Helenopoli, & Nicomediæ peractum memorat, nihil, niſi Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta, Conſtantino paulò ante ſuam mortem adminiſtrata, verè ſignificare poſſunt.

XXXVIII. Accipe, rogo, verba primo loco recitata, *cùm extremum vitæ diem* (inquit) *ſibi jam imminere ſentiret, & tempus adeſſe exiſtimaret, quo totius vitæ delicta expiaret,* fidei ſuæ ac noſtræ vim totam excitavit, *firmiſſimè credens, quæcunque humanitùs peccaviſſet, arcanorum verborum efficaciâ & ſalutari lavacro* (pœnitentiæ) *penitùs eſſe delenda*; id cogitavit, & renovatô fidei conſenſu, conſtanter tenuit, virtute à Chriſto Domino indita Sacramentis ab eo inſtitutis, *Pœnitentiam & extremam Unctionem* præſtare ad univerſa vitæ peccata penitùs tollenda; & quoniam ſalutare lavacrum *pœnitentiæ* tum ſepties, tum ſeptuageſies ſepties, fidelium animis renovandis datum: ac adhiberi indulgenter permiſſum ſciret; hoc præprimis ſibi prodeſſe intelligens Imperator, qui pridem jam baptizatus fuerat, ritè hoc etiam percepit Helenopoli, ad expianda univerſa vitæ peccata; qua præviâ diſpoſitione ità purgatus poſteà Nicomediæ ſumptâ Euchariſtia ſuſcepit Sacramentum Extremæ Unctionis ad roborandam animam contrà dæmonis in morte tentationes: ad delendas quaſcumque etiam peccatorum reliquias, & tollendas pœnas reſtantes, quod ex ipſius Auctoris verbis colligo, ubi inter divinas cæremonias Nicomediæ ultima die peractas, recenſet: *injunctiſque ei quæcunque neceſſaria erant, ſacrorum myſteriorum participem eum fecerunt*. Quid quæſo, aliud hæc ſignificare poſſunt, quam extremam Unctionem? quid aliud infirmo & extremum diem adeſse ſentienti Conſtantino, ex iis omnibus quæcunque lethaliter infirmis neceſsaria ſunt, poſt jam ſuſcepta pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, adhuc tanquam neceſ-

ſarium

ſarium reſtabat, niſi ſola ac unica Unctio Extrema?

XXXIX. Euseb. Totum hoc quod contra mentem Auctoris eſt, refellit Valeſius, qui nequaquam Conſtantinum tunc Sacramentorum participem, ſed tunc primùm Catechumenum factum eſſe ſcribit. In verba Auctoris *de manus impoſitione* ille ſic notat: Hic locus, inquit, attentam in primis Lectoris diligentiam flagitat. Ex eo enim magna illa de Conſtantini baptiſmo quæſtio dijudicari facilè poteſt. Ait igitur Euſebius, Conſtantinum Imperatorem tunc primùm manuum impoſitionem cum ſolemni precatione in Eccleſia ſuſcepiſſe: id eſt uno verbo, tunc primùm factum eſſe Catechumenum. Nam Catechumeni per manus impoſitionem fiebant ab Epiſcopo, ut docet Canon 6. Concilii Arelatenſis: *De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi*. Idem ſancitum eſt c. 39. Concilii Illiberitani: *Gentiles, ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi; ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos*; quod pluribus deinde adhuc aliis argumentis idem Valeſius probat, ſubjungens, quod ex his pateat, Catechumenos non aliter, quam per impoſitionem manûs olim in Eccleſia factos fuiſſe. Cùm igitur, ait, Conſtantinus tunc primùm manus impoſitionem in Eccleſia accepiſſe dicatur, conſtat eum Catechumenum nondum fuiſſe.

XL. Silvest. Nihil minus, quàm Conſtantinum tunc primùm factum Catechumenum Valeſius probat; argumentum enim ad hoc probandum & à manûs impoſitione deſumptum, infirmiſſimum eſt. *Quid enim eſt aliud manus impoſitio*, inquit S. Auguſtinus, *niſi oratio ſuper hominem*, ideſt ſuper quemcumque, & non tantùm ſuper Catechumenum. Hæc ſiquidem cæremonia frequentiſſima eſt in divinis litteris, & omnium communiſſima. Nam & (*a*) Dominus manus imponebat parvulis; & Apoſtoli ſemper ferè orationi ſuper aliquos addebant manûs impoſitionem, ut patet ex (*b*) Apoſtolorum Actis. (*c*) Ananias Saulo manum impoſuit, ut viſum recipe-

(*a*) Matth. 19. 13. 16.
(*b*) c. 8.
(*c*) Act. c. 9. 12

pe-

peret. Sic manus omninò etiam imponebantur Catechumenis, dum initiabantur, ut patet ex Valeſii probationibus. Sed præterea adhibebatur hæc cæremonia fermè ad omnia Sacramenta. Sic *baptizandis* imponebantur manus, ut (*a*) Dionyſius Areopagita meminit. Item (*b*) Clemens, (*c*) Concilium IV. Carthaginenſe, & S. Cyprianus referens Acta Concilii Carthaginenſis, aſſerit, manûs impoſitionem cum exorciſmis præcedere debere baptiſmi generationem. Idem alibi: (*d*) *Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, per Præpoſitos Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, & manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſumentur*; quod etiam de confirmatis intelligendum. Nam *confirmandis* etiam adhibebatur illa cæremonia, cujus uſus extat, ubi ſuper baptizatos (*e*) Apoſtoli manus, imponunt, ut accipiant Spiritum Sanctum. Hanc in utroque tum baptiſmi tum confirmationis Sacramento adhiberi ſolitam (*f*) Tertullianus teſtatur: *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur; Caro ungitur, ut anima conſecretur; Caro ſignatur, ut anima muniatur; Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur*. Idem alibi: (*g*) *Exinde*, inquit, *egreſſi de Lavacro perungimur benedicta unctione*. Et infra: *deinde manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum*. (*h*) Pacianus: *Lavacro peccata, purgantur, Chriſmate Sanctus Spiritus ſuperinfunditur: utraque verò iſta; manu & ore antiſtitis impetramus*. (*i*) S. Urbanus de Confirmatione, *omnes*, inquit, *fideles per manuum impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur*. *Pœnitentibus* imponebantur manus, ut ante dixi, ex Concilio IV. Carthaginenſi, & ex Apoſtolo apud Bellarminum. Item *Infirmis*, ut ex ipſius Chriſti Domini Verbis conſtat: (*k*) *Super ægros manus imponent: & benè habebunt*; & ex Concilio Arelatenſi a Valeſio citato. *Ordinandis* etiam: eſt enim ritus externumque Symbolum ordinationis manuum impoſitio, de qua frequens

men.

(*a*) de Eccl. Hierarch. c. de baptiſ.

(*b*) Lib. 7. Conſtit. c. 39.

(*c*) Can. 85.

(*d*) S. Cypr. Epiſt. ad Jubajan.

(*e*) Act. c. 8. & c. 19.

(*f*) lib. de Reſurrect. Carn.

(*g*) Tertull. lib. de baptiſ.

(*h*) in lib. de baptiſ.

(*i*) in Epiſt. ſua Decret.

(*k*) Marc. ult. v. 18. vid. Act. 28. 8.

Digitized by Google

mentio fit (*a*) in Scriptura, ubi Diaconi ordinantur per manûs impoſitionem. Et impoſitione manuum ordinantur (*b*) Epiſcopi Paulus & Barnabas. *Sic* enim eum locum intelligit (*c*) S. Leo, & (*d*) S. Chryſoſtomus, ubi habemus: *Cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros*: quo loco in Græco textu legitur: *Cùm per manûs impoſitionem creaſſent presbyteros*. Quod Paulus diverſis locis innuit: (*e*) *Cùm impoſitione manuum presbyterii*. Item: (*f*) *Manus citò nemini impoſueris*. Et alibi: (*g*) *admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quæ omnia loca intelliguntur ab omnibus expoſitoribus de ordinatione (*h*) undè etiam apud Græcos ordinatio appellari ſolet *manuum extenſio*, ſivè *impoſitio*. Ex quibus colligendum, quòd, cùm manûs impoſitio adeò frequens, & pro diverſitate ſtatûs perſonarum, ob varium finem & effectum omnibus adhiberi ſolita communis fuerit cæremonia Eccleſiaſtica, argumentum ex manûs impoſitione deſumptum probare nequeat, Conſtantinum Helenopoli factum fuiſſe Catechumenum.

(*a*) Act. c. 6.
(*b*) Act. c. 13. & c. 14.
(*c*) Epiſt. 81. ad Dioſcor.
(*d*) in commentar. ejus loci.
(*e*) 1. Tim. 4. 14.
(*f*) ibid. c. 5. 22.
(*g*) 2. Tim. 1. 6.
(*h*) Vit. Bellarmin. de Sacram. Ord. & alibi de man. Impoſ.

XLI. Euseb. Iſte certè, non alius ſenſus, fuit Auctoris, qui Imperatorem poſt hæc Nicomediæ baptizatum ſcribit; Sacramento autem baptiſmatis neceſſariò antecedere debuit Catechumenatûs manuum impoſitio.

XLII. Silvest. Quod ſi hoc defendas, dico id non aliter intelligi poſſe, niſi juxtà perverſiſſimam, ac prorſus nefariam Auctoris mentem in ſenſu reprobo, quaſi verò Religioſiſſimus Princeps Conſtantinus, tunc primùm fuiſſet factus Catechumenus *Arianus*, ac poſtea in Ariana quoque perfidia fuiſſet baptizatus.

Euseb. Abſit, ut cum Valeſio hoc aſſeram.

XLIII. Silvest. Neque ego id factum fuiſſe admitto; ſed impudentiſſimi Auctoris Ariani eam fuiſſe mentem aſſero. Voluit nimirum hic Auctor Conſtantinum, quem Ariani viventem à vera fide Orthodoxa abſtrahere, & ad ſuam ſectam pellicere nequiverant, poſt mortem Arianum ſuumque facere (ut

benè

Digitized by Google

benè hoc obſervat Theophanes) atque ut Ariana hæreſis latiùs diffunderetur, eandem defuncti Imperatoris firmare exemplô. Hoc ut credam vehementer perſuadeor. Nam cum allata manûs impoſitione apertè mentiri incipit, ſi tunc primùm Conſtantinum Catechumenum factum in quocunque demum ſenſu credamus. Si dicamus tunc primùm eum ritu Catholico fuiſſe factum Catechumenum, mentitur, cùm eum ante hoc peccatorum ſuorum confeſſionem feciſſe ſcribat. Nam non Confeſſio Sacramentalis, quam hic intelligo, ſed Sacramentum baptiſmi omnium conſenſu eſt omnium Sacramentorum primum & quaſi janua. Si credamus (quod nefas eſt) eum tunc primum ritu Arianorum fuiſſe factum Catechumenum, ac tunc primùm, uti proximo capite ſcribit, myſteriorum fuiſſe factum participem, & exoptaſse, ut tandem aliquando cum populo Dei in Eccleſia preces conjungere poſset, mentitur alibi, ubi Imperatorem pridem ante ſuam mortem teſtatur myſteriorum extitiſse participem, atque *preces cum univerſo Eccleſiæ Cœtu reddidiſſe*. Proinde, cùm ex recitatis Auctoris verbis, nihil veri aliud erui poſſit, niſi Imperatorem Helenopoli Sacramentalem peregiſse confeſſionem, ac etiam Sacramentalem ſuſcepiſse abſolutionem, quod conſtanter affirmo, apparet verſutia, cavillatoris, qui ab hac manifeſta veritate, ad abſurdiſſima eaque manifeſtiſſima mendacia tranſit. Nam *ea eſt natura cavillationis, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur*.

Euseb. Vellem ut hoc cum reliquis fuſius aliquantum exponas.

Silvest. Faciam id, ac lubens quidem, nec deſideria tua morabor.

Euseb. Aſt quieſcamus nunc; ſatis enim in longum protraximus hodiernum Colloquium. Ad laxandum animum aliò divertamus.

--- (a) *Nec enim facundia ſemper*
Adducta cum fronte placet, non ſemper in armis
Bel-

(a) Ovid. ad Piſon.

Bellica turba manet, nec tota Claſſicus horror
Nocte dieque gemit, non ſemper Gnoſius arcus
Deſtinat, exemplo ſed laxat cornua nervo.
Et galea miles caput, & latus enſe reſolvit.

COLLOQUIUM X.

De ſubſequentibus textûs Nicomedienſis Baptiſmi verbis; ac præcipuè de falſa Baptiſmi Conſtantini dilationis cauſâ.

I. EUSEB. Seriò revolventi poſtrema nuperi Colloquij verba, mihi venit in mentem (*a*) S. Chryſoſtomi ſententia dum ait: *Mendacia ſi non habent quem decipiant, ipſa ſibi mentiuntur, ſicut ait Pſalmus, mentita eſt iniquitas ſibi.* Quare, cùm Auctor noſter ob ſuas fallacias & craſſa mendacia ſatis etiam mihi ſuſpectus videatur, quippè qui apertè hîc negat, quod alibi affirmat, procul dubio (*b*) *fallacia alia aliam trudit*, & narratis ejus plura inerunt mendacia.

(*a*) Super. Matth. 23.

(*b*) Terent. in Andria.

II. SILVEST. Ne dubites. Mendacia mendaciis miſcet, & fallacias fallaciis conſuit invidus Auctor. (*c*) *Venenum*, inquit Seneca, *quod ſerpentes in alienam perniciem effundunt, ſine ſua continent: non ità vitium invidiæ continetur: nam invidum, torquet & macerat, bona odit & extenuat, injurias verò dilatat atque auget.* Hinc lividus, fallax & mendax

(*d*) *Veris miſcens falſa, futuri*
Certus, & idem peſſimus Autor.

(*c*) Senec. Epiſt. 17.

(*d*) Id Senec. in Hercul. furent.

EUSEB. Proſequamur ergò Colloquium noſtrum, & textum, quo reliqua quæ Nicomediæ acta fuêre, pertractat, examinemus.

III. SILVEST. *Hinc*, inquit, id eſt Helenopoli, *ad Suburbana Nicomediæ digreſſus; convocatis Epiſcopis, ſic ad eos verba fecit: Hoc erat tempus quod jam dudum ſperabam, cum incredibili cupiditate arderem, votiſque omnibus deſidera-*

rem ſalutem in Deo conſequi. Jam tempus eſt, ut ſignum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus eſt, ut ſalutaris ſignaculi particeps ſiamus. Equidem olim ſtatueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipſe ad exemplum noſtrum, lavacrum ſuſcepiſſe memoratur. Sed Deus, qui optimè novit ea quæ nobis utilia ſunt, hoc in loco nobis idipſum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam ſiquidem Deus vitæ mortiſque Arbiter, hic me diutiùs vitam agere voluerit; idque ſemel decretum eſt, ut in poſterum unà cum populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus cum reliquis omnibus orationum particeps ſiam; eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe ſpondeo, quæ ſint Deo dignæ. Hæc Auctor, Valeſiô interprete, teque recenſente. Diſſentit Criſtophorſonus quoad verborum elegantiam, non autem quoad ſenſum. Muſculus verò poſteriorem hujus orationis partem ſic vertit: *Deus igitur qui, quid conducat, novit, hinc jam nos compotes illorum reddere dignatur. Ne ſit igitur ulla hæſitatio. Etenim ſi nos, qui & vitæ & mortis Dominus eſt, iterùm hic vivere voluerit, & hoc me pacto deinceps populo Dei conjungi, & precibus ſimul unà cum omnibus Eccleſiaſticis convenientibus communicare decretum eſt, jam mihi ipſi ritus vivendi Deo competentes conſtitui;* quæ verſio mentem Auctoris magis exprimere mihi videtur. Tu autem, quid exiſtimas, an non bella ac pietate plena oratio hæc? at noli citò credere, (*a*) *Venena*, inquit S. Ambroſius, *non dantur, niſi melle circumlita, & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie umbraque virtutum.* Doloſus adverſarius ſub recti ſpecie ferire ſimul nititur, apertè blandiens, & inſidioſè latens. Hinc (*b*) *plus timendus & cavendus inimicus, quum latenter ſurrepit, quàm qui per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit: undè & nomen ſerpentis accepit.*

(*a*) S. Ambr. in lib. de Virg.

(*b*) S. Cypr. in Epiſt.

Euseb. Rectiſſimè ais. Equidem quæ ſentis optimè teneo; ſed tui jam officii eſt, declarare quod in verbis iſtis quærimus.

IV. Silvest. Inprimis, quod auctor narrat, Conſtantinum

tinum Nicomediæ convocaſſe Epiſcopos, haud jam veriſimile eſt. Memorat quidem Auctor alibi Conſtantinum frequenter circà ſe habuiſſe Epiſcopos & Sacerdotes, ſed fortuitò (ut ſæpè fit) tunc temporis nullum Epiſcopum ipſi adſuiſſe, conijcio ex eo, quòd idem Auctor auſus non ſit nominare Epiſcopum, qui Imperatori manum impoſuerit Helenopoli, nec quis Epiſcoporum ipſum baptizaverit Nicomediæ. Et eſto Epiſcopi adfuiſſent; Cur ergò ſcribit, quòd Epiſcopos convocaverit, ſi eos aliundè ſecùm, ac circà ſe, habuit in Villa Nicomedienſi? Profectò Euſebius loci Epiſcopus auſus non fuerit comparere coràm Imperatore, quem vivente Ario in rebus fidei ſemper ſuſpectum ac ideò ſibi odioſum: poſt horrendam verò Arii mortem, æquè ut hunc, tanquàm ejus præcipuum Patronum pro damnato hæretico habuit. Et ſi demùm etiam Euſebius gratiam coram Imperatore comparendi præter omnem opinionem nactus eſſet, atque alii adſuiſſent Epiſcopi, cur non Euſebio, aut alteri ex Epiſcopis (quos maximò ſemper eſt proſecutus honore & Presbyteris antepoſuit) ſed ſimplici Presbytero teſtamentum ſuum concredidit? Quamvis enim Theodoretus & alii ſcribant, Conſtantinum Nicomediæ inſtante morte Magnum Athanaſium Alexandriam ex Gallia redire juſſiſſe (*a*) *idque præſente Euſebio Epiſcopo Nicomediæ & contraria ei ſuadere laborante*; tamen id nequaquam ſic intelligendum puto, quaſi Euſebius præſens Imperatori contraria ſuaſiſſet: ſed quod Euſebiò Nicomediæ præſente, & contraria hæc ſuggerente, Presbyter ille, qui Imperatori morienti cum ſemiviris adſuit, reditum Athanaſii impedire voluerit. Et licèt etiam Cedrenus ſcribat, Euſebium Nicomediæ Epiſcopum Imperatoris teſtamenti litteras accepiſſe, tamen etiam hoc falſum eſſe liquet ex eo, quia, quod Philoſtorgius tradit, Conſtantinum (*b*) *juſſiſſe teſtamenti tabulas Euſebio Nicomedienſi tradi* (*c*) Gothofredus non admittit, non tamen negat imò affirmat, partes aliquas Euſebii Nicomedienſis fuiſſe circà proditionem Conſtantiniani teſtamenti; cùm id Acta S. Metrophanis tradant; ſic quoque Theodoreti

(*a*) Theodoret. lib. 1. c. 32. p. 627.

(*b*) Philoſtorg. lib. 2. c. 17. p. 21.

(*c*) in Diſſert. ad Philoſt. loc. cit.

Digitized by Google

locum intelligo, Euſebium nimirum Nicomediæ præſentem in diſſuaſione, ne Athanaſius rediret, habuiſſe præcipuam partem, quod cùm per presbyterum præſtiterit, ipſemet præſtitiſſe cenſetur.

V. Conſtantinum porrò, à quò Conſtantinopoli in morbum incidit, & (*a*) per ſex dies duntaxat decubuerat, exhibitô lethali venenô extinctum tradunt (*b*) Philoſtorgius (*c*) S. Artemius Martyr, Zonaras & Cedrenus. An à fratribus, ut paſſim creditum eſt, apud me dubium. Sed à quibus demum? tu pro ea, qua es prudentia, ipſe judicabis. Ego certè, cum nullum ſit criminum genus, quod Ariani non ſolùm fingere, ſed & perpetrare non erubuerint, & flagitiorum ſuorum alios Auctores facere in more habuerint, eoſdem vehementer ſuſpectos habeo. Quoniam verò Conſtantinus ſex tantùm diebus ægrotavit, hoc autem infrà tempus paululum ſubſtitit Helenopoli, calidis aquis in proximo poſitis recuperandæ valetudinis causâ uſurus, atque adeò vix ante Vigiliam Pentecoſtes videtur veniſse Nicomediam, ubi ſequenti ipſa Sacratiſſima Pentecoſtes die, circà meridiem, obiit, credere non poſſum, perbrevi illo temporis ſpatio aliunde ex locis magis diſtantibus convocare potuiſse Epiſcopos. Caſus enim fortuitus erat, quòd Imperator ſumptô venenô, ſubitò infirmus Conſtantinopoli digreſsus properaret Helenopolim ad aquas calidas, quas tamen fortè ſibi minùs conducere ſentiens, mox ad Nicomedienſem Villam abiit, idque non niſi paucis, ac quidem ſolo presbytero & Eunuchis, qui ad miniſteria vitæ ſecretioris deputati erant, ipſum comitantibus. Quamobrem cùm de Epiſcoporum convocatione Nicomediæ nihil certi ſtatui poſſit, oratio, quam Conſtantinum ad Epiſcopos habuiſſe Auctor tradit, planè incerta ac dubia; imò ex Auctoris ingenio ficta potiùs videri debet.

(*a*) Neſtorian. apud Malal. in Chronogr.
(*b*) lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 17. p. 21.
(*c*) In Act. apud Metaphr. & Sur. 20. Octob.

Euseb. Teneo, quid velis: perſpicuus eſt enim ſermo. At quid ultra?

VI. Silvest. Ipſa orationis verba ſunt fraude, ac venenô plena. Dicit Auctor Conſtantinum peroraſse ità: *Hoc erat tem-*

tempus, quod jam dudum ſperabam, cùm incredibili cupiditate arderem, votiſque omnibus deſiderarem ſalutem in Deo conſequi. Jam tempus eſt, ut ſignum illud quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus eſt, ut ſalutaris ſignaculi particeps fiamus. Quid iſta ſibi volunt?

VII. Euseb. Quantum apparet, voluit Auctor vehementiſſimum Conſtantini deſiderium baptiſmi ſuſcipiendi, atque ejuſdem deſiderii ſibi præſtitam Nicomediæ ſatisfactionem exprimere.

VIII. Silvest. Maximè verò, & quidem rectiſſimè ad mentem Auctoris. Verùm ſi Conſtantinus incredibili cupiditate arſiſſet, votiſque omnibus deſideraſſet baptizari, procul dubio ſatisfeciſſet ſuo deſiderio, quamprimùm commodè id facere potuiſſet. Atqui nihil obſtitit, quin vehementiſſimo ſuo deſiderio ſatisfacere potuiſſet, & tamen non ſatisfecit; proindè falſum videtur quod Auctor ſcribit Conſtantinum aliquando tàm vehemens habuiſſe deſiderium, illud autem, nullo objectô impedimentô non impleviſſe, ſed diſtuliſſe ad extremam uſque ſenectutem; quod quidem præcipuum argumentum eſt, quod à piiſſimi Principis Natura & moribus planè abhorret.

IX. Euseb. Hæc dilatio non fuit prorsùs ſine impedimento. Dicit enim Auctor verbis Conſtantini: *Equidem olim ſtatueram id agere in flumine Jordane, in quo ſervator ipſe ad exemplum noſtrum, lavacrum ſuſcepiſſe memoratur*; quibus genuinam cauſam reddit, cur Sacramentum hoc diſtulerit.

X. Silvest. Sed hanc dilationis cauſam non Oſiander modo, verum etiam Catholici multi rident, eamque ſuperſtitioſam vocant. Sic (*a*) Oſiander, *quidam*, inquit, *Eccleſiaſtici hiſtorici referunt* (de Conſtantino) *ſe occaſionem nacturum, ut in Jordane (quippè in quo Chriſtus erat baptizatus) baptizari poſſet, quod ipſius propoſitum ſuperſtitione non caruit: quælibet enim aqua ad baptiſmum idonea eſt. Unde & Philippus Eunuchum Aethiopem, Reginæ Candacis theſaurarium, in proxima aqua, quæ ad manum erat, baptizavit. Neque enim*

(a) Centur 4. lib. 1. c. 39.

aqua

Digitized by Google

aqua ulla, vel conſecratione vel benedictione indiget, ut ſit lavacrum regenerationis, modò in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti adbibeatur. Et ſane Epiſcopi monuiſſe debebant Conſtantinum, ut baptiſmum non differret; præſertim tot annos; cùm hora mortis ſit incerta. Sed ex Eccleſiaſticis Scriptoribus notum eſt, fuiſſe quoſdam Chriſtianos, qui baptiſmum ſuſcipere nolebant, niſi quando ità decumberent, ut ſpes vitæ non ſupereſſet: unde & Clinici fuère appellati. Quemadmodum hodie quidam cœnam Domini ſumere nolunt, donec mortem in propinquo eſſe non dubitent. Et veteres baptiſmum diſtuliſſe videntur, quaſi interea licentius peccare poſſent, ut deinde baptiſma ſuſcipiendo univerſa delicta ſimul abluerent. Longè autem aliter Apoſtoli: qui ubi Paterfamilias, aut Materfamilias religionem Chriſtianam ſuſceperat, ſtatim & ipſos, & totam familiam baptizarunt.

(a) An. 324. n. 45.

XI. (*a*) Em. Baronius ſic ait: *Quonam, quæſo, exemplò majorum Conſtantinus perſuaſus ad decrepitam ſenectutem baptiſmum dilaturus erat, quem nonniſi urgente morte ſuſcepit? Nam etſi poſthac penes nonnullos (ut dicturi ſumus) ejuſmodi de dilatione baptiſmi pravus uſus invaluit: nullum ante hac eâ de re præceſſiſſe reperitur ſimile factum. Verùm ſi (quod ait) in optatis erat, in Jordane flumine baptizari: quando opportuniùs id facere potuiſſet, quàm anno ante obitum, cum Hieroſolymas (ut ipſemet teſtatur* (*b*) *Euſebius,* (Auctor) *ex omnibus Orientis partibus ab eo vocati ad templi dedicationem Epiſcopi convenere, cum præſertim* Tricennalia *inſtarent imperii, digna quæ hujuſcemodi ſolenniis præcipuè agerentur: cum & imminens in Perſas* (*c*) *(quod dictum eſt) profectio ad id eum impellere debuiſſet?*

(b) Auct. in Vit. Conſt. lib. 4. c. 43.

(c) id. Auct. lib. 4. c. 56. 57.

XII. Præcedenti numero idem Eminentiſſimus Auctor hæc habet: (*d*) *Numquam*, inquit, *antea, rogo, ex quo Chriſtianus eſſe cœpit, poſt viginti ſex annos Conſtantinus in morbum incidit, ut expiandi per baptiſmum peccata oportuerit eum iniiſſe conſilium? Sed eſto. Potuitne homo tot parricidiis cruentatus ſic inexpiatus ad extremam uſque ſenectutem ſponte per-*

(d) Baron. an. 324. n. 44.

perduráſſe , conſcientiâ interea penitùs conſopitâ , ne dicam emortuâ .

XIII. Dilationis cauſam quoque rejicit Anaſtaſius Bibliothecarius , qui ad mentem S. Theophanis tradit, Arianos hoc quidem ſic voluiſſe, nempè Conſtantinum non baptizatum oſtendere , (*a*) *quod irrationabile , atque falſiſſimum* dicit.

XIV. (*b*) Pomponius Lætus eam miratur , dum de Conſtantino ait : *Rebus gerendis fortunatus & felix , quod proveniſſe ex eo fertur , quoniam fidei Chriſtianæ plurimum faverat : mirumque eſt quod quum deditiſſimus fuerit , lavacrum renaſcentis vitę in extremum vitæ ſuæ tempus diſtulerit .* Quam eandem dilationis cauſam (*c*) Cuſpinianus admiratur , nec eam (*d*) Platina , (*e*) Paulutius , & alii admittunt . Ego verò nihil magis admiror , quàm , quòd licèt Oſiander , Pomponius Lætus & Cuſpinianus baptiſmi dilationis cauſam ſuſpectam habeant & mirentur , tamen abſque ſuſpicione auſi ſint affirmare Conſtantinum nihilominùs Nicomediæ baptizatum , quem tamen baptiſmum ipſi propter dilationis cauſam ſatis ſuſpectum reddunt .

(*a*) Anaſt. Bibl. in Tripart.

(*b*) hiſt. Rom. Comp. in Conſtant.

(*c*) de Cæſar. in Conſtantino.

(*d*) de Pontif. in Marco.

(*e*) de Summ. Pont. c. 9. Bibl. Max. Rocaber. to. 4. p. 339.

XV. Euseb. Superſtitionis reus non fuit Conſtantinus, optans baptizari in Jordane, ut vult Oſiander . Iſtud enim votum ex pietate conceptum erat in baptiſmum Chriſti , qui in Jordane peractus eſt; & quia Sacri Corporis ſui contactu Jordanis aquas ratione quadam ſingulari ſanctificavit . Unde non ſolus Conſtantinus , ſed plerique ejuſdem ætatis Catechumeni , eodem pietatis motu in Jordane baptizari ambiebant , ut Euſebius in libro de locis Hebraicis , quem S. Hieronymus latinitate donavit , teſtatur . *Bethbaara* , inquit , *trans Jordanem , ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat ; unde & uſque hodie plurimi de fratribus , hoc eſt de numero credentium , ibi renaſci cupientes , vitali gurgite baptizantur .* Et diu poſt Euſebii ac Hieronymi ætatem , fideles in eo ipſo loco lavari ſoliti ſunt , præcipuè feſto die Epiphaniæ poſt baptiſmum parvulorum , ut ex itinerario Antonini probat

Digitized by Google

(a) in not. ad Vit. Conſt. lib. 4. c. 62. bat (*a*) Valeſius. Quod idem conſtat ex Hodæporico S. Willibaldi, quod edidit Caniſius. Sicut ergò fideles non ex ſuperſtitione, ſed ex pietate, quam Eccleſia laudabat, ad Jordanem vel baptiſini, vel balnei causâ confluebant, ità Conſtantinus, pietatis non ſuperſtitionis impulſu, baptiſmum in Jordane ſuſcipere optabat.

XVI. Silvest. Ad primum reſpondeo: qui vovit aliquid ſine certo tempore, licèt teneatur tùm implere, cùm commodè primùm poteſt: & minor etiam cauſa ſufficiat ad differendum; tamen cùm votum ſit de *re meliori*, conſtat Conſtantini votum, baptiſmum in Jordane ſuſcipiendi, planè lepidum ac invalidum fuiſſe, & ſi non graviter ſaltem venialiter peccaminoſum, quia fuit impeditivum rei melioris, & boni majoris, atque dilati uſque ad mortem Sacramenti baptiſmatis causa. Id quod eſt contrà monitum, imò ſtrictum præceptum Apoſtoli, dum cunctis prædicat: (*b*) *Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum*. Quæ verba juxta communem Doctorum ſententiam ſine ulla temporis dilatione intelliguntur; cum unuſquiſque noſtrum ſibi dictum ſciat: (*c*) *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Et quis liberare poſſet Conſtantinum à ſuperſtitionis vitio, cùm ejus votum, nonniſi ex ſuperflua devotione, cenſeri deberet conceptum? Et quod eſt illud pietatis votum, quod irritat præceptum?

(b) Act. 2. 38.

(c) Eccleſ. 5. 8.

XVII. Ad ſecundum reſpondeo, me non negare, complures fidelium ex pietate, non autem ex ſuperſtitione ſolitos fuiſſe lavare ſe, ac etiam baptizari in Jordane, quod Eccleſia non potuit non laudare; verùm ex pietate baptiſmum differre propter Jordanis fluminis aquas, non poſſum perſuaderi, ut hoc credam, vel quod Eccleſia id laudaſſet unquam. Sed aliam præterea Euſebii & Hieronymi ætate, ac etiam ante & poſt eorum tempora, cauſam fuiſſe, cur fideles ad Jordanem confluerent, ex (*d*) Philoſtorgio conſtat. *Virga*, inquit, *fontes aquarum ex petra percutiendo excivit: & Jordanis*

(d) hiſt. Eccl. lib. 12. cap. 8. p. 170.

Digitized by Google

danis fluenta lepram purgant, non equidem naturâ horum hęc operari valente, verùm Creatore mutare quamcunque creaturarum in quemlibet uſum, omnem nullique interdicto obnoxium poteſtatem habente. Plura de his refert S. Gregorius Turonenſis, qui ait: (*a*) *Quia Joannis Baptiſtæ meminimus, dignum eſt, ut de Jordane aliqua memoremus.... In eo habetur locus, in quo Dominus baptizatus eſt. In uno etenim reflexu aqua ipſa revolvitur, in qua nunc leproſi mundantur. Cùm autem advenerint, ſæpius lavantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur. De publico tamen dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt: ſanati autem, ad propria diſcedunt.* Idem alibi: (*b*) *Sunt autem*, inquit, *& ad Levidam Civitatem aquæ calidæ, in quibus Jeſus Nave lavare ſolitus erat: ubi ſimiliter leproſi mundantur.* Rursùs idem: (*c*) *Nam vidi*, inquit, *ante hoc tempus hominem Johannem nomine, qui à Galliis leproſus abierat, & in ipſo loco, quo Dominum diximus baptizatum, ajebat ſe per annum integrum commoratum fuiſſe. Qui aſſiduè abluebatur in amne, ſed redditus priſtinæ incolumitati, reformatâ in melius cute, ſanatus eſt....... Multos enim vidimus qui vel in Jordane, vel in aquis Levidæ Urbis tincti, ab hoc fuerant morbo mundati.* Hæc S. Gregorius Turonenſis.

(*a*) S. Greg. Turon. lib. 1. de mirac. c. 17.

(*b*) Ibid. c. 18.

(*c*) Ibid. c. 19.

Euseb. Quid hæc ad noſtrum diſcurſum?

XVIII. Silvest. Si verba Auctoris cum his conferre volumus & expendere, tunc illa nonnullam veritatis ſpeciem præſeferre videbimus; Videlicet Conſtantinum (qui ut Juvenis frequenter, & poſteà ad fidem converſus per plures annos ſæpè verſatus eſt in Oriente, atque adeò tam admirabilis & paſſim notæ Jordanis fluminis aquarum virtutis haud ignarus eſſe potuit) olim id ipſum revera exoptare potuiſſe, ut nimirum Jordanis fluentis ablutus baptizaretur, eo quidem tempore, dum Leproſus extitit, neceſſitate ſic exigente, & ſanationis causâ, quod certè omni caruiſſet ſuperſtitione. Sed leprâ alio modo Romæ in Palatio Lateranenſi miraculosè depulsâ, contingere potuit, ut, cùm Auguſtus poſteà ali-

Digitized by Google

quando de ſuo deſiderio lepræ ſanandæ in Jordane ſermonem fortè habuerit, eaque verba ad Auctoris aures pervenerint, is ea dolosè huc retrahere, atque omnem omninò dilationis cauſam, ut alii ſupponunt, excludere voluerit. Sic colligo ex ejus verbis ubi ait: *olim ſtatueram id agere in flumine Jordane .... ſed Deus .. hoc in loco nobis id ipſum exhibere dignatur*; ubi, ut alii volunt, ego non video Jordanem vel hujus fluminis aquas, vel votum propterea emiſſum baptiſmi fuiſſe impedimentum, vel dilationis cauſam, ſed Auctor ſatis clarè potiùs indicat, abſque ullâ penitùs cauſâ, baptiſmum à Conſtantino fuiſſe dilatum, idque ut ſuſpicor rectè juxtà Eunomiani Auctoris mentem; nam Eunomius, (cujus Acacius Epiſcopus Cæſareenſis Patronus & fautor præcipuus, & ideò Eunomianus quoque extitit) aſſeveravit, ſolam fidem, quam ille docuit, ſufficere, & in quibuſcunque peccatis perſeverari poſſe ſemper ſine expiatione. Ità teſtatur (*a*) S. Auguſtinus de Eunomiô: *Fertur*, inquit, *etiam uſque adeò fuiſſe bonis moribus inimicus, ut aſſeveraret, quòd nihil cuique obeſſet, quorumlibet perpetratio ac perſeverantia peccatorum, ſi hujus quæ ab illo docebatur fidei particeps eſſet*: Sicque Auctor ſectarius vaferrimus non exhorruiſſe videtur Conſtantinum Orthodoxum Principem, Eunomianæ planè inſimulare hæreſis, atque ejuſdem ſectę & fidei participem mendaciſſimè declarare voluiſſe. Quæ quidem conjectura non ideò planè incredibilis videri debet, quod Eunomius Arianus ſingulares ſuos errores pluribus annis poſt Conſtantini mortem docuerit, nam ut alibi dixi, libri quatuor de vita Conſtantini, & hoc ipſum aſſertum de dilatione baptiſmi ſcripta ſunt quoque pluribus annis poſt Conſtantinum, & à quo alio, niſi, ut veriſimile eſt, ab *Acacio* Eunomii Patrono?

(*a*) Hæreſ. 54.

XIX. Euseb. Si hæc ità affirmare licet, optimè huc referri poteſt, quod admirabilis Vir S. Athanaſius in Apologia ſua de Arianis interrogando expreſſit: (*b*) *Quis tantùm ſceleris dicendo poterit exprimere, quantum iſti conſciverunt?*

(*b*) S. Athan. in Apolog. apud Theod. lib. 2. c. 15. p. 610.

XX. Sil-

XX. Silvest. Et (*a*) *in quo tandem loco* (inquit idem Magnus Sanctus de iiſdem) *non exiſtit aliquid eorum improbitatis monimentum? In quem ſuæ ſectæ & opinionis adverſarium falſas Criminationes veteratoriè, more Jezabel, non conſinxerunt?* (a) ibid.

XXI. Euseb. Pergamus. Quod enim ex Baronio propter baptiſmi dilationem allegaſti, alii non approbant. Non refert, inquiunt, quô exemplô baptiſmum tàm diu diſtulerit Conſtantinus, cùm certum ſit ipſum revera ad finem diſtuliſſe. Quô exemplo, quærunt illi à Baronio, Valentinianus baptiſma tamdiu diſtulit, ut Catechumenus moreretur? quo exemplo Nectarius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, provecta ætate baptizati ſunt? Lege, inquiunt (*b*) S. Auguſtinum, ubi hanc baptiſmi dilationem ſua ætate communem fuiſſe teſtatur. Quo exemplo illi omnes, quorum excuſationes de baptiſmo tàm citò non ſuſcipiendo, ſed ad ſenectutem etiam differendo SS. Patres refellunt, præſertim S. Greg. Nazianzenus, S. Baſilius, S. Greg. Nyſſenus, vel ſub nomine ejus alius Auctor, oratione in eos qui babtiſma differunt. Quo exemplo Clinici, qui baptiſmum nonniſi lethali morbo correpti ſuſcipiebant? (b) Lib. 1. Confeſſ. c. 10.

XXII. Silvest. Allatæ ſimilitudines nimium claudicant; quod enim nonnulli Sanctorum Patrum atque etiam aliorum baptiſmum aliquantum diſtulerint, vitio vertendum non eſt, cùm id ſic oportuerit, juxtà (*c*) Nicæni Concilii Decretum: *tempore opus habet Catechumenus, & poſt baptiſmum longiori probatione indiget. Evidens namque Apoſtolicum præceptum eſt, dicens: Non Neophytum ne fortè inflatus in judicium incidat, & laqueum Diaboli*. Et quod rursùm oportuit non neglexerunt illi, ſed ſuo tempore facti ſunt Catechumeni, & debito tempore baptiſmum ſuſceperunt. Non ſic (ut recentiores cum Valeſio putant) Conſtantinus, quem illi utrumque tempus, & Catechumenatus & baptiſmi, neglexiſſe & in fine vitæ primùm ea ſuſcepiſſe aſſeverant. Valentinianus ac forſan etiam alii ad mortem uſque Catechumeni per- (c) Can. II.

Digitized by Google

manſerunt: non ſic Conſtantinus, qui juxtà Valeſii ſententiam Ethnicus perſeveravit, & in fine vitæ primùm Catechumenus factus ſupponitur. Si verò S. Auguſtini tempore communis fuerit illa dilatio, haud aliter id accidere potuit, niſi ex Nicæni Canonis abuſu & pravâ conſuetudine; quam ideò alii citati SS. Patres refellunt. (*a*) *Porrò autem*, inquit S. Cyprianus, *quod quidam non Chriſtianos ſed clinicos vocant, non invenio unde hoc nomen aſſumant.* Sed talis erat Novatus hæreſiarcha, qui, ut ait (*b*) Cornelius Papa, *Cùm in tam gravem morbum, ut jam fermè mori putaretur, incidiſſet, in lecto, in quo decumbebat, aqua circumfuſus, baptiſmum accepit, ſi modo talem hominem baptiſmum accepiſſe dicendum ſit.* Quæ ultima verba indicant, Baptiſmum ſuſceptum in lecto, & à graviter decumbente, fuiſſe tunc temporis ſuſpectum, ſive quia, qui in lecto baptizabatur, cùm mergi à baptizante non poſſet, ut ritus tunc ferebat, aquâ duntaxat perfundebatur ideoque talis baptiſmus minùs ſolemnis, & minùs perfectus habebatur. Sive quia talis baptiſmus non ſponte, ſed potiùs mortis metu ab hominibus, qui ſui non ſatis compotes eſſent, ſuſceptus videbatur. Ideoque tales Clinici ad presbyterii gradum promoveri vetabantur in Concilio Neocæſarienſi: (*c*) *Si quis in ægritudine conſtitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate; niſi fortè poſteà ipſius ſtudium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.* Unde ſi fas eſſet credere Auctori Ariano, Conſtantinum in ultima ægritudine baptiſmum ſuſcepiſſe, id nonniſi Clinicorum exemplo factum putandum eſſet. Verùm ſicut dilatio, ità & baptiſmus conficta Auctoris mendacia ſunt.

(*a*) S. Cypr. lib. 4. Epiſt. 7.

(*b*) apud Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 6. c. 35. p. 152.

(*c*) Can. 12.

XXIII. Euseb. Conſtantini in ſuſcipiendo baptiſmate moram nemo quidem laudaverit, ſed excuſatione dignam nemo non judicaverit, qui perſuaſum fuiſſe noverit fidelibus, ſatiùs eſſe differre baptiſma, quàm à gratia per illud collata excidere: ac propterea illud in eam frequenter diſtuliſſe ætatem, quâ cupiditatum æſtus non adeò vehementes eſſent,

ſent,

ſent, nec tanta eſset ad vitium propenſio. Quam perſuaſionem evellere nititur S. Greg. Nazianzenus oratione laudata.

XXIV. Silvest. Quod nemo laudat, haud vituperiô caret, & indignum cenſetur excuſatione. Perſuaſum fuiſse fidelibus, ſatius eſse differre baptiſma, quàm à gratia per illud collata excidere, non credo. Si ità fuiſsent perſuaſi, cur viri timoratæ conſcientiæ ipſique Sanctiſſimi Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus & alii, propter panicum hunc timorem, ne gratiâ baptiſmi excidant, non diſtulerunt hoc Sacramentum uſque ad mortem? vel ſaltem ad decrepitam ætatem, ubi non ampliùs tantus cupiditatum æſtus, tantaque ad vitium propenſio? Quomodo pius Chriſtianorum quiſpiam ità perſuaſus eſse potuit, ſciens à Chriſto Domino aliud poſt baptiſmum *lavacrum quotidianum* eſse inſtitutum, ab omnibus tùm ſepties, tum ſeptuageſies ſepties, imò toties quoties adhibendum pro recuperanda amiſsâ baptiſmatis gratia, à qua, ſi fragilitate humana excidiſſent?

XXV. Euseb. Sed baptiſmum præterea differebant, quod perſuaſum haberent baptiſmô non peccata duntaxat omnia, ſed omnem pœnæ reatum expungi. Quod Eccleſiæ ſeverior eſset diſciplina in eos, qui poſt baptiſmum, quam qui ante baptiſmum peccaſsent.

XXVI. Silvest. Si ideò Baptiſmum diſtulerunt, quòd perſuaſum habuerint omnia omninò per eum peccata & pœnæ reatum expungi, tunc non ſine vitio & vix aliter id fieri potuit, quàm ut interea licentiùs peccare poſsent, ſimul tandem & ſemel deinde fortè fortuna univerſa delicta abluturi. Eccleſiæ verò diſciplina, ſi adeò ſevera fuit in relapſos baptizatos ut nonnullos de ſuſcipiendo baptiſmate abſterreret, cur non & iidem ipſi ex eadem conſideratione abſterriti ſunt de ſuſcipiendo Catechumenatu, cùm æquè ſevera fuerit Eccleſiæ diſciplina in relapſos Catechumenos, ac in baptizatos, prout patet ex Decretis (*a*) Concilii Neocæſareenſis, & (*b*) Concilii Nicæni I. de Catechumenis lapſis.

(*a*) Can. 5.
(*b*) Can. 14.

XXVII. Eu-

Digitized by Google

XXVII. Euseb. Denique baptiſmum differebant nonnulli, ut ad tanti Sacramenti gratiam ſe diligentius diſponerent, & omnia interim Chriſtianæ pietatis officia exequebantur, iis exceptis, quæ initiatorum propria erant. Non mirum itaque, quòd Conſtantinus tamdiu baptiſmum diſtulerit.

XXVIII. Silvest. Quæro, qui ſunt illi nonnulli, qui baptiſmum differebant, ut ad tanti Sacramenti gratiam ſe diligentius diſponerent? Anne in hunc finem diſtulit Saulus baptizari? Anne tardus Eunuchus, qui eadem hora, qua factus
(a) Act. 8. 36. eſt Catechumenus dixit: (a) *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Diſtulitne propterea Petrus baptizare eos, qui credi-
(b) Act. 10. 47. derunt, & Spiritum Sanctum acceperunt? (b) ***Nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi***, dixit ille, & confeſtim abſque dilatione aut ulteriori diſpoſitione juſſit eos baptizari. Diuturna ſane non exigitur diſpoſitio; ſi etenim hodie quis diſpoſitus non eſt ad Sacramenti gratiam ſuſcipiendum, quomodo cras, aut in extrema ægritudine erit diſpoſitus? Et hæc probè ſciens Conſtantinus, valdè mirum foret, ſi tam inſipienter agendo baptizari diſtuliſſet.

XXIX. Euseb. Non refert, ut vult Baronius, quod tempore Hieroſolymitani Concilii baptiſmum in Jordane ſuſcipere potuiſſet Conſtantinus, prout in votis habebat. Non enim quæritur quid potuerit, ſed quid fecerit. Eſto, tunc ſuſcipere potuerit baptiſmum in Jordane; nec tunc, nec antea ſuſcepiſſe, ſed in fine vitæ, & in Nicomediæ Suburbanis ex hiſtoria certum eſt. Ità communiter recentiores.

XXX. Silvest. Reſpondeo: Conſtantinum in Nicomediæ ſuburbanis baptiſmum ſuſcepiſſe ex hiſtoria fabulari & libris Apogryphis evidenter falſum eſt. Quid namque magis hunc baptiſmum ſuſpectum reddit, quàm allegata à nonnullis ejus dilationis cauſa, præſertim propter votum, ideò conceptum, aut planè, quòd, ut Auctor vult, abſque cauſa fuerit dilatus. Si enim ex pietatis voto ob Jordanis fluminis aquas dilatus eſt, tunc votum ineptum & ſuperſtitioſum cenſeri debet.

bet. Quod ſi verò abſque cauſa dilatus eſt, fieri non potuit juxtà Catholicos, ut *homo*, prout Baronius obſervat, *tot parricidiis cruentatus ſic inexpiatus ad extremam uſque ſenectutem ſpontè perdurâſſe, conſcientiâ interea penitùs conſopitâ, ne dicam emortuâ*, potuerit? quod non aliter niſi juxtà Eunomii ſententiam concipi poteſt. Adeòne tanto Imperatori poſt Licinium Imperio dejectum, receptumque Orientem difficile fuit, ſi verè & ex voto pietateque baptizari intendiſſet in Iordane, voto ac deſiderio ſuo ſatisfacere? quid ipſum prohibuit tot annis verſantem in Oriente? Sed non quæritur, ais, quid potuerit, ſed quid fecerit. Aſt ego quæro, cur id fecerit, & cur tamdiu diſtulerit baptiſmum? productæ enim rationes & votum ex pietate conceptum non ſufficiunt ad demonſtrandam veram dilationis cauſam, utpote cuncta indigna & indecora homini ſalutis ſuæ ſtudioſo, prout Conſtantinus erat; qui quod de aliis Chriſtianis in votis habuit, ipſe minimè neglexit. Nam in quadam lege data legitur: (a) *Si Chriſtiani erant, ità ſe gerere præcepit, uti appellationis ipſorum dignitas poſtulabat*. Ad Populum Antiochenum rurſùs ait: (b) *illa conſectemur, quæ fidem noſtram omni ſuſpicione & infamia penitùs liberent*.

(a) Auct. Vit. Conſtant. lib. 2. c. 43. p. 277.
(b) Conſt. Ep. ad Pop. Antioch. apud Auct. ejus Vit. lib. 3. c. 58. p. 307.

XXXI. Euseb. Etſi in morbum forſan incidiſſet antea Conſtantinus, tamen quia lethalem non eſſe morbum intelligebat, baptiſmum in aliud tempus diſtulit, quem devicto Maxentio jam in voto ſuſceperat. Nec verò tot ſceleribus inquinatus erat Conſtantinus, quot Baronius fingit. Nec ad morales confugiendum eſt conjecturas, & quærendum an potuerit tot annis inexpiatus perdurare, conſopitâ conſcientiâ; cum hiſtoriæ veritas, & omnium veterum Scriptorum unanimis conſenſus, abſque baptiſmo in re ſuſcepto, ipſum ad finem uſque vitæ manſiſſe comprobet.

XXXII. Silvest. Si in morbum incidiſſet, & adhuc baptiſmum diſtuliſſet, extrema planè ejus fuiſſet dementia. At morbum, reponis, noverit non eſſe lethalem; Lethalem ergò cum Clinicis, atque ipſo impiiſſimo Novato præſtolari vo-

Digitized by Google

voluit? Sceleribus, quæ finxiſſe Baronius perperam ſugillatur, Conſtantinum aliquando inquinatum, certiſſima antiquorum teſtimonia probant; ideòque non morales conjecturæ, ſed evidentiſſimæ fidei noſtræ veritates ſunt, quod homo Chriſtianus, præſertim Conſtantinus Princeps cæteroqui pientiſſimus, attamen ob non levia cum Davide admiſſa crimina, ſic inexpiatus ad mortem uſque perdurare non potuerit? Magnum ſanè re fuiſſe ac nomine & pietate Conſtantinum, quis negat? Sed ne dicam de conditione fragilitatis humanæ, quæ non patitur, ut uni perpetuam rectè factorum gloriam tribuamus; ideòque verum eſſe Theognideum illud, ſapientes intelligunt:

Vir bonus interdum malus eſt, alias bonus idem.

Id duntaxat contendo, quod, quamquam de ejus lapſu & defectibus non conſtaret, tamen ab omni labe immunem eum defendere haud expediat, dicereque inexpiatum perdurare potuiſſe uſque ad mortem. (*a*) *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis*, inquit Apoſtolus. Et Eccleſiaſtes: (*b*) *Non eſt enim homo juſtus in terra: qui faciat bonum, & non peccet.* Sed ab exploratis hiſce veritatibus tranſeamus ad evidentem falſitatem, quod aſſeris: *hiſtoriæ veritas, & omnium veterum Scriptorum unanimis conſenſus, abſque baptiſmo in re ſuſcepto ipſum ad finem uſque vitæ manſiſſe comprobat.* Non enim hiſtoriæ veritas, ſed Ariani hominis conficta mendacia non comprobant, ſed calumniatur & infamant Conſtantinum Pium Nicomediæ baptizatum. Neque omnium, ſed planè paucorum veterum Scriptorum, nec eorundem unanimis conſenſus, ſed ridiculus & maximè admirabilis diſſenſus eſt, quidquid ad comprobationem tui aſſerti ſpectat. Et quid ipſis hactenùs à te productis argumentis, aliud doces & probas, quàm quæ non oportet facere (*c*) *Si artem*, inquit S. Chryſoſtomus, *uſumque diſſocies, utilior eſt uſus expers artis, quàm ars, quę ſui uſum non habet. Ars infęcunda eſt ſine uſu, & uſus temerarius ſine arte.* Et (*d*) Seneca: *Eligamus*, inquit, *non eos, qui verba magna celeri-*

(*a*) 1. Joan. 1. 10.

(*b*) Eccl. 7. 21.

(*c*) S. Chryſoſt. in lib. de comp. cord.

(*d*) Epiſt. 72.

celeritate præcipitant, & communes locos voluunt & in privato circulantur: ſed eos qui vitam docent, qui quum dixerint, quid faciendum ſit, nunquam in eo, quod dixerint fugiendum deprehenduntur. Sed & ego fuſior fui, quàm cogitaveram. Finiamus; reliqua in Craſtinum reſervabimus.

Euseb. Aequum eſt. Quieſcamus.

COLLOQUIUM XI.

De reliquis textûs Nicomedienſis Baptiſmi verbis, quæ manifeſtæ falſitatis convincantur, & refutantur.

I. SILVEST. Reliqua nunc Orationis verba, quæ Auctor Conſtantini nomine recitat, percurramus. Ait igitur Imperatorem dixiſſe: *Proindè omnis removeatur dubitatio*. Quomodo hæc verba intelligis?

II. Euseb. Non capio iſta; audiamus Valeſium, qui ſic ait: (*a*) Horum verborum ſenſus ſatis obſcurus eſt. An Conſtantinus id voluerit dicere? Ceſſent jam omnes dubitare de me, utrum revera Chriſtianus ſim. Nemo impoſterum ſuſpicetur me verbis duntaxat, non ex intimo cordis affectu, fidem Chriſti amplexum fuiſſe. Poteſt etiam hoc loco ſumi: *Omnis mora, omnis amoveatur dilatio*, qui quidem ſenſus magis cohæret cum præcedentibus. His enim verbis ſemetipſum accuſat Conſtantinus, quòd ſcilicet ſalutare Lavacrum nimis diſtulerit, quodque tamdiu quaſi anceps ac dubius hæſerit, nec gentilium ritus ac cæremonias colens, nec Chriſtianorum ſacra ſuſcipiens. Hæc Valeſius.

(*a*) Valſ. in not. ad Vit. Conſt. lib. 4. c. 62.

III. Silvest. Prior expoſitio eſt contrà Auctorem atque ipſum Conſtantinum. In litteris quas Imperator ad Provinciales ſcripſit, inter alia Præconia in Deum iſta expreſſit: (*b*) *Tibi animum meum amore & timore ritè ſincerèque temperatum totum dedo. Nám nomen tuum ingenuè amplector: virtutem tuam, quam multis argumentis declaraſti, quaque meam fidem*

(*b*) Conſt. Ep. ad Provinc. apud Auct. ejus Vit. lib. 2. c. 54. p. 280.

Digitized by Google

fidem firmiorem reddidiſti, ſanctè veneror. Et hæc recitat alibi ipſemet Auctor. Ad Saporem Perſarum Regem ſcribens Epiſtolam ità auſpicatur: (*a*) *Divinam fidem conſervans, veritatis luce perfruor: & hujus veritatis luce ductus, divinam fidem intelligo. His igitur, ut res ipſæ confirmant, Sanctiſſimum Dei cultum percipiens, hanc colendi rationem quaſi magiſtram me habere profiteor, ad cognitionem Sancti Dei.* Paulò infrà: *Hunc Deum immortali memoria me honorare profiteor: hunc liquida & pura mente celſiſſima in ſede locatum, avidiſſimè contemplor. Hunc humi procumbens invoco, omnem ſanguinem execrandum & odores ingratos ac deteſtandos abhorrens, omnem terreſtrem è Sacrificio flammam fugiens: quibus omnibus turpiter pollutus nefandus & inexplicabilis error, multas gentes & totas ferè nationes ad profundiſſima tartara projecit.* Plura de his ipſe (*b*) Auctor: *Quanta verò*, inquit, *fidei vis divino quodam inſtinctu in ejus animo defixa fuerit, vel ex eo intelligi poteſt, quòd in aureis nummis imaginem ità inſculpi curavit, ut panſis manibus inſtar precantis cœlum contueri videretur .... Jam in ipſis Regiis, per quaſdam januas in tabellis, quæ ſummis veſtibulorum partibus affixæ erant, erecto ſtatu pingebatur, ſurſum in cœlum contemplans, & precantis forma manus ſurſum tollens. Hoc modo cum in tabellis ſe Deo ſupplicantem repræſentaſſet, lege cavit, ne ipſius effigies in Idolorum templis poneretur: ne ipſa tabella, vel minima lineamentorum parte, propter vetitorum idolorum errorem, labem aliquam contraheret.* Hæc Auctor, quæ certè non verbis duntaxat, ſed ex intimo cordis affectu Conſtantinum fidem Chriſti pridem amplexum fuiſſe comprobant.

(*a*) Conſt. Ep. ad Sapor. apud Auct. ejus Vitæ lib. 4. cap. 9. p. 513.

(*b*) lib. 4. c. 15. p. 514.

IV. Altera Valeſii Expoſitio rurſum non probatur, ubi ait Conſtantinum (utique poſt Concilium Nicænum) ancipitem & dubium in fide hæſiſſe, id quod falſiſſimum eſt. Firmiter enim ſemper fidei Nicænæ adhæſit, firmiùs poſt Arii mortem. (*c*) *Imperator verò*, ait Socrates, *hac ratione* (fœdâ nempe Arii morte) *Chriſtianæ fidei firmiùs adhæſit: fidem Nicæni Concilii auctoritate, & nutu divino reverâ confirmatam aſſeruit,*

(*c*) Socrat. lib. 1. c. 25. p. 419.

ruit, & propterea exitu illo Arii magnoperò lætatus eſt. Eumque, ut teſtatur S. (*a*) Athanaſius, *re cognitâ, damnatum, & pro hæretico habuit*. Et (*b*) Photius de Gelaſio Cyziceno ait: *Conſtantinum M. gavisum ſcribit, quod integerrimus Iudex eſſet, controverſiam omnem ſententia lata diremiſſet, miſiſſeque mox ad varios Epiſtolas, quibus juſtam de Ario vindictam, velut cippo inſcriptam omnibus promulgaret*. Huncne ancipitem & dubium in fide fuiſſe dicamus? à verò autem penitùs abhorret, quòd *nec gentilium ritus ac cæremonias colens, nec Chriſtianorum Sacra ſuſcipiens* à Valeſio aſſeratur.

(*a*) ad Solitar.

(*b*) Bibl. Cod. 88. p. 206.

V. Euseb. Sed hoc videtur affirmare Auctor, dum poſt recitata verba Conſtantinum ulterius loquentem inducens, hæc ſubdit: *Nam ſiquidem Deus vitæ mortiſque Arbiter, hic me diutiùs vitam agere voluerit; idque ſemel decretum eſt, ut impoſterum unà cum populo Dei permiſcear, & in Eccleſiam adſcitus cum reliquis omnibus Orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præſcripturum me eſſe ſpondeo, quæ ſint Deo dignæ*, quod Auctor mox clarè exprimit, dicens: *Sacrorum Myſteriorum participem eum fecerunt*. Si igitur tunc primùm myſteriorum particeps factus eſt, rectè eruit Valeſius ex verbis præcedentibus, eum nec gentilium ritus ac cæremonias coluiſſe, nec Chriſtianorum Sacra ſuſcepiſſe.

VI. Silvest. Quid hoc? Nam idem Auctor alibi apertè contrarium ſcribit, Conſtantinum nempe Chriſtianorum ſacris interfuiſſe, & myſteriorum participem extitiſſe, ideoque etiam ea ſuſcepiſſe. Affirmat, ut alibi dixi, Imperatorem cum Epiſcopis, cum fidelibus, & cum univerſo Eccleſiæ Cœtu preces reddidiſſe, imò de Concilio Nicæno loquens ait, Epiſcopum, qui in dextro ordine primam ſedem occupabat, in Concilio aſſurrexiſſe: (*c*) *hymnumque, quo Deo Omnipotenti gratias ageret*, recitaſſe, idque præſente & comprecante Imperatore; quod verum eſt, & nemo negat, & patet ex ipſiuſmet Auguſti verbis, quibus Patres illius Concilii allocutus eſt: (*d*) *Deum decet, & Eccleſiæ Catholicæ fidei conve-*

(*c*) Auct. Vit. Conſtan. lib. 3. c. 11. p. 189.

(*d*) Serm. Proſphon. apud Gelaſ. Cyz.

Digitized by Google

nit, & reipublicæ negotiis utile eſt: ut pro divinitus nobis conceſſa precioſiſſima pace dignam gratiarum actionem ejus gratiæ largitori communiter omnes referamus. Ergò fuit orationum particeps, non verò poſtmodùm Nicomediæ factus eſt. Scribit alibi & affirmat (*a*) Auctor: *Ipſe verò tanquam ſacrorum myſteriorum particeps.* Item infrà: (*b*) *Religionis exercitationem ſalutaris feſti temporibus augens, omnibus viribus cùm animi tum corporis divinos ſacrorum ritus obibat*; ubi per ſalutaris feſti, *Paſchæ feſti* celebritatem intellige. Alibi: (*c*) *Magna autem agebatur diei Paſchæ eo tempore celebritas: & Imperator cum cæteris pernoctans, vota preceſque Deo perſolvebat.* Idem infrà: *ut Primas Paſchalis celebritatis exercitationes expleſſet, ipſumque ſalutarem diem cùm ſibi ipſi clarum & illuſtrem egiſſet, tum aliis omnibus omni cum lætitia celebrem reddidiſſet &c.* Et Conſtantinus ipſe oratione ad ſanctorum Cœtum in Prooemio Paſchæ mentionem faciens ait: (*d*) *Salutaris dies feſtus Paſchatis .. nobis adeſt, ad ſanctè auguſteque celebrandum.* Ex quibus deduco, ſi Conſtantinus pridem ante mortem & jam tempore Nicænæ Synodi myſteriorum & Sacramentorum fuit particeps, ergò non primùm Nicomediæ horum particeps factus eſt.

(*a*) lib. 4. c. 21. p. 315.
(*b*) id Auct. vit. Conſt. lib. 4. c. 22.
(*c*) idem ibid. lib. 4. c. 57. p. 325.
(*d*) Orat. ad SS. Cœtum p. 310.

VII. Euseb. Quòd Conſtantinus ſacrorum myſteriorum particeps fuiſſe ſcribatur, non innuit ipſum fuiſſe baptizatum, & ad Sacramentorum communionem cum fidelibus admiſſum; ſed myſteriorum, quæ ad generis humani ſalutem Chriſtus ſervator operatus eſt, cognitione imbutum, & fide ſua jam eorum participem.

VIII. Silvest. Quis magis ſacrorum myſteriorum imò & Sacramentorum communionis particeps, quàm qui Paſcha celebrat? (*e*) *Quis autem*, quærit Goarus, *feſtum aptius* ἐπιτελεῖ, *quàm qui precibus & Sacramentis communicat? Chryſoſtomus in eos qui Paſchatis antiqui ritu jejunant: Nuſquam Catechumenus Paſcha celebrat, quia nuſquam oblationi communicat.* Hoc autem certum eſt, nam & (*f*) S. Cyrillus docet, Catechumenos eſſe apud Chriſtianos id, quod erant incircum-

(*e*) Goar. in not. ad Theophan. p. 553.
(*f*) lib. 12. c. 50. in Joan.

cumciſi apud Judæos, qui propterea non poterant veſci Agno Paſchali. Et Catechumeni nihil aliud de ſacris participabant, quam benedictum ſal, quod unicum ipſis in Paſchate dabatur, de quo (*a*) Concilium III. Carthaginenſe: *Placuit ut etiam ſolenniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal*. Fideles verò, quomodo Paſcha celebrabant, nôris ex Apoſtolo, qui ait: (*b*) *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis*. Ex (*c*) S. Auguſtino: *Aliud*, inquit, *eſt Paſcha quod illi de ove celebrant, aliud, quod nos in corpore & Sanguine Domini accipimus*. Sed hoc Paſcha celebravit Conſtantinus, prout ex dictis patet, quod igitur innuit ipſum fuiſſe baptizatum, & ad Sacramentorum communionem cum fidelibus admiſſum.

(*a*) Can. 5.

(*b*) 1. Cor. 5.

(*c*) lib. 2. contra lit. Petil. c. 37.

IX. Euseb. Hoc nondum probat quod aſſeris, ſed ſolùm, ut dixi, myſteriorum cognitione imbutum, & fide ſua eorum fuiſſe participem.

X. Silvest. Si myſteriorum cognitione imbutum credis, credere etiam debes ſuſceptô baptiſmate, & fide non tali quali, ſed integrâ horum fuiſſe participem. Nam non dicam Gentilis, vel nondum Catechumenus, ut Conſtantinum cum Valeſio ſupponis, ſed nullus Catechumenorum myſteriorum cognitione imbutus, ideoque nec fide ſua eorum particeps extitit, quia ut inquit (*d*) S. Auguſtinus: *Catechumenis Sacramenta fidelium non produntur*. Et Patres Concilii Alexandrini invehuntur in Meletianos hæreticos, qui talia factitare conſuevêre. (*e*) *Nec pudet eos*, inquiunt, *coram Catechumenis, & quod pejùs eſt, Ethnicis, ità de myſteriis tragicè agere: cùm oporteat (ſicut ſcriptum eſt) (f) Myſterium Regis celare, &, ut Dominus præcipit (g) non eſſe ſancta porrigenda canibus, neque projiciendas margaritas ante porcos. Non enim fas eſt myſteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea ſubſannent, aut Catechumeni per curioſitatem ſcandalizentur*. Verùm Conſtantinus omnium omninò fidei noſtræ myſteriorum cognitione imbutus fuit, nam in oratione quam ha-

(*d*) Tract. 96. in Joan.

(*e*) Epiſt. Synod. Alexand. apud S. Athan. Apolog. 2.

(*f*) Job. 1.

(*g*) Matth. 7.

Digitized by Google

habuit ad Sanctorum Cœtum diſſeruit de Deo, de Chriſti in terram deſcenſu, de ejus Incarnatione, & Nativitate, de ejus baptiſmo, de ejus Regali unctione & Doctrina: de Sacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, de virtutibus moralibus, & quidquid ad fidem noſtram ſpectat. Et hæc omnia prodidit etiam Euſebius Pamphili coram Imperatore in Oratione de ejus laudibus in Tricennalibus habitâ, qui præfationem ejus orationis, ſic finit: (*a*) *deinceps ad divina myſteria explicanda aggrediamur*. Quare cùm auſus ſit Euſebius prodere Sacramenta Conſtantino, atque ipſemet Auguſtus coram Patribus Nicænæ Synodi de omnibus fidei noſtræ myſteriis diſſeruerit, evidens ſignum eſt, eum ſuſceptô Baptiſmate non tantùm myſteriorum cognitione imbutum, ſed & fide integrâ pridem ante mortem eorum fuiſſe participem.

(*a*) Euſeb. orat. de laud. Conſtant. in Procem.

XI. Euseb. Exempla deſunt, quibus doceamur, eum aliquando vel Communionis Paſchalis, vel aliorum Sacramentorum fuiſſe participem.

XII. Silvest. Omitto impii Juliani verba, quibus piiſſimum Conſtantinum Imperatorem Noſtrum propter Baptiſmi ac Pœnitentiæ Sacramenta ſugillat; nec repetam ejus Vitæ Auctoris verba, quibus Helenopoli Confeſſionem Sacramentalem feciſſe inſinuat; ſed pauca Imperatoris verba huc retraho, quibus in litteris mox poſt Nicænam Synodum ad omnes Eccleſias datis, cunctos adhortatur, ut, quæ in Concilio illo, præſertim de Paſchatis celebrandi modo ac tempore, à SS. Patribus decreta fuerant, ſtrictè, ſancteque obſervent, Epiſtolam ſic conludit: (*b*) *Quamobrem vos*, inquit, *ubi omnibus dilectis noſtris fratribus res in hoc Concilio geſtas, ſententiam jam decretam, & ſanctiſſimi feſti obſervandi modum denunciaveritis, eadem ipſi approbare, juſteque diſponere debetis: ut ſimul atque veſtram rectam omnium rerum diſpenſationem, jam pridem, à me deſideratam: me planè perſpicere contigerit, uno eodemque die vobiſcum una ſacroſanctum feſtum recolere poſſim; & ſimul omnium cauſa permagnam animo capiam voluptatem*. Quod autem deſideravit, contigit ipſi, nam ut

(*b*) Conſtant. Epiſt. ad Eccl. apud Auct. ejus Vit. lib. 3. c. 18. p. 293.

Digitized by Google

ut Auctor teſtatur, celebravit deindè Paſcha Conſtantinus cum fidelibus, & *religionis exercitationem ſalutaris feſti temporibus augens, omnibus viribus cum animi tum corporis divinos ſacrorum ritus obibat*. Qui ſunt iſti divini ſacrorum ritus, propter quos religionis exercitationem auxit, & permagnam inde animo capere potuit voluptatem? profectò non *benedictum ſal*, Catechumenis per ſolennes Paſchales dies diſtribui ſolitum (quod certè Conſtantino utpote nondum Catechumeno minimè datum fuiſſet,) ſed epulum *in azymis ſinceritatis & veritatis*, & ut ait S. Auguſtinus: Paſcha, *quod nos in corpore & Sanguine Domini accipimus*.

XIII. Igitur, cùm adeò perſpicuè liqueat, Conſtantinum multis annis ante obitum fidelium orationum, myſteriorum & Sacramentorum fuiſſe participem, quod ex ipſo ejus vitæ Auctore quoque conſtat, is ipſe veró rursùm ſcribat, Conſtantinum primùm Nicomediæ horum omnium fuiſſe participem factum: quid aliud hoc ultimum cenſeri poterit, niſi monſtrum & impudens hominis Ariani confictum mendacium; quo non tantùm Chriſtianiſſimi Imperatoris Orthodoxi & SS. Nicænæ Synodi Patrum: verùm etiam omnium Catholicorum precum, myſteriorum & Sacramentorum communionem, participationemque ſubſannare; atque nulla ac irrita declarare: Arianorum è contrà communionem, perinde, ac ſi Conſtantinus eam amplexus, & tunc primùm eorum precum & myſteriorum particeps fuiſſet factus, validam tantum ac ſolam veram ſacrorum participationem aſſerere & comprobare voluerit. Hoc & non aliud intendit fallax & idem peſſimus Auctor dum mentitur, Conſtantinum dixiſſe: *Omnis removeatur dubitatio*. Id eſt, juxtà Auctoris perverſam mentem: Ceſſent jam omnes dubitare de me, utrum revera Arianus ſim. Hoc ex his & plura ex ſequentibus Auctoris verbis, Muſculo interprete, colligo: *Etenim ſi nos, qui & vitæ & mortis Dominus eſt, iterùm hic vivere voluerit, & hoc me pacto deinceps populo Dei conjungi, & precibus ſimul unà cum omnibus Eccleſiaſticis convenientibus communicare decretum eſt, jam mihi ipſi ritus viven-*

Digitized by Google

vivendi Deo competentes conſtitui. Quomodo hoc verum erit, quod pius Conſtantinus Nicomediæ primùm moriens ſibi ipſi ritus vivendi Deo competentes conſtituerit, qui jam in Nicæna Synodo ad Patres dixit: (*a*) *Ego quidem exiguo orationis meæ apparatu plùs non audeo dicere, quam hoc ſolùm, animam meam juſtificatam in ſinceritate ſeu puritate verſari oportere*. Sicque tunc jam per Sacramentum baptiſmatis animam juſtificatam habuit, ſibique ritus vivendi Deo competentes conſtituit. Qui in eodem Concilio ad ſanctorum Cœtum dixit: (*b*) *Si divinæ felicitatis amore flagramus, vita ex Dei præcepto inſtituenda eſt. Sic enim fato evicto, in domiciliis immortalibus, æterniſque ætatem degemus, modum vivendi ex lege divinitùs deſcripto ſecuti*. Qui item ibidem dixit: *Dei filium omnes ad virtutem invitare, magiſtrum ſalutarium præceptorum ſapientibus ſe jam pridem præbuiſſe, pro certo cognoſcimus: niſi fortè nos noſtri ipſorum obliti, præ vitioſitate ignoramus, illum ad noſtram utilitatem, hoc eſt ad hominum beatitudinem, terras aliquando perluſtraſſe*. Huncne adeò vitioſum extitiſſe credamus, ut ritus vivendi Deo competentes primùm in morte ſibi conſtituerit? Quomodo deinde verum erit, quod Nicomediæ primum moriens populo Dei conjungi voluerit, qui antea tot annis cum eo conjunctus fuit? Quomodo tunc primùm *precibus ſimul unà cum omnibus Eccleſiaſticis convenientibus communicare decrevit*, qui antea frequenter cum Epiſcopis Orthodoxis, cum Eccleſiaſticis, & cum univerſo Eccleſiæ Cœtu, cum populo Dei preces reddidit? Sed Auctoris hæretici verſutiam animadvertas velim. Ille, qui ipſe refert, Conſtantinum apud Catholicos ſacrorum myſteriorum fuiſſe participem, atque etiam ab iiſdem baptizatum, non negat, ſed ridet cuncta Catholicorum myſteria & Sacramenta, perinde ac ſi nullius valoris eſſent ludibrio habet. Neque Orthodoxos, cum quibus communicavit Conſtantinus, ſed Arianos ille intelligit, quos ultimo loco populum Dei nuncupat. Neque Catholicos Epiſcopos aut Eccleſiaſticos, ſed Arianorum Sycophantas vult ſupponere & intelligere veros Eccleſiæ miniſtros, quorum ſacra

(*a*) Sermon. Proſphonet. apud Gelaſ. Cyzicen.

(*b*) Orat. ad SS. Cœtum.

à Ca-

à Catholicis aliena obtrudit tanquam legitima & Conſtantinum ſemper Catholicum in fine vitæ ſuum vendicat.

XIV. Euseb. Optimè diſcurris. Equidem negare non poſſum: quot hæreticorum dogmata, tot Religionis noſtræ vulnera. Et jure quidem optimo impudentiſſimi nomen meretur Auctor, qui tantâ impudentiâ de Religioſiſſimo Principe Conſtantino loquitur, quique tam apertis impoſturis atque calumniis, à ſuo perverſo animo, vel genitis, vel adoptatis, teſtimonium contrà eum dicere, & ut Apoſtatam & ſibi ſimilem hæreticum criminari non erubeſcit. Cujus verba, dum perpendo, rectè mihi incidit: (a) *ſenſus, & non ſermo fit crimen*, ut inquit S. Hilarius. Alianè adversùs Conſtantinum vel contrà Catholicos congerit Auctor?

(a) S. Hilar. lib. 2. de Trinit.

XV. Silvest. Sanè quamplurima. Audi commenta quæ dein agglomerat: *Hæc*, inquiens, *cùm dixiſſet* (Conſtantinus) *illi ſolemni ritu divinas cæremonias peregerunt: injunctiſque ei quæcunque neceſſaria erant, ſacrorum myſteriorum participem cum fecerunt. Solus igitur ex omnibus, qui unquam fuerunt Imperatoribus Conſtantinus, in Chriſti martyriis renatus & conſummatus eſt: & divinô donatus ſignaculô, exultavit ſpiritu renovatuſque eſt, ac divinâ luce repletus*. Ità apud Valeſium; quem locum Criſtophorſonus ſic interpretatus eſt: *Illi verò ſacrorum religione conſummata, adbibitiſque ſtatis divinæ inſtitutionis cæremoniis, arcanorum myſteriorum eum participem faciunt: certa quædam, quæ oportebat, præfinientes. Et ſanè ex omni omnium Imperatorum memoria ſolus Conſtantinus, in Chriſti martyriis renatus, & ſacris initiatus, divinoque ſigillo donatus, & ſpiritu lætitiam concipiens, prorſuſque novus redditus, ac divina oppletus luce*. Muſculus verò iſta ſic vertit: *Illi verò, quæ legitima erant obeuntes divinas conſtitutiones perfecerunt, arcanaque illi tradiderunt, poſtque ea quæ opus erant ſtipulatione caviſſent. Solus igitur ex omnibus Imperatoribus Conſtantinus ad Chriſti martyria regeneratus initiatuſque eſt, ac divinam obligationem ſortitus ſpiritu exultavit. Renovatus autem divinaque luce illuſtratus*. Hæc illa eſt per-

Digitized by Google

percelebris (ſi ſuperis placet) Euſebiana hiſtoria, ex quâ eruitur & invitâ Minervâ aſtruitur communis tua ſententia: *Conſtantinus Nicomediæ ſub finem vitæ baptizatus eſt*.

XVI. Euseb. Itâ eſt. Sic enim mecum cenſent complures eruditorum, peneque omnes noſtri ævi Reipublicæ Litterariæ Quirites.

XVII. Silvest. Sed aliter ſentiebant viri, ſi non majoris, paris certò eruditionis lapſis retrò ſeculis, quorum alii, textum hunc ſcrutantes hiſtoriam non capiunt, alii verò Auctorem, quem illi Euſebium Pamphilum tecum putant, non aliam ob cauſam ità acerbè cenſurâ ſua perſtringunt, quàm propter hujus hiſtoriæ textum ultimum. Ex Græcis Photius, Theophanes, Cedrenus, Glycas, Nicephorus: ex Latinis Anaſtaſius Bibliothecarius, Polus, Canus, Genebrardus, Baronius, Combefiſius ac multi alii, qui propterea Auctorem vafrè & mendaciter ſcripſiſſe coarguunt. Sed quid ad hæc Valeſius, quem in textus Euſebiani expoſitione ſequeris?

XVIII. Euseb. Valeſius in annotationibus ad textûs verbum ἐτελειοῦτο ait ſe hoc interpretari maluiſſe *conſummatus eſt*; quod ex Epiſtola (a) S. Cypriani probat. Dicit præterea quòd (b) Clemens Alexandrinus baptiſmum variis nominibus appellari ſcribat; præſertim τέλειον, & cauſam ſubjungit cur ità vocetur: τέλειον, inquit, dicimus id cui nihil deeſt, quid porro deeſt illi qui Deum novit, & qui gratiam Dei poſſidet, & vita jam fruitur æterna. Ex quo ità concludit Clemens: omnes qui in Chriſtum crediderunt, & ſacro lavacro tincti ſunt, jam perfectos eſſe. Apud Latinos quoque perfecti Chriſtiani dicebantur, qui baptiſmum ſuſceperant, tametſi manus impoſitionem ab Epiſcopo non accepiſſent. Vetus Auctor de hæreticis non rebaptizandis: *quod hodierna quoque die non poteſt dubitari eſſe uſitatum, & evenire ſolitum, ut plerique poſt baptiſma ſine impoſitione manus Epiſcopi de ſeculo exeant; & tamen pro perfectis fidelibus habentur*. Et iterùm infrà, perfectum Chriſtianum ponit pro fideli: imperfectum

(a) Epiſt. 73. ad Jubajan.
(b) lib. I. Pædagog.

ctum verò pro Catechumeno. Hæc Valeſius.

XIX. Silvest. Sed explicatio hæc generalis & optima applicari nequit Conſtantino. Si enim, quod veriſſimum eſt, ille, qui ſacro lavacro tinctus eſt, & cui nihil deeſt, fidelis cenſetur & perfectus Chriſtianus, certè Conſtantinus, pridem ante mortem talis cenſeri debet, quippè ei in Nicæna Synodo jam nihil defuit; niſi ut pro acceptis Deo gratias ageret. Sic enim ait in oratione ad dictæ Synodi Patres. (*a*) *Cùm igitur Dei Opt. Max. nutu & auxilio adjutus, victoriam ab hoſtibus reportaſſem: nihilque ampliùs mihi reliquum eſſe putarem, quàm ut tum Deo gratias agerem, tùm unà cum his qui (Deo opem ferente) per me eſſent in libertatem vindicati, communem lætitiam animo perciperem*. Quid illi defuit, qui laudem dedit Deo: (*b*) *Tua potentia nos innocentes & fideles reddit*. Vel, ut Valeſius vertit: *Tua nos poteſtas innocentes efficit ac fideles*. Qui dixit: (*c*) *Breviter id ego, quatenus fides, & animi juſtificatio facultatem dicendi dederit, enarrare tentabo*. Et huic cenſeamus omnia defuiſſe, atque eum nondum ſacrô lavacrô tinctum, eoque Sacramento nondum juſtificatum aut fidelem & perfectum Chriſtianum, ſed Nicomediæ primùm talem factum eſſe?

(*a*) Auct. Vit. Conſt. in Synop. orat. Côſt. lib. 3. c. 12. p. 189.

(*b*) Conſtant. Præcon. in Deum apud Auct. ejus Vit. lib. 2. cap. 57. p. 181.

(*c*) Serm. Pro ſphôn. apud Gelaſ. Cyzicen.

Euseb. Age! tuum modo judicium de verbis illis explica.

XX. Silvest. Antequam de verbis *conſummatus eſt*, & de fine hujus textûs loquamur, principium ejus ac tota narratio nobis expendenda eſt. Inprimis quod ipſam narrationem attinet, quod ſentio, dico confidenter, nullam penitùs veræ eam præſeferre hiſtoriæ ſpeciem. Hiſtoria quippè, ut Cicero veriſſimè dixit, cum magiſtra vitæ eſt, tum lux etiam veritatis. Sed hic locus, qui præcipuè de baptiſmo Nicomedienſi ejuſque conſummatione tractat, omni luce veritatis caret & claritatis, totus obſcurus eſt, adeò, ut verum dixerit doctiſſimus (*d*) Genebardus inquiens: *Euſebius ità obſcurè de quodam lavacro (nam baptiſmum non appellat, & an intelligat jure dubites) loquitur, ut de eo planè incertus fuiſſe videatur*. Alii

(*d*) in Chronograph. lib. 3.

Digitized by Google

verò, & ego tecum colligimus ex his obſcuris, Auctorem nonniſi loqui voluiſſe de baptiſmo Conſtantini Nicomediæ ſuſcepto, ſed propterea, quòd narratio hæc aliis, qui contrà tuam ſententiam mecum ſentiunt, nec hiſtoria nec fabula, quæ magiſtra eſſet vitæ, & lux veritatis, videatur, illi non aliter eam, quàm mendacium appellitare conſuevêre.

Euseb. Cauſam hujus rationabilem ſaltem afferas velim.

XXI. Silvest. Hiſtoriæ lex prima eſt: *nequid falſi dicere audeat, deinde nequid veri non audeat*; ſed Auctor auſus non eſt ſcribere ea, quæ ſi vera eſſent, auſus ſcribere fuiſſet. Nam qui miniſter, quæ forma, quis ritus? ſilentio præterit, neque refert ubi? num in Eccleſia, an in Palatio? num in Eccleſiæ baptiſterio, vel intimis in Palatii penetralibus? num in pelvi, vel in lecto Clinicorum more baptizatus ſit Conſtantinus? quæ tamen omnia vel maximè ad rem ſpectarent. Cùm igitur Auctor hæc ſcribere auſus non fuerit, certum & evidens ſignum eſt, non hiſtoriam ſed conficta ſcripſiſſe mendacia.

XXII. Euseb. De miniſtro non planè res eſt incognita, quæ pluribus argumentis comprobari poteſt.

XXIII. Silvest. Indignum judico id comprobare, & rursùs litem habere velle cum Auctore, qui aliunde apertæ falſitatis convictus noſcitur. (*a*) *Non eſt contendendum*, inquit Juſtinus martyr, *cum eo qui dat operam, ut quomodocunque fiat ſuperior, & modò victor habeatur, veras rationes negligit*. Si agis te miniſtro, cujus tamen Auctor non meminit, tecum ipſo pugnas, & quod Auctor vult, ipſe affirmas. Si aſſeris Conſtantinum in ſuburbanis Nicomediæ baptizatûm, ſequitur ipſum ab Euſebio ejuſdem Urbis Epiſcopo Ariano baptizatum, atque adeò falſis Arianorum ſacris, quod Auctor vult, initiatum; hunc enim miniſtrum, qnem Auctor ſilentiô præterit, manifeſtant Chronica Sancti Hieronymi, Iſidori & Alexandrinum; proinde ſi baptiſmum admittis, miniſtrum negare non poteris.

(*a*) Juſtin. mart. Epiſt. ad Zen.

XXIV. Euseb. Non ſequitur, quòd baptizatus ſit ab Euſe-

Euſebio Nicomedienſi Conſtantinus, quia Nicomediæ baptizatus eſt. Nec aſſentior SS. Hieronymo & Iſidoro aſſerentibus ab Ariano ſacris myſteriis fuiſſe initiatum. Ne aſſentiar, movet me Vitæ Conſtantini Auctoris ſilentium, & cæterorum ſcriptorum, qui non dicunt, à quo fuerit baptizatus.

XXV. Silvest. Quid magis indecorum, ac neſcire, quis Conſtantinum Nicomediæ baptizaverit. Crediderim in tota hiſtoria ſacra & profana non inveniri tàm inſulſum tamque exoticum, cujuſdam facti exemplum, quô ea, quæ ipſam hiſtoriam conſtituunt, deſiderarentur. Ubi, quæſo, neceſſarias in quovis facto exprimi ſolitas juxta vulgatum illud: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, expreſſas legis circumſtantias? Sanè ſi tempus & locum demas, aliam non invenies; in his duntaxat verbis vis omnis ac Argumentorum Achylles; verum ubi vis maxima poſita, Auctor, qui tricarum cauſa eſt, deſerit te tuæque ſententiæ defenſores, & ſilet cum cæteris ſcriptoribus, *qui non dicunt à quo fuerit baptizatus*. Quis Clodovæum primum Francorum Chriſtianum: aliarumque Nationum imò & Barbarorum Reges ac Principes baptizaverit, novimus. Quis Pudentem Romanorum Senatorum primum Chriſtianum, primoſque cives Romanos in urbe baptizaverit, æquè non ignoramus. At Conſtantinum *primum omnium Romanorum Imperatorum Chriſtianum*, quis baptizaverit, ſcriptores non dicunt? Cur adeò jejuna hiſtoria Græca & Latina? Cur ità inſcius ipſe Auctor, qui cæteroqui Conſtantini laudes exactè, ne planè dicam ſuperſtitiosè conquiſivit, ut ea, quæ ipſe fortaſſis non viderit, ſed ſaltem ab aliis audire potuiſſet, non tradat?

XXVI. Verum enim verò, quamvis Hieronymi & Iſidori Chronicis, quæ miniſtrum Euſebium produnt non aſſentiaris, tamen non obſtat Auctoris ſilentium, quin illis aſſentiri debeas; nam falſum eſt, quod ſcriptores non dicant à quo fuerit baptizatus, quia præter illa chronica, Auctor quoque Chronici Alexandrini & Pomponius Lætus idpſum ſcribunt

bunt

Digitized by Google

bunt & affirmant. Nec deſunt alii ex Græcis ſcriptoribus, qui idem referant, ſed utrumque tum baptiſmum, tum miniſtrum, tanquam Arianorum commenta refellunt. Sic Glycas: *Ariani quidam conſtanter adſerunt, eum ab Euſebio Nicomedeæ Antiſtite baptizatum eſſe, ut qui Conſtantino illum ad locum uſque comes fuerit, itaque deinceps obdormiviſſe*. Cedrenus: *Qui autem dicunt, Conſtantinum morte demum appropinquante ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo Ariano fuiſſe Nicomediæ baptizatum, errant*. Sic quoque S. Theophanes & Nicephorus Calliſtus de Euſebio miniſtro commemorant. Ecce! non omnes cæteri ſcriptores ſilent de miniſtro. Quamobrem ſi vitæ Conſtantini Auctori, ac Hieronymi & Iſidori Chronicis fidem adhibes, quoad baptiſmum, fidem quoque illis adhibere neceſſe eſt, quoad miniſtrum, licèt Auctor de eo ſileat, quia non ſilent alii. Aſſentiris Imperatorem Nicomediæ baptizatum, diſſentiri non potes eum ab Euſebio Ariano ejuſdem urbis Epiſcopo Arianorum myſteriis fuiſſe initiatum, & affirmare debes cum Arianis, qui *conſtanter adſerunt eum ab Euſebio Nicomedeæ Antiſtite baptizatum eſſe*; ſicque non tantùm in Arianum dogma (ut legitur in vulgato Chronico Hieronymiano) declinaſſe, verùm etiam ità deinde obdormiviſse; quod tamen ipſemet non admittis, quippè quod eſt ab Eccleſia penitùs alienum.

XXVII. Euseb. (a) Photius in Bibliotheca eam opinionem refellit Gelaſii Cyziceni teſtimonio, quod ipſe approbat. Sic enim de Gelaſii hiſtoria ſcribit: *Deſinit in Conſtantini M. obitum, quando divino remiſſionis peccatorum lavacro ſuſcepto, vitæ hujus maculas, quas communi mortalium ſorte contraxiſſe oportuerat: una eluit. Baptiſmate verò tinctum refert ab Orthodoxo Sacerdote, ſacroque ritu, non, ut quidam prodiderunt, ab hæreticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptiſmatis obveniſſe moram, quod ipſis Jordanis fluminis aquis tingi vehementer optaſſet*.

(a) Bibl. Cod. 88. p. 210.

XXVIII. Silvest. Hoc teſtimonium videtur exoletum, & nihil probare, quia non ampliùs extat in Conciliorum

rum

rum editionibus, ſed datâ operâ cum toto Gelaſii libro tertio omiſſum eſt. Quâ in re audi, quæ (*a*) Schottus notat inquiens: *Euſebii errorem, à multis pridem Græcis Latiniſque Scriptoribus refutatum ſequitur hic Gelaſius: & hæc forſitan cauſa omiſſi in M.S. tertii hujus hiſtoriæ libri.* Si tamen teſtimonium illud fidem aliquam meretur, dico Gelaſium ſibi tibique contraria loqui. Dicit Conſtantinum baptiſmate tinctum *ab Orthodoxo Sacerdote*; cùm autem Imperator jam pridem Romæ baptizatus ſit, & Ortodoxi baptiſmum non iterârint, conſtat eſſe non poſſe, quod Gelaſius aſſerit. Deinde ait, *non, ut quidam prodiderunt, ab hæreticorum aliquo*, quod eſt contrà Auctoris mentem, qui primariò & nihil aliud magis quam ab Arianis eum baptizatum, id eſt more Arianorum rebaptizatum teſtari vult, quod & ipſi Ariani conſtanter olim adſeruerunt eum ab Euſebio Nicomediæ Antiſtite Ariano baptizatum eſſe. Et quomodo verum eſſe poteſt, eum à Sacerdote ſive Orthodoxo, ſive Ariano ſimplici baptizatum, cum Auctor clarè dicat, eum ab Epiſcopis Nicomediæ convocatis ſolemni ritu Sacrorum Myſteriorum participem factum? Quì credere poteris, primum omnium Romanorum Imperatorem Chriſtianum, præſentibus & ſolemni ritu divinas cæremonias peragentibus Epiſcopis, à ſimplici Sacerdote baptiſmate tinctum?

(*a*) in cit. Gelaſ. text. ibid.

XXIX. Euseb. Cur ab Oſio, qui in comitatu frequens verſabatur, & qui adeò ipſi charus erat, totque meritis ſpectabilis, non dicatur baptizatus Conſtantinus? præſertim cum nomine Aegyptii, ideſt Magi cujuſdam ex Iberia oriundi, à quo luſtrationem ſuſcepiſſe ipſum dicit Zoſimus, Auctor maximi apud Baronium pretii, deſignatus videri poſſit.

XXX. Silvest. Ideò ab Oſio non dicitur baptizatus, quia Oſius abfuit. Nec baptizandi officium Nicomediæ alterius fuit, quam Euſebii ejuſdem Diœceſis Epiſcopi, ſecundum morem Eccleſiæ, ut patet ex Tertulliano *de baptiſmo*, & ex Dialogo S. Hieron. contra Luciferianos. Item ab exemplo Conſtantii Imperatoris Ariani, qui in fine vitæ in Diœceſi An-

Digitized by Google

Antiochena non ab alio ex præſentibus Epiſcopis, nec ab *Acacio Luſco*, qui tantum apud Conſtantium valuit, quantum Oſius apud M. Conſtantinum, ſed ab Euzojo Antiocheno proprio Epiſcopo baptizatus eſt. Si namque Oſius præſens fuiſſet, crediderim quod Imperator huic ſibi ſemper chariſſimo & cunctis maximè ſpectabili Epiſcopo, & non alteri, præſertim ſimplici Presbytero ſuum conſignaſſet teſtamentum.

XXXI. Euseb. Etſi baptizatum fuiſſe ab Ariano concederemus, Hieronymum & Iſidorum ſecuti, non ſequeretur ipſum Arianum factum fuiſſe: quia Euſebius Nicomedienſis Catholicum ſeſe ſimulabat, & Concilio Nicæno ſubſcripſerat. Unde Conſtantinus decipi potuit, ut ab ipſo baptiſmum ſuſciperet, quem exiſtimabat Orthodoxum.

XXXII. Silvest. Si concederes baptizatum fuiſſe ab Ariano, neceſſario ſequeretur ipſum Arianum factum fuiſſe, quod inde patebit, ubi de Hieronymi & Iſidori teſtimoniis loquemur. Unicum duntaxat hoc dico, quod, quam parùm Oſius aut Orthodoxorum Sacerdotum quiſpiam Conſtantinum Nicomediæ baptizavit, tam parum etiam Euſebius ejus loci Epiſcopus baptizator extitit, quod ipſe invitus affirmare debes, cùm te moveat Auctoris ſilentium, & cæterorum Scriptorum, qui non dicunt, ideſt veriſimiliter, à quo fuerit baptizatus. Hinc de forma non quæram, cum de miniſtro non conſtet, non enim eandem cum Eccleſia Catholica Ariani obſervabant baptiſmi formam. Quid de ritu? ait quidem Auctor, *illi ſolemni ritu divinas cæremonias peregerunt*, ſed quis ille ſolemnis ritus? num trinæ, vel binæ, vel unius tantum merſionis vel aſperſionis, vel perfuſionis in lecto, cùm mergi amplius à baptizante non poſſet? & ideò talis baptiſmus minùs ſolemnis, & minùs perfectus haberi debet, quia non ſpontè, ſed potiùs mortis metu ſuſceptus videretur. Divinas autem tunc peractas cæremonias vocat Auctor *legitima*, perinde ac ſi Arianorum tantùm Myſteria ſeu Sacramenta, talia cenſeri deberent.

XXXIII. Euseb. Ad hoc reſpondet Valeſius. Colligitur, inquit, Conſtantinum non in lecto perfuſum, ſed in Eccle-

ſia

ſia baptiſmum percepiſſe, quod & mihi verum videtur, quia Auctor ſubjungit, poſt ſuſceptum baptiſmum, Conſtantinum candidiſſimo in lecto recubuiſſe.

XXXIV. Silvest. Hunc locum vertit Muſculus, *inque candidiſſimo lecto quievit*. Ex quo, cum Auctor nil prorſus memoret de Eccleſia, ego colligo, baptiſmum collatum ab Auctore indicari, non in Eccleſia, ſed in Palatio, non in baptiſterio, ſed in lecto Clinicorum more. Nam divinas cæremonias, quas illi ſolemni ritu peregerunt, ille non ſeparat à lecto, dicens: *poſtquam autem quæ decebant perfecta erant, ſplendidis eſt & regalibus lucis inſtar fulgentibus indumentis indutus, inque candidiſſimo lecto quievit*.

XXXV. Euseb. Verùm Auctor clarè exprimit: *in Chriſti martyriis renatus & conſummatus eſt*. Ergò in Eccleſia, & non in Palatio, vel cubiculo, eſt baptizatus.

XXXVI. Silvest. Si ità, ſequitur eum bis renatum, bis conſummatum ac denique bis renovatum; primùm in Martyrio Helenopolitano, deinde in Martyrio Nicomedienſi, quod dici non poteſt de homine Ethnico, qui Helenopoli per manûs impoſitionem primùm factus eſt Catechumenus: *Per Sacratiſſimum Crucis ſignum*, inquit (a) S. Auguſtinus, exhortans Catechumenos, *vos ſuſcepit in utero S. Mater Eccleſia, quæ ſicut & fratres veſtros cum ſumma lætitia ſpiritualiter pariet, nova proles futura tantæ Matris, quouſque per lavacrum ſanctum regeneratos veræ luci reſtituat, congruis alimentis eos quos portat, paſcat in utero*. Si igitur *Crucis ſignum* per manus impoſitionem Catechumenis dat ſuſcipi in utero S. Matris Eccleſiæ, non autem *regenerari* aut *renaſci*, quod ſoli baptiſmatis Sacramento proprium eſt, quomodo Conſtantinus Catechumenus Helenopoli primùm talis factus, jam tum quoque *renatus*, *conſummatus*, & *renovatus* dici potuit? cùm non tantùm ibi, ſed & poſtea ad Suburbana Nicomediæ digrediens, adhuc in utero Sanctæ Matris Eccleſiæ extiterit. Si ultrà his inſiſtis, ex Ariani Scriptoris fallaciis non te extricabis.

(a) lib. 3. c. 1. tom. 9.

Digitized by Google

cabis. Ludit ille & decipit, neque ipſi illudere poteris, neque ſententiam tuam ejus textu probabis, niſi verba, ut ille vult, in alienum ſenſum detorqueas. Non quod verba ſonant, ſed quod indicant, teneo; nempe Pœnitentia dat *renovari*, Euchariſtia dat *exultare Spiritu*, & Unctio extrema dat *conſummari*, quæ tria poſteriora Sacramenta Conſtantino, poſt pridem ſuſceptum baptiſma, quô Romæ renatus fuit, in fine vitæ collata fuerunt, nimirum, ritu Catholico ſuſcepit in templo Martyrum Helenopoli Sacramentum Pœnitentiæ: deinde Nicomediæ moribundus in lecto Sacramentum Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, quod & non aliud in ſano ſenſu ex Auctoris verbis colligendum cum Blanchino cenſeo, & aſſeveranter propugno.

Euseb. Si ritu Catholico, ut ais, Sacramenta in fine vitæ ſuſcepit, quis horum miniſter extitit?

XXXVII. Silvest. Miniſter non alius fuerit, niſi quem Gelaſius Cyzicenus Orthodoxum Sacerdotem appellat. Ille Sacerdos, qui ad ſpeciem exterius ſe Orthodoxum fingebat in pectore Arium tegebat: foris in veſtimento Ovis; intùs Lupus rapax extitit. Idem Presbyter quem Conſtantia Fratri ſuo Conſtantino commendavit, & cui idem Auguſtus, ob ſimulatam ejus pietatem & fidem Orthodoxam, bonâ fide teſtamentum ſuum concredidit; quique Presbyter (a) *licet in maximo honore apud Imperatorem eſſet, tamen cùm videret,* (poſt Arii mortem) *Imperatoris animum de Religionis doctrina confirmatum, ſuæ pravitatis morbum neutiquam ei aperire auſus eſt*; ab hoc ergò & non alio Imperator, quem putabat Orthodoxum, Imperator ſub finem vitæ validè ritu Catholico Sacramenta ſuſceperit.

(a) Theodoret. lib. 1. c. 3.

XXXVIII. Euseb. Ego, ut verum fatear ab ejuſmodi tricis, & litigiis lubens me expedio. Deteſtor jam & abominor Auctoris impudentiam Arianorumque fraudes, velut gymnaſium à diabolo apertum, ad obſcuranda Sacroſancta fidei noſtræ Myſteria. Satis his me perſuaſum fateor.

XXXIX. Sil-

Digitized by Google

XXXIX. Silvest. Non eſt quod mireris, Euſebiane! hæc enim hæreticorum fraus quovis tempore fuit, ut ſua mendacia tanquam Evangelicas veritates ſimplicibus venditarent. Verùm quia modo ad alia vocor, precor te, finiamus. Sequenti Colloquio textum Auctoris abſolvimus.

COLLOQUIUM XII.

De confictis Mendaciis, quibus incertus Auctor de Vita Conſtantini ſuam, de hujus Pii Imperatoris Nicomedienſi Baptiſmo, narrationem claudit.

EUSEB. Heſternum Colloquium nonnihil interrupimus; reliqua nunc, ſi placet, abſolvamus, ne quid eorum, quæ ad integram hiſtoriæ ſtatus notitiam comparandam conferre poſſunt, deſiderari videatur. Expone, quæſo, quonam animo reliqua quoque ſcripta ſint ab Auctore.

Silvest. Animo tam parum æquo reliqua, quibus figmentum ſuum claudit, Auctor deſcripſit. Paucis veris plura falſa miſcet; ſimulat & fingit, intus Nero, foris Cato. In omnibus dubius: monſtrum refert ex diverſis beſtiarum formis compactum, juxta illud Poeticum: *Leo, pars prima, draco, media, ipſa Chimæra.*

Euseb. Quô tandem modô?

I. Silvest. Etenim ſic pergit: *Et animo quidem maximam capiebat voluptatem ob fidei excellentiam, evidentiſſimam autem divinæ potentiæ magnitudinem attonitùs mirabatur.* Sic Valeſius hunc locum vertit. Criſtophorſonus ità: *per immenſitatem fidei incredibiliter quidem animo geſtiebat: ſed ad clariſſimam & evidentiſſimam vim Divinæ Majeſtatis obſtupeſcebat.* Muſculus ſic: *Gavisus quidem eſt ſpiritu propter excellentiam fidei, ad evidentiam verò divinę virtutis obſtupuit.* Qualem tum Pius Conſtantinus in extremis conſtitutus, rationis tamen adhuc compos, voluptatem habere potuerit, facilè

Digitized by Google

cilè ex hoc loco & aliunde colliges, eam non aliam fuiſſe, quàm, quòd ſumptô SS. Euchariſtiæ Sacramentô refectus, & peregrinantium ad æternam ac cœleſtem Patriam viaticô proviſus, perceptoque Extremæ Unctionis Sacramentô, contra dæmonis tentationes munitus, & roboratus eſſet, lætus jamjam & ſecurus migrare non dubitaret ex hac vita; & propterea, minimè verò ob ſolius fidei excellentiam, tunc maximam cepiſſe voluptatem, apud me indubitatum eſt. Sic ego Catholici Principis Conſtantini morientis voluptatem accipio. Quid verò Auctor intelligat, gravitas verborum ejus indicat; quibus meâ quidem ſententiâ, nihil aliud, quàm ſpirituali Pientiſſimi Principis voluptati, perfidiæ ſuæ Arianæ, non dicam excellentiam, ſed dementiam miſcet, ſuæque Sectæ impietatem ſub Conſtantini pietate venditat, ſicque ludens rem dolosè applicat, perinde ac ſi Conſtantinus, ob ſolam fidem Arianam tunc recenter amplexam, gaviſus: ac propter tàm ſubitam Converſionem, divinæ potentiæ magnitudinem attonitùs eſſet miratus. Cæterùm non omninò mentitur Auctor, ſed fabulatur. Mimum hic agit verſutus verbero, & quæ quondam in Occidente Romæ contigerunt, in Oriente Nicomediæ in ſcenam producit; aptiſſimè, ut ille quidem putat, ad rem, ſed perverſiſſima intentione, non ut fabulâ doceret, ſed ut noceret & deciperet. Romæ contigit, ut dum Optimus Princeps Conſtantinus ſalutiferum baptiſmatis Sacramentum in Palatio ſuo Lateranenſi ſuſciperet, repentè immenſi luminis ſplendore effulgente, manum de cœlo ſe contingentem propriis oculis videret, ſeque ab omni lepræ ſqualore liberatum cernens evidentiſſimam divinæ potentiæ magnitudinem attonitùs miraretur. Quod præcedenti paragrapho Auctor quoque inſinuat, ubi de Imperatore ait: *divinâ luce repletus*. Vel ut Criſtophorſonus habet: *divinâ oppletus luce*. Vel ut Muſculus legit: *divinaque luce illuſtratus*.

II. Euseb. Sed hæc de interna potiùs mentis illuſtratione videntur eſſe intelligenda.

III. Silvest. At pridem jam mente fuit illuſtratus, prout

prout teſtatur Euſebius in Oratione de Laudibus Conſtantini ſic Auguſtum alloquens. (*a*) *Sequitur jam ut tibi (Conſtantine Victor Illuſtriſſime) in hac tua regia, divinarum arcanarumque litterarum myſteria de ſummo omnium Imperatore Deo tradita, ex ſcripto recitemus: non quo te rebus ſacris inſtruamus, qui ſapientiam à Deo didiceris: neque quo tibi ſecreta Dei aperiamus conſilia, cui Deus ipſe multo antequam nos verba apud te facere aggreſſi ſumus, non ab hominibus, neque per hominem ſed per ipſum Chriſtum communem omnium ſervatorem, perque divinam ſuam viſionem, quæ ſæpènumero tibi illuxerit, occultas involutaſque ſacrorum myſteriorum notiones patefecerit, reſeraritque &c.* Et hæc idem Euſebius circà finem Orationis repetit, & confirmat, atque non obſcurè de apparitione, viſione, & illuſtratione Lateranenſi loquitur. Quæ autem ſunt illa magnalia Nicomedienſia, propter quæ ad evidentiam divinæ virtutis obſtupuit Conſtantinus? Et quæ eſt illa illuſtratio, ſeu lucis repletio, aut oppletio? Pergit Auctor dicens: *Poſtquam omnia ritè impleta ſunt, candidis ac regiis veſtibus lucis inſtar radiantibus eſt amictus, & candidiſſimo in lecto recubuit; nec purpuram contingere ampliùs voluit.* Hæc Auctoris genuina circà baptiſmum Nicomedienſem eſt rerum geſtarum expoſitio. Hic peractarum cœremoniarum finis, & exacta ſcilicet deſcriptio magnaliorum Dei, quapropter Conſtantinum ſpiritu exultantem, totum renovatum divinaque luce repletem, ideoque attonitum, & obſtupeſcentem exhibet, Lectorem verò ſimul attentum reddere, & in maximam rei admirationem rapere cupit. Annon plauſibilis actio, quâ fucum facit hiſtrio, & à regiis candidiſque veſtibus, quibus olim Conſtantinus Romæ in ſuo Palatio induebatur, admirandum lucis ſplendorem mutuo accipiens, Nicomedienſem baptiſmum totamque Villam Achyrone illuſtrat? atque ſic ludens luſum terminat, fictis & ementitis Conſtantini verbis, ad alia tranſitum facit, dicens: *Poſt hæc ſublata altius voce, precabundus gratias egit Deo: & finita precatione hæc ſubjecit: Nunc me revera beatum eſſe; nunc immortali vita dignum,* *nunc*

(*a*) Euſeb. Orat. de Laud. Conſt. p. 368. Interpr. Criſtophor.

nunc divinæ compotem lucis factum eſſe cognoſco. Miſeros quoque, & infelices eſſe ajebat, qui tantis bonis privarentur. Cùmque Tribuni ac Duces militarium copiarum introgreſſi, vicem ſuam dolerent, quod orbos ipſos relinqueret, & longiorem ipſi vitam comprecarentur; his etiam reſpondens, nunc demùm veram ſe vitam adeptum eſſe dixit, ſeque unum optimè noſſe quantorum bonorum particeps factus fuiſſet. Proindè properare ſe, & profectionem ad Deum ſuum nulla tergiverſatione differre. Et hæc dicta, & repetita Auctoris verba ſufficiant.

Euseb. Non negabis hoc quod ſcribit: *precabundus gratias egit Deo.*

IV. Silvest. Conſtantinum perceptis ritu Catholico Sacramentis, quibus migraturus ex hac vita muniri voluit, gratias immortales egiſſe Deo, ac ideò etiam ſe revera beatum eſſe, & immortali vita dignum exiſtimare potuiſſe, non nego, verùm ob fidei excellentiam, & baptiſmum, ut Auctor vult, tùnc primùm ſe beatum, & immortali vita dignum dixiſſe: atque tunc primùm divinæ compotem lucis factum ſe cognoviſſe conſtanter nego; hæc enim conficta ſunt ab Auctore.

Euseb. Quibus rationibus iſta evinces?

V. Silvest. In Edicto, quod Imperator contrà hæreticos edidit, quodque Auctor, ſuppreſsô tamen Arianorum nomine recitat, ait Auguſtus: (a) *Noſtræ enim proſperæ ac beatæ vitæ rationi, qua Dei beneficio fruimur, eſt admodùm conſentaneum &c.* Infrà in Epiſtola ad Regem Perſarum apud eundem Auctorem rurſùm inquit Imperator: (b) *Divinam fidem conſervans, veritatis luce perfruor: & hujus veritatis luce ductus, divinam fidem intelligo*; & in ſermone Proſphonetico dixit quoque ad Patres: (c) *Hæc fratres honoratiſſimi, omnique laude digni, cùm ità ſint manifeſta, me ad æterni, & immortalis luminis ſplendorem deduxerunt*, loquens de divino favore, & timore. Atqui hæc veriſſima ſunt, quibus & ipſe Auctor ſubſcribit, videlicet Conſtantinum multo tempore ante ſuum obitum beatam duxiſſe vitam, divinæ compotem lucis

(a) Conſtant. apud Auct. ejus Vitæ lib. 3. c. 63. p. 310.

(b) Ibid. lib. 4. c. 9. p. 323.

(d) Apud Gelaſ. Cyzicen.

lucis factum, ac propterea gloriatum fuiſſe. Proindè mentitur Auctor, dum Conſtantinum poſt fictitium baptiſmum Nicomedienſem fingit dixiſſe: ſe tunc revera beatum; tunc immortali vita dignum; tunc divinæ compotem lucis factum ſe cognoviſſe. Quorum mendaciorum confirmationem, ubi mox ſubjungit, Imperatorem Tribunis ac Ducibus militarium copiarum reſpondiſſe: tunc demum veram ſe vitam adeptum eſſe: *ſeque unum optimè noſſe quantorum bonorum particeps factus fuiſſet*, ex Euſebii Oratione de Laudibus Conſtantini refello, ubi Euſebius de regni Cœleſtis effigie memorans hæc ſubdit: (*a*) *Cujus quidem noſter hic Deo charus Imperator, etiam jam in hac vita ſit particeps, tumquod virtutibus à Deo in ejus animo inſitis ornatus ſit, tum quòd inde divinæ facultates in ejus mentem delapſæ. Etenim Dei ſermonis beneficio, qui per omnes res pertinet, diſertus & prudens factus eſt, & divinæ ſapientiæ communione ſapiens: bonus etiam bonitatem participando, juſtitiam acquirendo juſtus: temperans, ſpeciem induendo temperantiæ: denique cæleſte robur aſſequendo fortis*. Si igitur Conſtantinus tantorum bonorum ante mortem particeps extitit; qua fronte & audacia dicere poteſt Auctor, horum in morte primùm factum fuiſſe participem?

(*a*) Euſeb. Orat. de Laud. Conſt. p. 356.

VI. Verùm hæc & non alia Auctoris animus exprimere voluit, ſcilicet ut hac ratione cuncta bona, quibus Conſtantinus Catholicus Imperator cum Catholicis perſruebatur, pro nihilo, imò ludibrio haberet, ac ſuæ tantummodò ſectæ opera legitima declararet. Id quod perſpicuè colligitur ex Muſculi verſione, ubi de cæremoniis Nicomediæ peractis legit: *illi verò, quæ legitima erant obeuntes divinas conſtitutiones perfecerunt*; quaſi verò Arianorum tantum ſacra eſſent bona, ac legitima. Ex quo vides, quò hic Sectarius procedat audaciæ, imò & inſolentiæ. Quippè quem iræ, livor, ambitio, & invidia Arianæ hæreſis ad has fraudes concinnandas, fingendaque tam enormia mendacia compulerunt. Quare quæ ſuæ ſectæ contraria ſunt, illicô damnat, ea verò, quæ ſua eſſe putat, laudat, & quem vult hæreticum facit, quos non vult, ut Arium,

Digitized by Google

Arium, & Euſebianos, non facit; ſeque ſolùm cum illis rectè ſentire exiſtimat. Hoc privilegium ſibi ſemper arrogarunt hæretici, Eccleſiæ deſertores, & inanes fidei reformatores.

VII. Euseb. Hactenùs dicta probè intelligo, & quomodo hiſtoriam de Baptiſmo Nicomedienſi intelligendam putes, planè perſpectum habeo. At ſcire velim, quid per iram, livorem, ambitionem, & invidiam Arianæ hæreſis intelligi cupias, quæque ad ea fingenda mendacia Auctorem compulerint. Oſtende modò, ſi placet, quæ ſunt Auctoris ſectæ contraria; Cur damnet Catholicorum Sacra, ſuaque laudet? Cur Conſtantinum hæreſis Arianæ Sectatorem ac Patronum facere ſtudeat?

VIII. Silvest. Rationem ſingulorum tibi facilè reddam. Primò, ad iram & livorem concitavit Arianos Nicænorum SS. Patrum, adversùs eos, ſtatutum Decretum, quod illi pro viribus abrogare, atque contenta in eo, tanquam tela in Catholicos vertere, ſtuduerunt. Secundò, ad ambitionem & invidiam illis præcipuam cauſam præbuit pietas ac ſanctitas Catholici Principis Conſtantini, ejuſdemque ergâ Orthodoxos amor & implacabile ergâ Arianos odium; quippè qui non tantùm fide Nicænâ conſtanter ſervatâ ſanctiſſimè obiit; atque cuncta dicti Concilii decreta, ſuprema ſua Auctoritate comprobando in toto Orbe Romano publicavit, ſervarique præcepit; Verùm etiam ſpecialibus ob hæc emiſſis edictis Arium, adhuc inter vivos agentem, perpetuâ ignominiâ notavit, mandans ut is & ſectatores ejus *Porphyriani* vocentur, libri ejus flammis tradantur pœna quoque mortis latâ in eum, qui illos occultaſſe deprehenſus fuiſſet. Juſtô verò tandem Dei judiciô, Ario è vivis ſublato, eum pro damnato hæretico habuit, & in Epiſtolis ad varios datis, *juſtam de Ario vindictam, velut Cippo inſcriptam omnibus promulgavit.* De his, ſi placet, ediſſeram nonnulla.

Euseb. Placebit mihi magnoperè: gratiſſimum namque mihi erit, ſi quæ in ultimis hiſce paragraphis primô & ſecundô breviter indicâſti, ardenter ſitienti explicâris.

IX. Sil-

IX. Silvest. Quoad primum extat in Actis Concilii Nicæni I. inter Canones ex Arabico latinè redditos (*a*) Decretum *de ratione & modo recipiendi converſos ad fidem Orthodoxam ex hæreſi Arii & aliorum talium*; quod ità ſonat: *Si quis ad fidem Orthodoxam convertatur, recipiendus eſt in Eccleſiam per manus Epiſcopi vel presbyteri, qui præcipere ei debet, ut anathematizet cunctos, qui contrà fidem Orthodoxam faciunt, & qui Apoſtolicæ Eccleſiæ contradicunt. Debetque anathematizare Arium & hæreſim ejus, & apertè fidem profiteri, quam in hac perfecta Confeſſione definivimus, ac ſincerè fidelis eſſe: Oportet etiam anathematizare eos, qui huic fidei non credunt, & eam non recipiunt. Et poſtquam hæc fecerit, accipiat eum Epiſcopus, vel Sacerdos, ad cujus poteſtatem pertinet, & ungat eum unctione chriſmatis, & ſignet ter ungendo, & orando ſuper eum orationem Dionyſii Areopagitæ, & fiat oratio ad Deum pro eo devotè, ut recipiat eum. Et poſtea erit particeps divinorum Sacramentorum & communionis, per quam fit remiſſio peccatorum. Si autem is in quo hæc facta ſunt, fuerit Epiſcopus, manebit poſt Converſionem ſuam in gradu presbyteri; ſi presbyter, in gradu Diaconi, ſi Diaconus in gradu hypodiaconi; & ſimiliter in reliquis deinceps, ut ad gradum inferiorem deſcendat*. Subjungunt Notatores: Huic Canoni teſtimonium „ tribuit S. Athanaſius, qui in Epiſtola de Synodis Arimini „ & Seleuciæ, & in Epiſtola ad Epiſcopos Africæ ſcribit Pa„ tres Nicænos edidiſſe in Concilio perfectam fidei confeſſio„ nem & anathematizâſſe omnes hæreſes, & inter eas Aria„ nam. Utrumque eſt in hoc Canone. Eſt autem renovatus, „ & denuò ſancitus hic Canon in Synodo Conſtantinopolita„ na, c. 7. Hæc Notatores.

(*a*) Tom. II. Concil. apud Lab. & Harduin. edit. Venet. c. 31.

X. Euseb. Canonem, quem ex Arabica verſione recitâſti, præſtat, omittas, nihil enim eò probabis. Equidem nonniſi viginti duntaxat Canones, pro genuinis haberi debent; unde alii LXXX. quos Franciſcus Turrianus Societ. Jeſu: & LXXXIV. Canones Nicæni, quos Abrahamus Ecchellenſis Maronita ex Codicibus Arabicis publicârunt, quos inter & il-

Digitized by Google

le Canon vel Decretum à te recitatum, legitur, omnes nunc ab omnibus viris Eruditis, inquit (*a*) Graveſon, tanquam omninò ſuppoſititii, communi calculo exploduntur, quippè qui varia continent, quæ cum omni antiquitate, imò cum ipſo Concilio Nicæno pugnant. Hoc item alii dicunt, dictaque ſua probant ex Concilio Carthaginenſi IV. ex Rufino, Theodoreto, Gelaſio Cyziceno & antiquiſſimis exemplaribus Nicænorum Canonum, ubi nonniſi ab omnibus ſolùm 20. Canones tecenſentur.

(*a*) Hiſt. Eccl. Tom. I. Colloq. 3. ſec. 4. de Concil.

XI. SILVESTR. Dictis tuis refragatur Cardinalis de Aguirre, (*b*) & cum Baronio contendit plures ſupra 20. vulgares à Nicæna Synodo conditos fuiſſe Canones. Non tamen propterea ipſe 80. vel 84. Canones, quos de Arabico in Latinum vertit Turrianus, ac vindicavit poſteà Ecchellenſis, cenſet, omnes verè eſſe Nicænos, ſed potiùs cum Cabaſutio fatetur, ac probat, quoſdam ex illis veris & indubitatis Canonibus Nicænis adverſari, ac proinde eſſe ſuppoſititios, atque ab hæreticis confictos. Id unum ergo doctiſſimus ille Cardinalis aſſerit, Nicænos Canones numerum vicennarium excedere, quod variis momentis confirmat, ex quibus ſolùm duo proferam.

(*b*) Tom. I. Collect. part. 1. Apparat. in Vindic. Præfat. S. Iſidor. diſſert. 8.

XII. Præcipuum fundatur in Decreto, quod in Nicæna Synodo circa tempus celebrationis Paſchatis editum fuiſſe, teſtatur (*c*) Socrates, ubi Conſtantinus in Epiſtola ad Eccleſias ſcripta fideles adhortatur, ut ſtatutum, ob celebrationem Paſchæ Nicænum Decretum, obſervent, ſubjungens: *Quæ cùm ita ſe habeant, lubentes hoc Decretum, tanquam donum Dei, & mandatum revera cœlitùs demiſſum amplexamini*; quod & S. Athanaſius in Epiſtola de Ariminenſi & Seleucenſi Concilio confirmat. Decretum autem hoc inter Canones Concilii Nicæni fuiſſe olim computatum, teſtatur Balſamon in commentariis ad Canonem I. Concilii Antiocheni, ubi hujus Decreti Nicæni fit mentio; ait enim: *Præſentis Synodi*, ſeu Antiochenæ, *Sancti Patres dicunt, de hoc feſto à prima Synodo*, ſeu Nicæna, *fuiſſe definitum: atque hoc* IN CANONIBUS

(*c*) Lib. 1. c. 6. p. 405.

Pa-

Digitized by Google

Patrum primæ Synodi invenitur. Quibus verbis Balſamon, qui circà finem ſæculi 12. florebat, fidem facit, in aliquibus exemplaribus Nicæni Concilii ſuo tempore Decretum de celebratione Paſchatis, non ſolùm inter ejus Decreta, ſed inter illius etiam *Canones* extitiſſe. Atqui hodie inter vulgares Canones hujus Synodi Nicænæ minimè habetur Decretum de Paſchate. Ergo fuerunt olim plures quam 20. Canones Nicæni.

XIII. Alterum petitur ex Epiſtola Julii Papæ ad Orientales, quam refert (*a*) S. Athanaſius, in qua alterius Decreti Nicæni fit mentio, quod in vulgaribus ejuſdem Concilii Canonibus non extat. Dicit enim Julius: *Epiſcopi in magna Synodo Nicææ congregati, non ſine Dei conſilio permiſerunt, prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari*. Ejuſdem Decreti nedum meminit quoque (*b*) S. Leo, ubi petit congregari Concilium in cauſa Flaviani appellantis à conciliabulo ſeu latrocinio Epheſino; Sed illud inſuper inter Canones Nicææ editos recenſet dicens: *quàm autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſariò poſtuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur*. Cum ergo ejuſdem Decreti S. Leo mentionem faciat, & inter Canones Nicænos recenſeat, reipſa autem illud ad Nicænum Concilium ſpectet, inter cujus tamen vulgares Canones nequaquam reperitur; neceſſariò fuerunt plures quam 20. Alia teſtimonia non refero, quæ idem Cardinalis recenſet; pauca ſolùm commemorabo, quæ concernunt Decretum à me productum de *ratione & modo recipiendi converſos ad fidem Orthodoxam ex hæreſi Arii & aliorum talium*.

(*a*) Apolog. 2.

(*b*) Epiſt. 24. ad Theodoſ. Jun.

XIV. Inprimis certum eſt, dictum Decretum ex Arabica verſione adductum, nequaquam pugnare cùm antiquitate, aut cum vulgaribus 20. Canonibus Nicænis, quia, quod Notatores Turrianus Labbeus & Harduinus inſinuant, verum eſt, nempe S. Athanaſium binis in locis, addo & tertium locum in Epiſtola ad Jovianum, teſtimonium illi tribuiſſe, quod item ex ipſis Nicænis Patribus confirmatur, qui poſt recitatum Sym-

bolum fidei Arianæ hæreſi anathema denunciatum eſſe inſinuant. Proinde cùm hoc certum ſit, nec reliqua in illo Decreto contenta cum antiquitate, vel cum 20. Canonibus pugnabunt, præſertim quòd legatur, converſos ab Ariana hæreſi & revertentes ad Eccleſiam obſtrictos fuiſſe anathematizare Arium & hæreſim ejus. Quæſtio duntaxat in eo eſt, num reliqua, ac quidem præſcriptus, Arianos recipiendi modus, ut nimirum Ariani converſi à Catholicis non rebaptizentur, ſed per ſolam manuum impoſitionem reconcilientur, nihil contrarietatis in ſe contineant? Dico prorsùs nihil in ſe continent, quod aliis Canonibus repugnaret, imò quoad hoc confirmatur illud Decretum ab Epiphanio, qui in expoſitione fidei Catholicæ ad Calcem Panarii reprehendit eos, qui contra hoc Decretum peccarunt, ac contrà conſuetudinem Eccleſiæ Arianos converſos rebaptizare ſunt auſi, dicens: (a) *Alii qui audaciores ſunt, ex Catholicorum partibus privata ſibi factione conſlatâ, præter Eccleſiæ conſuetudinem, ac citra Generalis Concilii* DECRETUM, *eos qui ab Arianis ad ſuas partes tranſeunt, iterum baptizare nihil verentur*. Loquitur autem Epiphanius de Generali Concilio *Nicæno*, non autem de Sardicenſi, aut Conſtantinopolitano I. quæ ſua tempeſtate celebrata ſunt. Nam in Sardicenſis Concilii Generalis Canonibus nihil tale de Arianis inſinuatur, & Canon VII. Synodi Generalis Conſtantinopolitanæ non prohibet, ſed potiùs præcipit Eunomianos alioſque hæreticos baptizari in Eccleſia, quem tamen Canonem Eruditi fortè rectiùs ad Concilium Trullanum, pluribus annis poſt Epiphanium celebratum, referunt.

(a) Epiph. in Panar. nu. 13.

XV. Decretum autem illud, de non rebaptizandis Arianis, cujus meminit Epiphanius, & quod planè ſimile eſt illi, quod ex Turriani & Ecchellenſi verſione recitavi, illuſtratur ex ipſis 20. vulgatis Nicænis Canonibus, ubi Octavus Canon Novatianos ad Eccleſiam redeuntes, & manuum impoſitione reconciliatos, ſi clerici ſint, in clericatu manere decernit, modò in ſcriptis profiteantur, ſe Catholicæ, & Apoſtolicæ Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ dogmata ſuſcepturos; ſi verò Novatianus veniens ad Eccleſiam fuerit Epiſcopus, ſtatuit Synodus ut Sacerdotii habeat dignitatem, niſi fortè Epiſcopo Catholico placuerit Epiſcopalis nominis honorem ei concedere; ſi verò non placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatûs, aut Presbyteri locum. Item Canon decimus nonus, præcipit Pauli Samoſateni ſectatores dictos *Paullaniſtas* baptizari; reliquos vero hæreticos atque ipſos Arianos per ſolam manuum impoſitionem reconciliari præcepit Nicæna Synodus, de quibus & S. Hieronymus ait: (*a*) *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos ſuſcipit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis.*

(*a*) in Dialog. contra Luciferian. extrem.

XVI. Igitur cùm Decretum ex Arabica verſione productum hactenùs quoad ſingulas partes confirmatum ſit, hodie tamen inter vulgares viginti Nicænos Canones non extet, ſignum eſt, præterea alia quoque Decreta tum fuiſſe ſancita, atque hoc ipſum ſæpè memoratum Decretum de recipiendis Arianis, legitimum cenſeri poſſe ac debere; nam ſi propter Novatianos atque Paulianiſtas modus recipiendi eos à Patribus Nicænis præſcriptus fuit, planè veriſimile videtur, propter Arianos quoque, quorum cauſa Nicæna Synodus coacta eſt, ſimilem modum fuiſſe ſtatutum. Quod magis indè claret, cum eadem ratio & modus, conformiter ad hoc Decretum, antiquitùs ab Eccleſia circa Arianos fuerint obſervata. Sic Vigilius, adhuc Pſeudo Papa, ad Eleutherium ſcribens de Arianis ait: (*b*) *Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per invocationem Sancti Spiritus fit, operatur, ſed per illam quâ pœnitentiæ fructus acquiritur, & Sacræ Communionis reſtitutione perficitur.* Et in Breviario fidei, quod Sirmondus edidit apud (*c*) Valeſium, ut paulò infrà dicam, idipſum habetur ſcriptum contra Arianos: *Qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, ſed per manus impoſitionem reconciliamus.* Quod autem in eodem Decreto in fine memoratur Epiſcopum Arianum poſt ſuam converſionem in gradu presbyteri manere, reliquos autem Eccleſiaſticos ad inferiorem gradum quoque deſcendere oportere, rursùs veriſimi-

(*b*) Epiſt. 1. Tom. V. Concil. c. 3.

(*c*) in not. ad lib. 5. Sozom. c. 16.

ſimile eſt, cùm idem contrà alios hæreticos converſos, in laudatis VIII. & XIX. vulgatis Canonibus, ſtatutum legatur.

XVII. Quantum igitur hoc Decretum Crabrones irritaverit, facilè ex eo perſpices, quod irritatis ſemel Arianis nil magis ſemper cordi fuerit, quàm ut Decreta Nicæni Concilii, unà cum rectæ fidei formula oblivioni traderentur; quod cùm vivente M. Conſtantino publicè moliri non auderent, poſt ejus mortem (*a*) *tempus opportunum ſe nactos arbitrati, omnes ſuos nervos contenderunt, ut fidem de Conſubſtantiali confirmatam exturbarent ab Eccleſia, Ariique opinionem in ejus locum introducerent*. In quem finem *Acacius* Cæſareæ in Paleſtina Epiſcopus, poſt mortem Euſebii Nicomedienſis totius Arianæ factionis caput & Anteſignanus, fortiſſimum ſe vindicem præſtitit, à quo (*b*) *maximè laboratum eſt, ut omnes in oblivionem Decretorum Concilii Nicæni adducerentur*. Vix credi poteſt, quot quantiſve dolis atque fallaciis, conati ſint Ariani, præcipuè Acacius poſt mortem Conſtantini Pii, ſub ejus ſucceſſore Conſtantio Arianorum Patrono, adversùs Nicænam fidem & ſtatuta decreta inſurgere. Indè illud iidem conſilium captarunt, ut crebra de fidei formula atque Catholicorum decretis examinandis Concilia cogerent, quorum mole Nicænum obruerent; indeque frequenter mutatæ ſunt ab eis fidei formulæ, ut unicam fidei profeſſionem in Nicæna Synodo declaratam, atque univerſæ Eccleſiæ Catholicæ communem, cum omnibus ſtatutis legibus eliminarent.

(a) Socrat. lib. 2. c. 2. p. 451.

(b) Sozom. lib. 4. c. 25. p. 826.

XVIII. Horum quidem in his moliendis nefarium propoſitum cùm ſatis ſuperque (*c*) S. Athanaſius perſpectum haberet, hæc de ipſis ait: *Quotannis enim in unum coeunt, veluti qui tabulas pactaque ſcribunt; ſimulantque ſe pro fide ſcripta conficere: mirè interim & fœdi & ridiculi; cum ſcripta eorum non modò ab aliis, ſed & ab ipſiſmet explodantur. Nam ſi fidere auſi fuiſſent prioribus ſuis ſcriptis, non ſecundò ſcripſiſſent; neque illis denuò repudiatis, ad tertiam ſcripturam proſiliiſſent, prorſus ſtudio habentes, ut rurſum ea mutent, ſi vel puſillum temporis interceſſerit, vel occaſionem nacti fuerint pro ipſorum*

(c) Orat. 1. contrà Arian.

conſuetudine inſidiandi. Tunc enim cùm inſidiis ſtudent, magnoperè ſe ſimulant de fide ſcribere: ut quemadmodum Pilatus lavit manus, ità & ipſi pios religioſoſque in Chriſtum ſcribendo interficiant. Et paulò poſt: *Ergò dum perpetuò ſcribunt, ſuamet ipſi immutantes; incertam ſuam fidem, vel potiùs certam infidelitatem, dementiamque oſtendunt; idque meritò illis accidere videtur, cùm ſemel veritatem ut transfugæ deſeruerint, Nicænamque fidem rectè ſcriptam evertere ſtudeant.* Sic Pſeudoſynodos multiplicabant, ac varias in eis fidei, ſeu verius contra fidem, confeſſiones edebant. Epiſcopos qui eis ſubſcribere recuſabant, depoſitione & exilio mulctabant, cæteroſque mille ærumnis, Principis Conſtantii Ariani favore & potentia, inſequebantur. Cumque lues nedum Orientem, ſed etiam Occidentem infeciſſet, furor undique contaminatam & laceratam Chriſti Eccleſiam toti orbi commiſerandam exhibuit. Quod deplorans (*a*) Vincentius Lirinenſis; *quando*, inquit, *Arianorum venenum, non jam portiunculam quamdam, ſed penè orbem totum contaminaverat, adeò ut propè cunctis latini ſermonis Epiſcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimùm in tanta rerum confuſione ſequendum foret, tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor extitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo nullâ contagii illius peſte maculatus eſt.... Tunc ſiquidem non ſolùm parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, domus; verùm etiam urbes, Populi, Provinciæ, Nationes, univerſum poſtremò Romanum Imperium funditus concuſſum & emotum eſt. Namque cùm profana ipſa Arianorum novitas, velut quædam Bellona aut furia, captô priùs omnium Imperatore* (Conſtantio) *cuncta deinde Palatii culmina legibus novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit univerſa miſcere atque vexare privata ac publica, ſacra profanaque omnia: nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcunque collibuiſſet, tamquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ Virgines,* mo-

(*a*) in Commonit. num. 4.

monaſteria demolita, diſturbati clerici, verberati levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis urbibus, protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, afflicti & tabefacti ſunt. Hactenùs Lirinenſis; quibus Arianorum in Catholicos, non minorem quàm gentilium in Chriſtianos feritatem exponit.

XIX. Inde hujus tam atrocis perſecutionis cauſam aſſignans proſequitur Lirinenſis: *Atque hæc omnia numquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique, dum pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dum benè fundata antiquitas ſceleſta novitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita Patrum, dum convelluntur definita majorum, dum ſe ſe intrà ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet?* Effrænis hæc libido, adversùs ſcita Patrum & traditiones majorum teſte Lirinenſi impulit Arianos. Imò vero eò progreſſi ſunt malitiæ, ut non ſolùm in S. Julium Romanum Pontificem, in magnum Athanaſium, S. Prothogenem, S. Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, S. Maximum Epiſcopum Trevirenſem, Magnum Oſium tum temporis probatiſſimum & alios, Nicænæ fidei ſtrenuiſſimos defenſores, fœdiſſimas calumnias conjicere & abſurdiſſimis mendaciis proſcindere: verùm etiam hos omnes & qui illis communicarent, in Pſeudo Synodo apud Philopopolim, quaſi ab Eccleſia Catholica alienos damnare, atque adeò delicta erroreſque ſuos Catholicis adſcribere non ſint veriti. Quod enim in dicto conciliabulo contrà Orthodoxos ſtatuerunt, per publicas litteras Africanis ſignificârunt his verbis: (*a*) *Vobis ex aperto mandamus, ne quis veſtrûm ab aliquo circumventus aliquando communicet, id eſt Oſio, Prothogeni, Athanaſio, Marcello, Aſclepæ, Paulo, Julio: ſed ne cuiquam damnatorum de Eccleſia ſancta rejectis, neque ſocus ipſorum, qui illis ſivè per ſe, ſivè per ſcripta communicant. Quare nec vos ad illos ſcribere unquam debetis, nec ab ipſis ſcripta ſuſcipere.*

(*a*) apud Hilar. in fragm. lib. 2.

XX. Quan-

XX. Quantum verò in rebus peſſimis gloriati ſint Ariani, ex adductis hîc eorum literis luce clariùs oſtenditur: *Nos verò*, inquiunt, *nulli injuriam facimus, ſed legis præcepta ſervamus. Nam injuriati graviter & malè tractati ſumus; ab iis qui volebant Eccleſię Catholicę regulam ſuâ pravitate turbare: ſed ante oculos habentes timorem Dei, judicium Chriſti, verum & juſtum conſiderantes, nullius perſonam accepimus, neque alicui pepercimus, quò minùs Eccleſiaſticam diſciplinam ſervaremus. Unde Julium urbis Romę, Oſium & Protbogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Treveris damnavit omne concilium ſecundùm antiquiſſimam legem, ut Auctores Communionis Marcelli & Athanaſii cęterorumque ſceleratorum, quique etiam homicidiis Pauli Conſtantinopolitani & cruentis actibus ejus communicaverunt. Protbogenem namque eſſe anathematizatum unà cum Marcello, ſubſcribendo frequenter ſententię in ipſum ... Julium verò Urbis Romę ut Principem & Ducem malorum, qui primus Januam communionis ſceleratis atque damnatis aperuit, cęteriſque aditum fecit ad ſolvenda jura divina, defendebatque Athanaſium pręſumenter atque audacter, hominem, cujus nec teſtes noverat, nec accuſatores. Sed Oſium propter ſupradictam cauſam &c.* Quis hæc audiens non exhorreſcat? En! tibi hîc Arianorum furorem & ſuperbam factionem, quæ ſicut Dei verbo injurioſa; ità ejus Eccleſiæ præſidem Julium ſanctiſſimoſque viros Orthodoxos contemnere minùs erubuit.

Euseb. Miror Arianorum audaciam & intolerabilem arrogantiam. At cur iſti ſe à Catholicis injuratos graviter & malè tractatos conqueruntur?

XXI. Silvest. Quantum conjicio, fuerit horum primaria cauſa, Nicæni Concilii ſuprà recitatum adversùs eos publicatum decretum, quò Sancti Patres omnem Arianorum communionem & divinorum myſteriorum in remiſſionem peccatorum factam participationem irritam declarârunt, eoſque Catholicorum communione & ſacrorum participatione indignos tamdiu cenſuerunt, donec ad Eccleſiam Catholicam reverſi per manûs impoſitionem & Chriſmatis unctionem, abſque

Digitized by Google

baptiſmi tamen iteratione, reconciliarentur. Præterea, quòd eodem Canone Ordinati ab Arianis (licèt Sacramento ſuus valor conſtaret) à graduum dignitate, ſervatô tamen ordine, reſtricti eſſent declarati, videlicet ut Epiſcopus ab Arianis ad Eccleſiam reverſus, ad gradum presbyteri; presbyter ad gradum diaconi, & ſic deinceps alius ad gradum inferiorem deſcendat. Quamobrem Ariani, uti in aliis, ità quoque in hoc ſeveros vindices ſe exhibentes, toti in abrogando hoc Canone fuerunt, & non ſolum Catholicorum Communionem & myſteriorum participationem; ſed etiam ipſa Ordinis & baptiſmatis Sacramenta invalidarunt, cuncta irrita declarantes.

Euseb. Haud vulgarem à me inires gratiam, ſi pluribus iſta exemplis demonſtrares.

(a) c.21.apud Valeſ. in not. ad lib. 6. Sozom. c. 26. p. 144.

XXII. Silvest. Vetus Auctor (a) Vitæ S. Fulgentii apud Valeſium teſtatur, quòd Ariani non ſolum rebaptizârint Catholicos, ſed etiam Clericos eorum ad ſe venientes iterùm ordinârint. De baptiſmo locus eſt illuſtris, inquit Valeſius, in Breviario fidei adverſus Arianos, quod olim edidit Jacobus Sirmondus: *Dicere enim ſolent de baptiſmo, quod in eo melius ſit ipſorum baptiſmum, quam noſtrum; quia qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, ſed per manûs impoſitionem reconciliamus. Illi verò, ſi quos de noſtris ſeducere poſſunt, inconſideranter rebaptizant.* De ordinatione inſigne exemplum habemus in libello precum Marcellini presbyteri ſub finem: *Hic eſt egregius & ſanctiſſimus ille Epiſcopus, qui cùm fuiſſet primùm à Catholicis Epiſcopis Ordinatus Epiſcopus, poſteà ab impio Georgio in Laicorum numerum redactus, nihilominùs ab ipſo Georgio Epiſcopus ordinatus eſt, in vexatione fidelium.* Et paulò poſt: *Niſi quia atrocius geſſit Theodorus, cùm de Epiſcopo Catholico ſit Laicus, piam damnans fidem, & ſubſcribens Arianæ impietati, ut ab hæretico iterùm Epiſcopus ordinetur.* Idem quoque teſtatur Hieronymus in Chronico, de Cyrillo Hieroſolymitano loquens: *Cyrillus*, inquit, *cùm à maximo fuiſſet presbyter ordinatus, & poſt mortem ejus ità ei ab Acacio Epiſcopo Cæſarienſi & cæteris Arianis Epiſcopatus promitteretur,*

tur, ſi ordinationem Maximi repudiaſſet, Diaconus in Eccleſia miniſtravit. Ob quam impietatem Sacerdotii mercede penſatus, Heraclium, quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat, varia fraude ſolicitans, de Epiſcopo in presbyterum regradavit. In quo Ariani Donatiſtas videntur imitati, qui utrumque factitarunt, inquit laudatus Valeſius.

XXIII. Undè vides quàm callidè perduelles Ariani Nicæno Canoni illuſerint, qui quod contrà eos, abſque Sacramentorum tamen improbatione in Univerſali ac Oecumenico Concilio Nicæno ſancitum erat, illi ſummo cum rigore & impietate mox ſuſque deque miſcentes adversùs Catholicos exequebantur, ſacra videlicet imò ipſa Sacramenta eorum invalidando, prorsùs abrogando, & more ſuo rursùm conferendo. Hoc ipſum exemplum voluit Auctor Vitæ Conſtantini obtrudere; nam quidquid ad ſupradictum Nicænum Canonem retorquendum ſpectat, habes in ejus textu de verbo ad verbum, ubi de fictitio Conſtantini baptiſmo Nicomedienſi diſſerit. Ibi habes piam noſtram ab impiiſſimo Ariano Scriptore fidem damnatam: omnem Catholicorum Communionem & divinorum participationem irriſam: baptiſmatis, pœnitentiæ, & in Paſchatis celebratione Euchariſtiæ Sacramenta repudiata: ipſumque demùm baptiſmatis Sacramentum more Arianorum, mendaciſſimè tamen in Conſtantino, iteratum. Si etenim textum Auctoris obiter cum Nicæno Canone aliiſque iſto Colloquio dictis conferas, animi Auctoris propoſitum liquidò cognoſces, quod videlicet ea, quæ Patres Nicæni *de ratione, & modo recipiendi converſos ad fidem Orthodoxam ex hæreſi Arii ſanxerunt*, Auctor traducat ad Conſtantinum, eumque converſum ad ſectam Arianam ea ratione, & modo receptum, atque per manus impoſitionem iteratumque baptiſmum ab Arianis reconciliatum fingat. Satis ſuperque de his. Credo equidem rem clarè adeò expoſitam, ut nullus dubitandi locus ſuperſit.

Euseb. Ità ſanè eſt. Illud autem dicendum eſſe arbitror, quo datam fidem liberes; cur nempe Ariani tantô

ſtudio Conſtantinum Magnum ſuum facere ambierint?

XXIV. Silvest. Iſtud ſtudium vocat (*a*) Baronius Arianorum Euſebianorumque malam ab ipſis excogitatam artem, quâ uſi ſunt ad ſtabiliendum ſuum ipſorum dogma impietatis, ut, quos ſciſſent etiam antiquitus clariſſimos fuiſſe viros, eoſdem ſuæ ipſorum hæreſis falsò aſtruerent aſſertores; cum tamen conſtaret, eos tanti ſceleris fuiſſe maximè refragatores; nam Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum inſignis cùm pietatis, tùm etiam eruditionis virum, eadem cum ipſis ſenſiſſe, turpiter mentiti ſunt; quem Sanctus Athanaſius ſcitè ab eorum calumniis vindicavit. At ne Origeni quidem pepercerunt; quem hac ex parte Catholicum, in ſuam ipſorum ſententiam, repugnantem licet, adducere conati ſunt, dum quæ aliquando ille diſputando (ut aſſolet) in contrariam partem dixiſſet, illi, ut ab Origene dictum, citiùs arripuêre: ut invitum reluctantemque facerent Arianum; quem (*b*) Athanaſius hæc ipſa ſcribens, ab eorundem calumniis reddit immunem.

(*a*) Ann. 344. n. 13.

(*b*) de Synod. Nicæn. decret. contr. hæreſ. Arian.

XXV. Arius ipſe gloriabatur ſuæ hæreſeos ſe habere Auctorem S. Lucianum Martyrem, cujus ille & Euſebius Nicomedienſis ac alii Antiochiæ Auditores extiterunt; ac proindè Arius ſuæ hæreſis Sectarios, & illi ſe invicem (*c*) *Collucianiſtas*, dicere conſueverunt, ut qui jactarent ſe eſſe diſcipulos Luciani Martyris celeberrimi, mentientes, ea ſe docere, quæ accepiſſent à Luciano.

(*c*) apud Epiph. hæreſ. 43. Theodoret. lib. 1. c. 5.

XXVI. Euseb. Sed ab hæreſeos ſuſpicione liberari vix poteſt Lucianus Martyr, in quem Patres Sanctiſſimi conclamarunt, ut docet (*d*) Pagius in ſua Critica contra Baronium ex S. Alexandro Epiſcopo Alexandrino, ex Theodoreto & Epiphanio, præcipuè ea de cauſa, quod *Lucianus pluribus annis à communione trium Epiſcoporum ſe ſe abjunxit*. Sicque fors non immeritò Epiphanius Lucianum Arianæ hæreſi patrocinatum fuiſſe, & ab Arianis pro Martyre habitum ſcribit.

(*d*) ad An. 311. n. 9.

XXVII. Silvest. Crede mihi, non mentior, meliùs docet Baronius, quàm Pagius. (*e*) Baronius utrumque, tùm

(*e*) Ann. 311. n. 11. ſeqq. & An. 318. n. 75. ſeqq.

quæ

quæ aliquando viri etiam Sancti ſenſerunt contrà Lucianum, tùm quæ famæ ſanctitatis ejus favent, ſedulò pro more ſuo contulit, & Lucianum ab omni hæreſis ſuſpicione purgavit, non item Pagius, qui ideò Luciano ægrè parcit, quòd Pauli Samoſateni doctrinæ gratiâ diu ſeparavit ſe à tribus Epiſcopis Antiochenis, quia Theodoretus diſertè affirmat, Alexandrum veritatem ingenuè protuliſſe, & ut ipſe Pagius cenſet, quia *credibile eſt* illum familiarem fuiſſe Pauli Samoſateni. Cur autem Alexander, atque alii conclamarint in Lucianum, Baronii rationem non addit Pagius, nempe, quòd Lucianus, dum acerrimè Sabellii hæreſim oppugnaret, lineam viſus ſit eſſe tranſgreſſus rectæ ſententiæ, & creditus ſit materiam Ario præparaſſe, quod magis credibile eſt. Quis Bellarminum in hæreſis ſuſpicionem propterea venire poſſe exiſtimet, quòd materias quamplurimas, quibus ille hæreticorum errores confutavit, pertractet, quibus econtrà nunc adverſarii utuntur ad oppugnandum. Idem ſanè accidit S. Luciano quod Origeni; cum enim iſte diſputando multa in contrariam partem dixiſſet & ſcripſiſſet, Ariani, acceptâ ſubitò occaſione, invitum & reluctantem fecerunt Arianum.

Euseb. Intelligo quod dicis. Congruens certè ad S. Lucianum applicatio. Reſtat ne aliud ſimile exemplum?

XXVIII. Silvest. Reſtat de S. Antonino Magno Eremita & Monachorum Patriarcha, qui tempore Conſtantini M. maximâ Sanctitatis famâ claruit in Aegypto, cujùs & aliorum illuſtrium Monachorum tanti facere ſolebat populus de fide Catholica teſtimonium, ut Ariani hoc ſentientes, mentiri non ſint veriti, magnum Antonium eadem de fide ſecum unà ſentire; adeò ut eam ob cauſam ipſi opus fuerit, relictâ intimâ eremi ſolitudine, Alexandriam uſque deſcendere, & de Catholica fide, quam colebat, publicum, ne populus laberetur, ſpecimen edere. Enarrat id ſanè pereleganter S. Athanaſius in vita ipſius, cùm hæc præmittit. (a) *Sic etiam Antonius Arianos deteſtabatur, ut omnibus diceret, nec juxtà eos quidem eſſe accedendum. Nam cum veniſſent quidam Ariani,*

(a) S. Athan. in Vit. S. Anton.

ni, reperit poſt eorum examinationem infideliſſimam Sectam. & fugavit eos de monte, dicens, multò ſerpentibus deteriores horum eſſe ſermones. Mentientibus autem Arianis aliquando, Antonium ità, ut ſe, credere; admiratus eorum audaciam, & juſti doloris irâ commotus, rogatuſque ab Epiſcopis, atque univerſis fratribus, Alexandriam deſcendit: ibique Arianos publico ſermone condemnavit. Ut autem (a) S. Hieronymus teſtatur, fuit B. Antonius ab ipſomet S. Athanaſio Epiſcopo Alexandrino propter confutationem Arianorum in Urbem Alexandrinam accitus, in cujus præſentia, & coram ingenti populi multitudine, quod rursùm idem Athanaſius ſcribit, puellam ab atrociſſimo dæmonio vexatam liberavit, *Accidit etiam*, inquit Athanaſius, *ut cùm eum redeuntem circà portam proſequeremur, à tergo quædam mulier clamaret dicens: Expecta homo Dei, filia mea atrociſſimo vexatur dæmonio: expecta, obſecro, expecta, ne & ego corruens inteream. Hoc audito, mirabilis Senex à nobis admonitus, volens tandem, & ipſe paululum ſubſtitit: cumque appropinquante muliere, puella jaceret exploſa; oravit tacitus Dominum Jeſum, & ad comminationem ejus ſtatim ſpiritus impurus egreſſus eſt: puella incolumis, populus in laudibus Dei, Mater in gaudio fuit; ipſe autem lætabatur, quia ad deſideratam ſolitudinem repedabat.* Subjungit his (b) Baronius hactenùs Athanaſius de Antonii Alexandriæ cùm verbis, tùm ſignis Catholica fide teſtata, occaſione Pauli per communicationem (quod aliter non liceret) pallii cum Athanaſio fidem Catholicam roborantis.

(a) Epiſt. 33. tom. 1.

(b) Ann. 343. n. 8.

Euseb. Quid iſtuc verò eſt? Quis Paulus per communicationem?

XXIX: Silvest. Paulus hic eſt Thebæus Vir miræ Sanctitatis, & omium Eremitarum Protoparens, cujus vitæ exitum S. Hieronymus, ut ipſe in Chronico teſtatur, brevi libello explicuit; in quo legitur, Paulum ſub finem vitæ ab Antonio viſitatum, Antonio, quem anteà non noverat dixiſſe: *Perge, niſi moleſtum eſt: & pallium, quod tibi Athanaſius Epi-*

Epiſcopus, ad involvendum corpuſculum meum defer. . . . . Stupefactus ergò Antonius, quòd de Athanaſio & pallio ejus audierat; quaſi Chriſtum in Paulo videns & in pectore ejus Deum venerans, ultrà reſpondere nihil auſus eſt: ſed cum ſilentio lacrymans, oſculatis ejus oculis manibuſque, ad monaſterium, quod poſteà à Saracenis occupatum eſt, regrediebatur. Hæc S. Hieronymus, & propterea ſubjungit Baronius ea, quæ ſuprà retuli. Plura vero de his antè loquens ait: (a) „ Inter res memorabiles à S. Hieronymo de Paulo conſcriptas, illud contemplor attentiùs, quòd ait, expetiiſſe ab Antonio pallium illi largitum ab Athanaſio, ad ſuum ipſius defuncti corpuſculum involvendum: id enim ab eo non idcircò tantùm factum puto (quod tradit S. Hieronymus) ut ab eo recedendo, mœror ſuæ mortis levaretur: Sed quod qui Prophetico ſpiritu Athanaſium noverat, & (quod leviſſimum videbatur) pallium donatum Antonio intellexerat; de ipſo etiam ſummos illos tot annos exantlatos pro Catholica fide labores, exilia, fugam, ærumnas, innumeraſque alias moleſtias minimè ignoràvit: quamobrem ſic Athanaſii pallium potius quam aliud alterius hominis tegumentum expoſcere ab Antonio viſus eſt, ut eo ſaltem communicationis ſymbolo & propenſionis animi ergà Athanaſium ſignificaret, ſe plurimi facere hominem, quem tot pro fide ſuſcepta certamina illuſtràſſent; ac proinde omnibus innoteſceret, à tanto viro probari fidem, quam Athanaſius tàm acriter ſtrenuèque propugnaret: quod quidem haud videbatur mediocris eſſe momenti ad erigendos titubantium animos, & roborandos illos qui ſolidi in fide perſtarent. Hæc Baronius.

(a) Baron. an. cit. n. 6.

XXX. Sicut igitur Magnus Antonius cum verbis tum ſignis Catholicam fidem Alexandriæ contrà Arianos publicè teſtatus eſt; ità Paulus Sanctiſſimus prophetico ſpiritu eam tacitè in Eremo comprobans per communicationem pallii cum Athanaſio roboravit. Voluit autem Antonius poſt mortem quoque Pauli communicare ei, cujus tunicam

Digitized by Google

cam ex inteſtati bonis ſibi vindicavit, quam in ſportarum modum de palmæ foliis, ipſe ſibi contexuerat. (*a*) *Diebuſque ſolennibus Paſchæ & Pentecoſtes ſemper Pauli tunicâ veſtitus eſt.* Quam eandem cum Paulo communicationem exoptavit Hieronymus, qui in fine ante dicti libelli ſic ait; *Obſecro, quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui ſi Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quàm Regum purpuram cum pœnis ſuis.* En! quæ judicia Sanctorum de Sanctis fuerint, quantumque alter alteri communicare exoptaverit. Paulus cum Athanaſio, Antonius & Hieronymus cum Paulo. Sed ità quoque ſenſit cum illis Conſtantinus Pientiſſimus, qui & filii ejus, (*b*) *crebrò ad ipſum* (Antonium) *quaſi ad Patrem miſſis litteris, obſecrabant, ut reciprocis ſe ſcriptis exhilararet*; ſeque ejus orationibus commendabant. Moriens verò ſenſit cum Athanaſio, cujus, obſtrepente quidem Euſebio Nicomedienſi, (*c*) *curam egit, ut pacificè in Patriam & ad bonam Eccleſiam* (Alexandrinam) deduceretur. Imò abſente Athanaſio (*d*) *illi non perſuaſum eſt ab Euſebianis, ut in Athanaſii locum Epiſcopum, quem illi poſtulabant, ſummitteret: immò eos, qui id moliebantur, compreſſit, & eam rem ipſam conantes gravibus minis deterruit.*

(*a*) S. Hier. in vit. Paul.

(*b*) S. Athan. in Vit. Ant.

(*c*) id S. Athan. Orat. 1. cont. Arian.

(*d*) Athan. Epiſt. ad ſolitar.

Euseb. Quæ modo dixiſti, mihi omnia probantur. Verùm quid ultrà habes, quod opponas?

XXXI. Silvest. Illud quoque ad ea, quæ dicta ſunt, adjiciam; ut tandem mirari deſinas, cur Ariani Conſtantinum in fine vitæ ſuum facere, ac tunc primùm ſecum ſenſiſſe in vulgus ſpargere laborârint. Si etenim illi, ut ipſimet in citata Epiſtola ad Africanos fatentur, Catholicorum nemini pepercerunt, & Magnum Antonium, alioſque magni nominis Viros cum Ario ſentire, turpiter mentiri non ſunt veriti, præcipuè Antonium adhuc inter vivos & haud longè Alexandriâ in Thebaidis ſolitudine exiſtentem, *ità, ut ſe credere*, dixerunt; Cur iidem verſipelles ſimilia quoque de M. Conſtantino (quem nequiſſimus Philoſtorgius Nicænum ἐμεσάτην vocabulum publicis

cis

cis litteris laceraſſe, turpiter mentitus eſt) atque alia hujuſmodi plura fingere erubuiſſent, cùm multò majoris eſſet momenti, tantum Imperatorem, quem viventem neutiquam ad ſuam ſectam allicere poterant, imò nec tentare auſi ſunt, ſaltem defunctum facere Arianum, & ſub fictô Euſebii Pamphili, non contemnendæ auctoritatis ſcriptoris nomine, ſcriptis publicis divulgare, ipſum in morte, ità, ut ſe ſenſiſſe, obiiſſeque in Ariana perfidia. Quod certè aliam ob cauſam ab ipſis excogitatum non eſt, quàm ut hac arte tanti Principis & primi omnium Romanorum Imperatorum Maximi, auctoritate maximâ, ſuam ſectam approbatam & confirmatam venditarent, totumque mundum, quod parùm abſuit, in errorem inducerent.

Sed inventores mendaciorum & ſcriptorem de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi jam ut Canes Scyllæos obduratâ aure tranſeamus; finem quoque huic diſcurſui imponamus, craſtinô die de trecentorum Ariminenſium Patrum teſtimonio, quô dictum baptiſmum ultrò confirmaſti, diſſertaturi; nunc quieſcamus.

COLLOQUIUM XIII.

De exiguo atque mendico trecentorum Patrum Ariminenſium, in unica corruptâ voculâ conſiſtente teſtimonio, pro confirmatione pſeudo-Baptiſmi Conſtantiniani Nicomedienſis adducto.

I. EUSEB. Quod in heſternâ Collocutione de Ariminenſium Patrum teſtimonio propoſuiſti, æquiſſimum eſt, ut exequamur. Verùm cave hîc, ne rationum ponderi ſuccumbas. Tot enim Patrum unanimis conſenſus clariſſimumque teſtimonium in Epiſtola Synodica ad Conſtantium Imperatorem datum, adeò firmum præbent argumentum, ut, cum in eandem quoque ſententiam ex SS. Patribus Ambroſius, Hieronymus & Iſidorus: item SS. Martyres

Digitized by Google

Jovianus & Hercolianus deſcendant, cuncta ſi alia ruerent fundamenta, hoc ſolum ſatis tibi videri deberet ad comprobandam ſententiam, Conſtantinum ſub finem vitæ fuiſſe baptizatum.

SILVEST. Patrum Ariminenſium teſtimonium, de quo in præſentiarum, velim repetas.

II. EUSEB. Auſculta, ſic ſe habet: *Fuit nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, cùm Imperator Conſtantinus, ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omnì curâ & diligentiâ conſcriptam promulgârit, tùm demum, ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem ſibi debitam translatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle.* Hoc illud teſtimonium eſt, quod extat apud S. Athanaſium, libro de Synodis Arimini & Seleuciæ.

III. SILVEST. Nihil inde colligo; res obſcuriſſima mihi videtur. Depravatum namque Epiſtolæ textum inclamant Baronius & ejus Pediſſequi, & in textu S. Athanaſii, loco Conſtantini, *Conſtantem* haberi dicunt.

IV. EUSEB. Eminentiſſimus Auctor non animadvertit in Græco textu legi Κωνσταντῖνον, cùm apud S. Athanaſium, tum apud tres hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores Socratem, Sozomenum, Theodoretum: item apud S. Hilarium in fragmentis, idque in MSS. omnibus Codicibus & excuſis, quos legit, & inter ſe contulit Valeſius, qui & Conſtantinum ubique vertit: licèt in latina S. Athanaſii verſione, Interpretis Nannii aut Typographi oſcitantiâ legatur *Conſtantis* Imperatoris nomen. Et ſanè de Conſtantino M. non de *Conſtante* aut Conſtantino Juniore ſcripſiſſe Patres Ariminenſes, conſtat ex iis quæ eadem in Epiſtola paulò ſuperiùs ſcribunt. Abſque ullo autem diſcrimine legitur in octo Codicibus MSS. ex quibus concinnata eſt Græco-Latina S. Athanaſii editio anni MDC. ſic: *Indecens enim & nefarium aliquid ex rectè & juſtè decretis, & ex rebus Nicææ publicè cum Illuſtriſſimo Principe Conſtantino Patre tuo per accuratam deliberationem conſtitutis, aliquid immutare velle.* Deinde iterum: *Cùm ſciamus etiam*

Con-

Digitized by Google

Conſtantinum, poſt mortem quoque memoria dignum, conſcriptam cum omni diligentia deliberationeque fidem expoſuiſſe, atque adeò abſurdum fore, poſtquam ille migraturus baptizatus eſt, & ad debitam ſibi requiem translatus, aliquid novi in ea fide moliri velle.

V. Hæccine, inquies Silveſtrine! ſic apud Athanaſium? quis ergò vel ipſo judice Baronio, non intelligat cauſam Euſebio, ſeu Auctori de vita Conſtantini adjudicandam, nec ullum reliquum eſſe defenſioni locum? Hæc tamen, ut dixi, Athanaſius in octo Græcis MSS. quorum tria nec alia habuit Interpres Nannius in ſua Latina editione anni MDCLXIV. Sed is, neſcio, qua ſocordia prolapſus, ſecundo loco *Conſtantem* nominavit pro Conſtantino; fortaſſe ſuſpicatus efficacius fore, ſi poſt Patris exemplum Conſtantio proponeretur etiam exemplum fratris, licet junioris; neque conſiderans huic parum congruere verba Synodi, qui violenta morte ſublatus fuit, & fortaſſis diu ante baptizatus. Interim Baronio ignoſcendum, quod objectæ ex Ariminenſi illa Epiſtola auctoritati, aliàs ut fatetur peremptoriè, congruam ex Athanaſio reſponſionem nactum ſe eſſe crediderit Nannio, Græcæ ipſemet imperitus Linguæ, fortaſſis etiam nec exemplaria Græca ad manum habens, quæ alteri legere ſcienti exhiberet.

VI. Silvest. Mittamus hanc juſtò acerbiorem in Baronium cenſuram. De reliquo tantum ab eſt, ut verba hæc lucis aliquid afferant, ut potiùs rem ſpiſſioribus tenebris involvant; cùm ultima Epiſtolæ verba parum cohæreant cum præcedentibus; etenim nonnulla immixta ſunt de *Urſacio* & *Valente*, ac etiam de Concilio Mediolanenſi, quæ totum ſenſum interturbant & alia ab aliis ſeparant. Dic pluribus apertè, quis eſt integer Epiſtolæ hujus ſenſus? non verba, ſed verborum ſenſum exponas velim.

VII. Euseb. Quæ interjacent de Urſacio & Valente & de Concilio Mediolanenſi in Epiſtola PP. Ariminenſium ab his verbis: *Ideò Urſacius & Valens*, uſque ad iſta excluſivè: *Conſtantino præſente in hoc*, per parentheſim intelligenda ſunt,

Digitized by Google

vel certè tranſpoſita meritò poſſunt videri, vel caſu, vel induſtriâ: quia nimirum incidens de Valente & Urſacio mentio priorem de Nicæna Synodo ſermonem interturbavit: qui poſt unam periodum reſumptus eſt. Id legenti illam Epiſtolam perſpicuum erit: *Nefas enim duximus rectè & juſtè ſancitorum aliquid mutilare, & eorum, qui in Nicæno tractatu conſederant unà cumglorioſæ memoriæ Conſtantino Patre Pietatis tuæ. Qui tractatus manifeſtatus eſt, & inſinuatus mentibus populorum, & contrà hæreſim Arianam tunc oppoſitus invenitur, ut non ſolùm ipſa, ſed etiam reliquæ hæreſes inde ſint expugnatæ. A quo ſi aliquid demptum fuerit, venenis hæreticorum aditus panditur.* Poſt hæc Patres Valentis & Urſacii incidenter meminerunt. *Ideò*, inquiunt, *Urſacius & Valens in ſuſpicionem ejuſdem hæreſeos venerunt aliquando, & ſuſpenſi erant à communione, & rogaverunt veniam, ſicut eorum continent ſcripta: quam meruerunt tunc temporis à Concilio Mediolanenſi, adſiſtentibus etiam legatis Romanæ Eccleſiæ.* His interjectis, reſumitur ſermo interruptus de Nicæna Synodo: *Conſtantino præſente in hoc*, Nicæno ſcilicet tractatu (ut clariùs exprimit Sozomenus) *cum magno examine fuiſſet conſcriptum, quod recens baptizatus, ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare, & tot ſanctos & Confeſſores, & ſucceſſores martyrum ipſius tractatus* (Nicæni) *conſcriptores in aliquo removere; cum & ipſi præteritorum Catholicæ Eccleſiæ ſcriptorum cuncta ſervaverint: manſitque uſque in hæc tempora, quibus pietas tua à Deo Patre per Deum & Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum poteſtatem regendi orbis accepit.* Poſthæc ſi adjuncta eſſent, quæ de Valente & Urſacio intertexta ſunt, magis eſſet connexa, & melius flueret oratio, ut ſplendeſcit ex iis quæ ſequuntur: *Verùm miſeri homines* (Urſacius nimirum & Valens) *& infelici ſenſu prędicti, iterùm auſu temerario ſe pręcones impię doctrinę renunciarunt: & tunc etiam conventus convellere, quod fuerat poſitum ratione &c.* Hanc tranſpoſitionem odoratus eſt Vir eruditus Henricus Valeſius, *In annotationibus* ad Socratem. Hunc itaque locum de Conſtantino

tino M. intelligendum eſſe palàm eſt. Adeòque cùm PP. Ariminenſes ejus baptiſmum & commigrationem ad quietem Dei nullo intervallo ſejungant, locupletiſſimum teſtimonium præbent de baptiſmo paulò ante mortem ab Imperatore ſuſcepto.

VIII. Silvest. Num hic genuinus verborum ſenſus Epiſtolæ PP. Ariminenſium, & alia hujus loci de Conſtantino M. alia verò per parentheſim intelligenda ſint, adhuc dubito. Quod verò idem locus locupletiſſimum teſtimonium præbeat de baptiſmo Conſtantini, ea ratione, quod expediens tua dici poſſit aut debeat explicatio, prorsùs inficior. Non enim omnes, qui aliàs quidem in hac quæſtione tecum ſentiunt, in hoc conveniunt, & ex tàm obſcuro & intricato loco, rem ità luculentam ſtatuunt. Valeſius non dicit, aliqua per parentheſim eſſe intelligenda, ſed ſuſpicatur duntaxat inquiens: „ (*a*) Hæc non ſatis cohærent cum ſuperioribus. Suſpicor itaque hunc locum tranſpoſitum fuiſſe à latinis exemplaribus. Poſt hæc igitur verba: *venenis hæreticorum aditus panditur*, collocanda eſſe exiſtimo ea, quæ inferiùs leguntur hoc modo: *Conſtantino præſente in hoc cum magno examine fuiſſet conſcriptum &c.* uſque ad illa *poteſtatem regendi orbis accepit*. Quibus ſubjungenda ſunt illa: *Ideo Urſacius & Valens*, &c. Sic Valeſius.

(*a*) Valeſ. in annot. ad Socrat. lib. 2. c. 37 p. 33.

IX. Quid autem idem laudatus Valeſius de integra Epiſtola cenſeat, percipe: (*b*) Hæc Epiſtola, inquit, Ariminenſis Concilii extat latinè apud Hilarium inter fragmenta libri de Synodis; unde nos verſionis loco eam hîc adſcripſimus. Nemini porrò mirum videri debet, quod Græca interpolatio à latino exemplari tantoperè diſcrepet. Ità enim à Græcis interpretibus fieri ſolet, quoties Latina in Græcum ſermonem convertunt, quemadmodum perſpici poteſt ex Epiſtolis Imperatorum, quæ in Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica leguntur. Sed cur aliundè exempla repetimus, quorum ex hac Epiſtola: in qua tot ferè menda interpretis occurrunt, quot periodi. Hæc Valeſius interpres, quem ſequeris. Sed quomodo, obſecro te Euſebiane! quomodo

(*b*) Valeſ. ibid. loc. cit.

hæc

hæc adeò mendoſa Epiſtola locupletiſſimum tibi teſtimonium præbere poteſt de baptiſmo Conſtantini paulò ante mortem ſuſcepto? quo tandem modo mihi perſuadebis, ut credam, quòd, cùm in dicta Epiſtola tot integræ periodi vitioſæ & tranſpoſitæ reperiantur, bina tantummodò hæc vocabula *Conſtantinus* & *Conſtans* nunquam in exemplaribus per deſcribentium incuriam, vel etiam datâ operâ fuerint falsò ſcripta aut vitiata, ſed prout in octo MSS. ac ferè etiam in omnibus editionibus *Conſtantinus* legitur, ità quoque & non aliter certiſſimè *Conſtantinum* eſſe intelligendum?

X. Ut ut ſe res habeat cum periodorum tranſpoſitione, Græca tamen exempla, inquiunt notatores Congregationis S. Mauri in Hilarii fragmentum VIII. etſi ab hoc Latino (Ariminenſis Epiſtolæ) in multis diſcrepantia, ea, quæ de Urſacio & Valente narrantur, non alio loco exhibent. Unde autem laudati Notatores probent, voces *Conſtantino præſente*, antea cum præcedentibus copulatas fuiſſe, mihi res eſt prorsùs incognita. Hoc ſolum perſpectum habeo, quod in antiquioribus hujus Epiſtolæ editionibus apud S. Athanaſium, Nannio interprete: & Socratem, Sozomenum & Theodoretum, Criſtophorſono interprete; non legatur *Conſtantino præſente in hoc*, prout Valeſius in Socrate: & Monachi Congregationis S. Mauri in Athanaſio ex Hilarii Latino exemplari ſuppleverunt; cùm tamen iſta verba, apud (a) Caſſiodorum non legantur, & Hilarii quoque fragmentum mendis ſcateat. (b) *Hanc Epiſtolam*, inquit Petavius, *latinè conceptam retulit Hilarius in fragmentis: ſed conciſam, & omiſſis plurimis, quæ in Græco ſunt, mutilam*. Paulò poſt: *Quod autem Conſtantino præſente facta eſſe apud eundem Hilarium legitur, id in Græco non extat: neque de Conſtantino M. verum eſt, uti neque de ejus filio Juniore Conſtantino, ut ex illius Synodi tempore paullò poſt evidens fiet. De Conſtante itaque loquuntur; cujus juſſu, utpote Catholici Principis, coacta videtur illa Synodus*, (Mediolanenſis, de qua PP. Ariminenſes in laudata Epiſtola memorant.) *Quod ſi verum eſt, tum ſanè reliqua, quibus ejus mortis, & baptiſ-*

(a) Tripart. lib. 5. c. 21.

(b) Petav. Diſſert. 1. Tom. 2. Concil. Labb. cap. 1. p. 730. edit. Paris.

mi

mi meminerunt, ad Conſtantem; non ad Conſtantinum pertinebunt. Sed ea res alterius eſt diſputationis ac loci. Hæc Petavius.

XI. Hunc locum autem, cùm noſtrarum partium ſit, dilucidare, videndum nobis eſt! Euſebiane, num Petavius de eo rectè ſenſerit, & Baronius quoque cum Binio & aliis ſuis pediſſequis apud S. Athanaſium, Nannio interprete, pro Conſtantino *Conſtante*, in quâ unica duntaxat voce tui argumenti tota vis pendet, benè aut malè legerit? Quod, ut nobis magis perſpicuum fiat, priorem hujus Epiſtolæ partem non mutilam, ſed integram oportet recitare, & tum demum videbimus, quis verior Epiſtolæ ſenſus, & quæ verborum ejus ſignificatio. Ecce tibi contextum totius Epiſtolæ, præfixo hoc in fronte titulo.

(a) Exemplar Epiſtolæ Synodalis ad Auguſtum Conſtantium.

(a) apud S. Athan. Interpret. Petr. Nann. edit. Pariſ. apud Sebaſt. Nivellium 1581. p. 319.

Dei Juſſu, tuoque pio Edicto olim dogmatibus tradita ità eſſe, ut tradita ſunt credimus. Nam Ariminum eſt omnibus ad Occidentem Civitatibus in unum convenimus, ut fides Catholicæ Eccleſiæ cognoſceretur, & qui alterius opinionis eſſent, manifeſti fierent, ibique poſt longam deliberationem optima viſâ eſt ea fides, quę hactenùs uſque à priſcis temporibus perduravit, quam & Prophetę, & Evangelia, & Apoſtoli per Dominum noſtrùm Jeſum Chriſtum prędicárunt, qui eſt tui Imperii cuſtos, & tuę valetudinis defenſor. Statutum igitur ut eam retinentes coleremus, & colentes uſque ad finem conſervaremus. Indecens enim & nefarium aliquid ex rectè & juſtè decretis, & ex rebus Nicęæ publicè cum Illuſtriſſimo Principe Conſtantino Patre tuo per accuratam deliberationem conſtitutis immutare velle, in quibus tanta doctrina eſt & prudentia, ut ea ubique deprędicata ad omnium aures animoſque pervenerit, quę ſola hoſtis & interfectrix Arianę hęreſcos, & per quam non illa ſola, ſed & reliquę hęreſes ſublatę ſunt, in qua certè & addere aliquid temerarium eſt, & auferre periculoſum. Quorum ſi alterutrum fiat, erit hoſtibus quidlibet agendi libera

bera

bera facultas. Atque ea de cauſa Urſatius & Valens jam pridem focii & adſtipulatores Ariani dogmatis, à noſtra communione, ſententia data, ſegregati fuere, quàm ut denuò recuperarent, de peccatis ſuis in quibus ſe conſcios agnoſcebant, pœnitentiam veniamque poſtularunt, ut eorum Syngraphę teſtantur, & ob id illis venia gratiaque delictorum facta eſt: hæc autem per id temporis facta ſunt, quum Mediolani Synodus in Conſeſſum ibat, præſentibus ibidem Romanæ Eccleſiæ Presbyteris, fuitque proinde nobis perſuaſiſſimum, iniquum eſſe, quum Imperator Conſtans ab obitu ſuo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia conſcriptam promulgarit, tum demum ex quo ille baptizatus (id eſt, ut interpres Nannius in margine hîc addit: Conſtans Imperator ad vitæ finem baptizatus) *ex hominibus, in requiem ſibi debitam tranſlatus eſt, aliquid novi in ea fide moliri velle, & tot Sanctos Confeſſores, martyres hujus placiti ſcriptores authoreſque contemnere, qui pro veteri lege rituque Eccleſiæ in ea ſententia permanſere.* Sic apud S. Athanaſium in latina verſione Nannio interprete legitur, & Baronius legit. In altera ejuſdem interpretis Græco-Latina editione Commeliniana de An. MDCI. rursùm in latino habetur: *Imperator* CONSTANS *ab obitu ſuo dignus &c.* in Græco verò Κωνςαντῖος. In tertia ejuſdem Nannii Pariſienſi editione MDCXXVII legitur tam in Latino: *Imperator Conſtantinus ab obitu ſuo dignus &c.* quàm in Græco: Κωνςαντῖνος. Quid de his nunc cenſes Euſebiane?

XII. Euseb. Dixi jam Nannium Socordiâ prolapſum & pro Conſtantino *Conſtantem* nominaſſe. Nam ut omnes aliæ editiones & Octo M. Ss. Codices habent, nonniſi in utroque loco *Conſtantinus* legi debet.

XIII. Silvest. Socordem dicere non poſſumus Nannium, qui quod legit, vertit, quique ſuam attentionem clarè demonſtrat, dum in voces *Conſtans baptizatus*, notate *Conſtans Imperator ad Vitæ finem baptizatus*. Si vero, ut prætendis, in utroque loco *Conſtantinus* legi debet, tunc ſermo in-

interturbatur, & quæ de Urſacio & Valente interjacent vel tranſpoſita ipſe cenſes, vel per ſatis longam & ridiculam parentheſim intelligenda eſſe fateris.

XIV. Euseb. Ità eſt; ſed hoc nihil impedit; nam ſi, quæ de Valente & Urſacio intertexta ſunt, prioribus adjuncta eſſent, magis quidem eſſet connexa, & melius flueret Oratio, ſed cùm ea vel caſu, vel induſtriâ tranſpoſita meritò poſſint videri, locus nonniſi de Conſtantino intelligendus eſt.

XV. Silvest. Quæro autem, cur non meliùs fluat, & non magis ſit connexa oratio, ſi ſuprà & infrà *Conſtantinus* legatur? Dico ego, quod ideò non fluat, quia ſecundo loco unica vox *Conſtantinus* vitioſè ſcripta totum ſermonem turbat, & quæ connexa ſunt, violenter reſcindit. Et quomodo his obſtantibus ex non connexo ſermone liquidiſſimum nectere poteris argumentum, exque non benè fluente Oratione tibi fluet teſtimonium, Conſtantinum noſtrum, trecentorum Patrum ſuffragiô, ſub finem vitæ fuiſſe baptizatum? Non diffiteor, Epiſtolam quoque apud S. Athanaſium fors non eſſe ſine omni mendo, ſed ſi unum illumque maximum errorem, juxtà Nannii primam latinam editionem, emendaveris, primoque loco *Conſtantinum* legas, & Patrem in Concilio Nicæno præſentem intelligas: Secundo verò loco *Conſtantem* legas, & filium ad Concilia Mediolanenſe & Sardicenſe cooperantem admittas, ſermo optimè fluet, nec opus erit contendere, alia eſſe tranſpoſita, & rurſum alia per parentheſim eſſe intelligenda.

XVI. Euseb. Somniârunt aliqui, ad Concilium Mediolanenſe referri fidem illam, cujus de conſcriptione loquitur Patrum Ariminenſium Epiſtola; ac proinde Imperatorem, quo præſente conſcripta dicitur, & qui poſt baptiſmum ad quietem Dei commigravit, non fuiſſe Conſtantinum, ſed Conſtantem. Verùm neque Concilio Mediolanenſi Catholicorum An. Chr. 347. celebrato, Conſtantem interfuiſſe legimus; & quamvis interfuiſſet, laudata PP. Ariminenſium verba referri ad ipſum non poſſent.

Digitized by Google

Silvest. Cur ad Conſtantem verba illa referri non poſſent?

XVII. Euseb. Imbecille namque fuiſſet argumentum ab exemplo Conſtantis petitum, ad ſuadendum Conſtantio, ut nihil in fide innovari pateretur; *Conſtans* enim frater erat Conſtantii natu minor, quem reveritus nunquam fuerat, imò à quo ſemper, tum ob religionem, tum ob Imperii negotia diſſenſerat. Quid igitur ſperare potuiſſent ſe à Conſtantio impetraturos Patres Ariminenſes, ſcribendo abſurdum eſſe aliquid innovare in fide, quæ ſub juniore ejus fratre conſtituta fuerat? Certè Sardicenſi, & Mediolanenſi Conciliis, ſub Conſtantis patrocinio celebratis, Philoppolitanum & Antiochenum, ſua Auctoritate convocata & peracta, opponere Conſtantius potuiſſet. Et aliundè tantum abeſt, ut abſurdum & iniquum videatur fratrem natu majorem aſſenſum non præbere iis, quæ à fratre juniore approbata ſunt: ut potiùs majoribus minorum improbare conſilia, & eos imprudentiæ arguere ſolemne ſit. Quamobrem S. Athanaſius Conſtantio nuſquam exprobrat junioris fratris contemptum, aut ejus exemplum ipſi proponit; ſed religionem & fidem Patris, Nicænique Concilii decreta ipſi ſtatuit ob oculos, ut conſtat ex Epiſtola ipſius *ad ſolitarios*, & ex (a) Theodoreto. Denique cùm octavus tantum annus à nece Conſtantis numeraretur Ariminenſis tempore Concilii, & quod ſub eo conſtitutum fuerat, adhuc recens eſſet; quomodo ad ipſum referri hæc laudatæ Epiſtolæ verba poſſunt? Et quomodo ea, quæ hac in Epiſtola de baptiſmo in fine vitæ collato dicuntur, congruere poſſunt Conſtanti, qui violenta morte ſublatus eſt, & fortaſſis diu ante fuerit baptizatus?

(a) Hiſt. lib. 2. c. 5.

XVIII. Silvest. Multum mihi faceſſis negotii, tot argumenta opponendo. Morare tantiſper, dum ſingulis reſpondeam. Non ſomniârunt, ſed verum dixerunt illi, qui fidem illam, (de cujus facta Niceæ conſcriptione, in Sardicenſi quoque & Mediolanenſi Synodis confirmatione, & iterata per Conſtantem Imperatorem promulgatione loquitur PP. Ariminenſium Epiſtola,) referunt ad Concilium Mediolanenſe II.

quod

quod brevi tempore poſt Sardicenſe celebratum eſt ſub Conſtante; ut ex dicendis clarius patebit.

XIX. An. 347. celebrata eſt Synodus Oecumenica Sardicenſis (*a*) propter improbam iterùm Euſebianorum audaciam, quâ in Eccleſiis perturbandis, inſidiiſque tendendis uſi ſunt; quod cùm reſcitum eſſet ab Imperatoribus Conſtantio & Conſtante, juſſi ſunt Epiſcopi Orientis & Occidentis Sardicam convenire. Paulò ante hujus Concilii indictionem, (*b*) agebat Conſtans Imperator Catholicus Mediolani, quem Româ digreſſus S. Athanaſius accedens de factionis Arianæ inſidiis conqueri, bellum contrà fidem Apoſtolicam excitatum lamentari: Et tum Patris, tum Magni Nicæni Concilii, quod ille convocaverat exempla eidem in memoriam reducere cœpit: decreta quoque Patrum, quibuſcum ipſe interfuerat, ab eo lege confirmata propoſuit. Talia cum gemitu & lacrymis apud Conſtantem Imperatorem elocutus, eum ad Patrem æmulandum excitavit. (*c*) *Nam ſimul atque iſta audivit*, inquit Theodoretus, *litteras ſcripſit ad fratrem* (Conſtantium) *quibus eum hortabatur, uti hæreditatem pietatis paternæ integram inviolatamque ſervaret*. Quibus litteris perſuaſus Conſtantius, mandatum dedit, ut Epiſcopi Sardicam, quæ eſt in Illyria Urbs Daciæ primaria, adventarent (*d*) *Miſſæ igitur*, ait ipſe S. Athanaſius, *litteræ à Conſtante ad fratrem ſuum Conſtantium, ibique de amborum ſententia placuit ut Synodus celebraretur*. (*e*) Conſtans interea Mediolanô in Gallias concedens, Athanaſium eò vocavit, ut indè cum Patre Oſio ad Sardicenſe Concilium proficiſceretur; quod & factum eſt.

(*a*) S. Athan. Apolog. 2.

(*b*) S. Athanaſ. Apolog. ad Conſt.

(*c*) Theodoret. lib. 2. cap. 5. p. 629.

(*d*) id. S. Athanaſ. Epiſt. ad Solitar.

(*e*) id. Apolog. ad Conſt.

XX. In hoc Concilio Athanaſius, Marcellus, Aſclepas, aliique Antiſtites Catholici ab Arianis abdicati Sedes ſuas recuperarunt, expulſis Arianis Epiſcopis eorum Eccleſiarum invaſoribus. Quin etiam aliquot Ariani Præſules ex his, qui Philopopolim ſecedentes, tempore hujus Oecumenici Sardicenſis Concilii Conventiculum, quod illi æquè Concilium Sardicenſe vocârunt, habuerunt, juridicè citati, & coram adeſſe recuſantes damnati ſunt, ſuiſque Sedibus dejecti. Nullum

Digitized by Google

fidei Symbolum ediderunt Patres Sardicenſes, *quamvis enim,* inquit (*a*) S. Athanaſius, *certi homines nonnulla, quaſi quæ deeſſent Nicæno Concilio, adſcribere vellent, idque acriter contenderent, Sancta tamen Synodus, quæ Sardicæ convenit, indignè id tulit, decretoque ſancivit, ne quid ulterius de fide ſcriberetur; & ſe ſe contentos eſſe Nicæna fide declarârunt, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur; neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei; ne illa, quæ Niceæ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur: neve illis, quibus libido eſt, ſemper nova ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterùm, atque iterùm de fide definiant.* Nihil ergò de novo circa fidei formulam conſcripſerunt, ſed conſcriptam in Nicæna Synodo fidem confirmarunt, & nonnullos ſolùm Canones, ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes, quorum Græci viginti, Latini verò 21. numerant, ediderunt.

(*a*) Epiſt. ad Antiochen.

XXI. (*b*) Damnatos inter Epiſcopos Arianos fuerunt *Urſacius* Singidunenſis Myſiæ & *Valens* Murſi in Pannonia Epiſcopi, quorum Patres Ariminenſes in ſua Epiſtola ad Conſtantium meminerunt. Paulò poſt Concilium Sardicenſe eodem anno, juxta Cl. (*c*) Pagium, celebrata eſt ſecunda *Synodus Mediolanenſis* conflata ex Epiſcopis Catholicis, in qua damnatus *Photinus*, *Urſacius* verò, ac *Valens* pœnitentes & hæreſim Arianam anathematizantes in communionem recepti ut rurſùm PP. Ariminenſes memorant, & (*d*) S. Athanaſius teſtatur. Rei eventum breviter enarrat laudatus (*e*) Pagius his verbis: „ Duo, inquit, iſti adoleſcentes (Urſacius & „ Valens) imperiti, ut loquitur Concilium Sardicenſe, degebant in Occidentis Imperio, ſub Principatu Conſtantis „ Principis. Occidentalium Epiſcoporum ſententiâ dejecti „ erant, non ſolùm à communione Eccleſiæ, ſed etiam à „ ſedibus ſuis. Relatio Synodi ad Conſtantem facta fuerat, „ ut executioni mandanda curaret, quæ decreta fuerant Sardicæ. Quid agerent *Urſacius* & *Valens*, ut periculo Sedium „ amittendarum defungerentur, quàm ut ſtatim reſtitui in

(*b*) Vid. S. Athan. Epiſt. ad Solitar.

(*c*) Crit. ann. 347. n. 7.

(*d*) ad Solitar.

(*e*) ib. an. 347. n. 9.

„ com-

„ communionem poſtularent, depoſitâ hæreſi? Id veró conſequi non poterant alibi, quàm in numeroſa Epiſcoporum Synodo, ex præſcripto Canonum. Ideoque Synodi Mediolanenſis opportunitatem nacti, libello ſuo Arianam hæreſim abjurant; Ariumque & ejus Satellites anathematizant, ut ipſimet fatentur in libello, quem deinde obtulerunt Julio. Synodus eis pacem Eccleſiæ indulſit, & ſententiæ adversùs eos in Sardicenſi Concilio latæ gratiam fecit, ut docet Epiſtola Synodica Concilii Ariminenſis. Hæc Pagius.

XXII. Conſtans Imperator non interfuit Synodo Mediolanenſi, quia, ut docet (*a*) Chronologia Codicis Theodoſiani, Conſtans, tempore ejus celebrationis egit in Gallia, & S. Athanaſius teſtatur ſe ab Imperatore in Gallias evocatum, & indè cum Patre Oſio ad Concilium Sardicenſe profectum; cui mox Mediolanenſe ſucceſſit. Licèt autem Synodi hujus Mediolanenſis acta memoriâ interciderint, tamen certum eſſe debet, quod ſæpè dicta Synodus Mediolanenſis, nonniſi Julii Papæ & ſolius Conſtantis Imperatoris Catholici Auctoritate, zelô & induſtriâ, ab Orthodoxis Epiſcopis fuerit celebrata. Patet id ex eo, quòd ea Mediolani in Urbe Regia, quam, ut rursùs laudata Chronologia Theodoſiani Codicis docet, Conſtans Imperator incolere ſolebat, fuerit habita, ubi in numeroſiori Epiſcoporum Conventu ea, quæ Sardicæ decreta ſunt, Conſtantis Auctoritate executioni mandarentur. Quibus nonnihil luminis adferunt Pagii animadverſiones, ubi hæc habet: (*b*) „ Hæc Synodus (Mediolanenſis) habita, inquit, ut in *Photini* cauſam inquireretur, quemadmodum diſertè docet Hilarius in fragmento de Synodis. Numeroſiorem eſſe Synodum oportebat, cùm de ſtatu Metropolitani Epiſcopi, & de cauſa fidei ageretur. Itaque & Italicæ Diœceſis, cujus caput erat Mediolanum, & Illyricianæ, ex qua erat Photinus, & Urbicariæ ſeu Romanæ Diœceſeos affuiſſe Epiſcopos non eſt dubium; cum Eccleſiæ Romanæ legatos huic Synodo Mediolanenſi aſtitiſſe teſtetur Hilarius, „ & ce-

(*a*) apud Gotofred. an. 347.

(*b*) Pag. Crit. an. 347. n. 7.

„ & celebratam fuiſſe præſentibus Romanæ Eccleſiæ Preſ-
„ byteris doceat Epiſtola Concilii Ariminenſis. Hactenùs prælaudatus Pagius.

XXIII. Annò poſtmodum Chr. 350. tertiô poſt celebratum Concilium Mediolanenſe, Religioſiſſimus Imperator Conſtans occiſus eſt in Galliis à Magnentio; ac demum annô deinde nonô ideſt Chr. 359. celebrata eſt Synodus Ariminenſis, cujus Patres ad occiſi Conſtantis Imperatoris fratrem Conſtantium Arianorum fautorem miſerunt illam Epiſtolam, in qua, dum in Magni Conſtantini Patris, Filiorumque Conſtantis, & Conſtantii mentionem inciderunt, Patris operam in Nicæno Concilio adhibitam laudant; mox poſt recitata in Synodo Mediolanenſi acta de Urſacio & Valente, mentionem quoque faciunt *Conſtantis* Imperatoris filii Magni Conſtantini, non minùs ac Patris in Nicæno: atque etiam à filio præſtitam in Mediolanenſi Concilio induſtriam, & utriuſque Principis Catholici inſigne exemplum Conſtantio ſuperſtiti, ac in devia cum Arianis declinanti, imitandum propoſuerunt; adhortantes eum & obſecrantes, ut, quemadmodum coram Religioſiſſimo ſuo Patre Conſtantino M. fides Catholica in Nicæna Synodo accuratè conſcripta fuerat, ac eam quoque *Conſtans* perquiri explorarique diligenter elaboraverat, & nihil in ea novari permiſerat, ut volebant Ariani; ità quoque Conſtantius ipſe, Patris ac fratris exemplum ſequeretur, nihilque, quod planè abſurdum videretur, in fide innovari pateretur. Quapropter in Patrum Ariminenſium Epiſtola, ubi ſecundo loco legitur *Conſtantinus*, error eſt, & ineptè refertur ad Conſtantinum Magnum id, quod laudati Patres tantùm de ejus filio *Conſtante* intelligi volunt, & eò referri.

XXIV. Euseb. Non poteſt referri hoc ad Conſtantem; Dicit namque Valeſius ex Hilario CONSTANTINO *præſente in hoc cum magno examine fuiſſet conſcriptum*, ergò de Conſtantino, & non de *Conſtante* loquuntur Patres.

XXV. Silvest. Petavius, ut præmiſi, dicit Epiſtolam apud

Digitized by Google

apud Hilarium eſſe conciſam & mutilam; & *Conſtantino præſente* non legi in Græco; quod verum eſt. Pagius quoque, qui quidem quoad rem tecum ſentit, quoad hanc tamen Epiſtolam longiſſimè à te recedit. Refert enim ille ad *Conſtantem*, quæ potiſſimùm in Concilio Mediolanenſi acta ſunt, & Patres Ariminenſes ſecundo loco de Urſacio & Valente memorant, inquiens: (a) *Relatio Synodi ad Conſtantem facta fuerat, ut executioni mandanda curaret, quæ decreta fuerant Sardicæ*, quod ſic intellige, ut nimirum Conſtans Imperator Urſacium & Valentem, ſub ſuo Imperio in Myſia & Pannonia degentes, in Sardicenſi Synodo damnatos, ſedibus ſuis ejiciat, atque Patrum ob hoc Decretum, & confirmatam in eadem Synodo Nicænam fidem, coram Patre conſcriptam ſua quoque auctoritate confirmet, promulgarique faciat; prout etiam fecerit, quia propterea eum Patres Ariminenſes dignis laudibus extulerunt. De Urſacio verò & Valente haud quidpiam executioni dederit, cùm ambo pœnitentes veniamque rogantes, eam à Patribus Mediolanenſibus & Julio Papa impetrârint.

(a) Pag. Crit. loc. cit.

XXVI. Neque Pagius admittit tuam cum Valeſio lectionem ex Hilario, adeò exactam, ut tu quidem exiſtimas. Recitans enim periodum Epiſtolæ: *Hæc autem per id temporis facta ſunt, cùm Mediolani Synodus in conſeſſum ibat, præſentibus ibidem Romanæ Eccleſiæ Presbyteris*. Subjungit:
,, (b) Præſentibus, inquam, Romanæ Eccleſiæ legatis, non
,, autem Conſtantino præſente, ut ſe habet lectio Epiſtolæ
,, Concilii Ariminenſis apud Hilarium, quæ laborat inter-
,, punctione. Itaque ſenſus reſtituetur, inquit Petrus de
,, Marca, ut idem cum eadem Epiſtola ab Athanaſio & So-
,, crate relata ſignificet, ſi interpunctio ponatur poſt hæc
,, verba: *Eccleſiæ Romanæ. Conſtantino præſente in hoc,*
cum magno examine fuiſſet conſcriptum, quod tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde ali-
,, *quid mutilare*. In hoc, ideſt, in Nicæno tractatu, cujus
,, meminit ſuperiùs. Hæc Pagius.

(b) id. Pag. an. 347. n. 7.

XXVII.

XXVII. Euseb. Vides Silveſtrine! quòd etiam Pagius cum Marca *Conſtantino præſente in hoc* legat, ſenſumque reſtituat; nequaquam verò locum hunc de Conſtante, ſed de *Conſtantino* intelligat.

XXVIII. Silvest. Num proximè ad veritatem acceſſerit, non eſt, quod hîc contendam; ipſe ſiquidem vides, Pagium etiam in Latino Hilarii exemplari corrigendo, ſenſuque cum Marca reſtituendo laborare. Non Conſtantinum, ſed *Conſtantem* alibi idem Pagius intelligit hoc loco, ubi, ut ante inſinuavi, ait, quòd *Relatio Synodi ad Conſtantem facta fuerat, ut executioni mandanda curaret, quæ Decreta fuerant Sardicæ*. Sed ubi fuit illa relatio ad *Conſtantem* facta, atque decreta Sardicenſia executioni data? Certè non alibi niſi in Urbe Regia Mediolanenſi, quò Julius Papa & Conſtans Imperator Epiſcopos Italiæ & Illyrici ad Concilium evocaverant, in quo auctoritate Conſtantis ea acta fuerunt, quæ Patres Ariminenſes ſecundò locò in ſua Epiſtola laudant. Quare prætenſa Pagii interpunctio Epiſtolæ vim infert, ſenſumque turbat. Quid *Conſtantino præſente in hoc?* quod in Græco nuſpiam legitur, ut Petavius teſtatur, ſed pridem apud Hilarium interpolatum eſſe neceſſe eſt, quô ea confunduntur, quæ de *præſentibus ibidem Romanæ Eccleſiæ Presbyteris* Epiſtola refert. Nec Conſtantinus nec Conſtans Mediolani præſens fuit. Neque Pagii explicatio locum habet, *in hoc, ideſt in Niceno tractatu, cujus meminit ſuperiùs*. Nam ut ex ipſa Epiſtola ſatis clarè patet, loquitur ea ſuperiùs tantùm de Nicæni tractatûs Actis, præſente Conſtantino Magno: inferiùs autem tantum de Actis Synodi Mediolanenſis, curante Imperatore Conſtante, præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris.

XXIX. Haud tamen immeritò laudatus Pagius Epiſtolam apud Hilarium latinè ſcriptam culpat, quippe neque (*a*) Cl. Natali Alexandro probatur, qui locum *Conſtantino præſente in hoc*, illuſtrat & ſupplet ex Sozomeno. (*b*) Nec doctiſſimus Papebrochius Hilarii lectionem curat, qui ex Octo

(*a*) hiſt. Eccl. Sec. 4. diſſert. 23.

(*b*) Act. SS. Tom. V. Maji in Vit. S. Conſtant. c. 2. n. 12.

MSS.

MSS. Codicibus, ex quibus S. Athanaſii Græco-latina editio concinnata eſt, ab aliis diverſiſſimè legit. Quinimò Valeſius, qui ex Hilarii fragmentis Epiſtolam Ariminenſem Socrati: & SS. Patrum Editores, qui eam S. Athanaſii operibus inſeruerunt, perſpicuè indicant in notis, quid de hac Epiſtola cenſendum.

XXX. Patere igitur, Euſebiane! ſenſum reſtitui ex verſione Epiphanii Scholaſtici apud Caſſiodorum, ex Socrate quoque, Theodoreto & Sozomeno, Criſtophorſono interprete; deindè ex S. Athanaſio interprete Nannio. Apud Caſſiodorum, ubi in illa Epiſtola ſermo eſt de Urſacio, Valente, & Concilio Mediolanenſi, ſubditur: (a) *Erat enim tempus, quo hæc geſta noſcuntur, quando Mediolani Synodus celebrata eſt, præſentibus Romanæ Eccleſiæ presbyteris. Cognoſcentes verò ſimul etiam poſt mortem dignum memoria Conſtantinum* (emendo hanc vocem & cum Baronio, Petavio, Binio & aliis ex S. Athanaſio reſtituo & lego *Conſtantem*) *cum omni integritate, & examinatione conſcriptam expoſuiſſe fidem. Qui cùm ab hac luce baptiſmate perceptô diſceſſerit* (id eſt novem annis ante Concilium Ariminenſe, quando idem Imperator *Conſtans* paulò poſt celebratum Concilium Mediolanenſe baptizatus, mox anno 350. à Magnentio occiſus eſt, quod ideo Nannius in hunc locum notat: *Conſtans Imperator ad vitæ finem baptizatus*, ut infrà probabo) *& ad præmia debitæ pacis abierit, incongruum eſſe judicamus, poſt illum aliquid novitatis admittere.*

(a) hiſt. Tripart. lib. 2. c. 21.

XXXI. Apud (b) Socratem, (c) Theodoretum & (d) Sozomenum, Criſtophorſono interprete, ubi quoque de Urſacio & Valente mentio occurrit, hæc ſequuntur: *Iſta quidem eo tempore gerebantur, quo Concilium Mediolani habitum eſt, præſentibus Eccleſiæ Romanæ presbyteris. Cùm igitur intelligamus*, (vel ut Papebrochius legit *ſciamus*) *Conſtantinum* (emendo & lego) *Conſtantem, principem omnium poſterorum memoria poſt mortem celebrandum, diligenter elaboraſſe, ut fides illa Nicææ literis prodita, accuratiſſimè perquiſita explo-*

(b) lib. 2. c. 29. p. 461.
(c) lib. 2. c. 19. p. 644.
(d) lib. 4. c. 17. p. 817.

Digitized by Google

rataque eſſet : abſurdum planè videretur , eo jam poſt acceptum baptiſmum vita defuncto , & ad tranquillitatem ſibi debitam profecto , aliquid in ea novare. Quid hac lectione clarius ? quis ſenſus iſtò perfectior ? Pro voce *Conſtantinum* , lege *Conſtantem* , & ſermo in cunctis exemplaribus meliùs fluet, facileque intelliges , Patres Ariminenſes hoc loco de *Conſtante* loqui , eumque diligenter elaboraſſe, ut fides Nicæna , quæ Patre ſuo Conſtantino præſente An.325. conſcripta & literis prodita fuerat , demùm An. 347. propter Arianorum diſturbia in Concilio Sardicenſi,ac Mediolanenſi accuratiſſimè perquireretur , exploraretурque ; quod cùm factum , nihil autem in fide innovatum fuiſſet ; poſt hæc verò Conſtans Imperator hanc fidem confirmatam ipſe tenens baptizatus , & violenta morte ſublatus , ad debitam tranquillitatem migraſſet , abſurdum videbatur Patribus Ariminenſibus , poſt mortem M. Conſtantini Patris, & Conſtantis filii , quorum uterque fidem illam tenuit in eaque obiit , nunc ſub Conſtantio Imperatore tempore Concilii Ariminenſis, aliquid in fide propter Arianos moliri velle . Itaque dico cum Petavio , quod in Ariminenſi Epiſtola ultimo loco refertur (*a*) *neque de Conſtantino M. verum eſt , uti neque de ejus filio Juniore Conſtantino ... De Conſtante itaque loquuntur* (Patres) , *cujus juſſu , utpote Catholici Principis , coacta videtur illa Synodus* . (Mediolanenſis) *Quod ſi verum eſt , tum ſanè reliqua , quibus ejus mortis & baptiſmi meminerunt , ad Conſtantem non ad Conſtantinum pertinebunt .*

(a) Petav. diſſert. de Photin. c.1.To.II. Concil. edit. Pariſ. p. 730.

XXXII. Euseb. Hoc ipſum verò maximè eſt controverſum , & de hoc maxima quæſtio eſt, num ſcilicet reliqua , præſertim quæ de baptiſmo adferuntur, ad *Conſtantem* pertineant ? Quis tradit eum poſt acceptum baptiſmum vitâ defunctum ?

XXXIII. Silvest. S. Athanaſius , ubi de impio Magnentio , & *Conſtantis* Imperatoris nece agit , ſcribens ad Imperatorem Conſtantium , hoc tradit (*b*) *Quæ enim mihi fiducia in Magnentio fuiſſet ? aut quam benevolentiam certam firmam-*

(b) S. Athan. Apolog. ad Conſt. Imp.

mamque in Domini ſui parricida, in amicos tàm perſido, in violandis juramentis tàm irreligioſo, & in Magis, incantatoribuſque contrà Dei judicium fovendis conſcelerato, mihi polliceri potuiſſem? Quâ verò conſcientia dixiſſem illi, Ave, cujus furor & crudelitas non me ſolum, ſed univerſum iſthic terrarum orbem, luctu calamitatibuſque implevit? Credo, magnam ſcilicet & multam illi gratiam debebam, quòd piæ memoriæ tuum fratrem, cujus donariis Eccleſiæ plenæ ſunt, ipſe ejus legatus occiderit, nihil eam neceſſitudinem, cùm ante oculos verſaretur, reveritus, nihilque gratiam Beato tuo fratri in baptiſmate donatam reſpiciens, veluti dæmon & furia infernalis in eum inſiluit. Atque ità Sanctiſſimus ille vir Martyrium aſſecutus eſt. Hactenùs S. Athanaſius. Ex quibus colliges, ea, quæ in Epiſtola Ariminenſi de baptiſmo & morte memorantur, pertinere quoque ad *Conſtantem*.

XXXIV. Hunc piiſſimum Principem Athanaſius, ut audiſti, veluti fortiſſimum propugnatorem Nicænæ fidei ità ſublatum vehementer ingemuit. (*a*) Ejus namque operâ, inquit Baronius, Sardicenſi congregato Concilio, Nicæna Confeſſio fuerat ſtabilita, & ipſe Athanaſius ab exilio revocatus, omniaque ad rectam fidem ſpectantia promulgatis à ſe legibus confirmata. Duplici igitur Catholici Epiſcopi, qui eam ad Conſtantium ſcripſerunt Epiſtolam, (Arimini) utuntur ad firmandam Catholicam fidem exemplo; Conſtantini Patris inprimis, cujus præſentiâ Nicæna Confeſſio fuerat roborata; & Conſtantis Imperatoris, cujus ope eadem Catholica fides in Sardicenſi Concilio fuerat confirmata, & antè (vel potiùs poſt) in Concilio Mediolanenſi, cujus ibidem mentio habetur, adverſùs Arianos legatos defenſa & roborata; in quo mira ejuſdem Conſtantis virtus enituit. Meritò igitur in eâ Epiſtolâ Patres primò Conſtantini Magni, deinde res geſtas in Concilio Mediolanenſi, atque teſtimonium Conſtantis miro rerum ordine ad inſinuandam Catholicam veritatem ſcripſêre ad Conſtantium Imperatorem. Hæc diſertè & apprimè luculenter ad rem Baronius; quid his opponis?

(*a*) Baron. An. 324. num. 54.

Digitized by Google

XXXV. Euseb. Imbecille dixi antè numerô XVII. fuiſſet argumentum ab exemplo Conſtantis petitum, ad ſuadendum Conſtantio, ut nihil in fide innovari pateretur; Conſtans enim frater erat Conſtantii natu minor, quem reveritus nunquam fuerat. Ad hæc & ad alia ibidem dicta mihi reſpondeas.

XXXVI. Silvest. Etiam in hoc tibi libenter morem gero, & reſpondeo, exempla quotidiana, qualia ibi de fratribus retuliſti, mihique oppoſuiſti, non ſcribuntur. Rara duntaxat exempla annotantur, nimirum ea, quæ Conſtantium ſeniorem inter & Conſtantem Juniorem fratres contigerunt, atque litteris fuerunt prodita.

XXXVII. In Concilio Sardicenſi SS. Athanaſius Alexandrinus & Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopi, antè ab Arianis pulſi, ſedibus ſuis reſtituti ſunt, quos ſub ſua ditione degentes, *Conſtantius* Imperator Arianus reſtituere diu tergiverſabatur; verum à Conſtante, fratre natu minore, invitus etiam ad id exequendum compulſus fuit. Quo autem modo hæc acta ſint, audi Socratem, qui refert: (*a*) Statim verò (poſt abſolutum ſcilicet Sardicenſe Concilium) Imperator qui partium ad Occidentem vergentium dominabatur, ea quæ in Concilio Sardicenſi acta erant, fratri ſuo Conſtantio ſignificat: hortaturque, ut Paulum & Athanaſium ad proprias ſedes reſtituendos curet. Ubi autem Conſtantius fratris poſtulata de die in diem differebat, ille (Imperatorem dico Occidentis) optionem fratri dat, vel Paulum & Athanaſium ſuis ipſorum ſedibus Eccleſiiſque reſtituendi, vel ſi hoc minùs præſtaret, ipſum ſibi hoſtem reddendi, nihilque aliud quàm bellum expectandi. Litteræ autem quos ad fratrem ſcripſit, ità ſe habent. *Sunt hic apud me Athanaſius & Paulus: quos auditione accepi, pietatis cauſa perſecutionem paſſos eſſe. Quod ſi polliceâre te illis ſuas ipſorum ſedes redditurum, inque eos à quibus ſine cauſa injuria affecti ſunt, animadverſurum, viros ipſos ad te mittam: ſin autem recuſes iſta hoc modo perficere, pro certo velim cognoſcas, me eò venturum, & te invito illis*

(*a*) Socrat. lib. 2. c. 18. p. 445.

ſuas

ſuas ipſorum ſedes reſtituturum. Quæ cum intellexiſſet Orientis Imperator, non mediocrem animo cœpit ægritudinem. Accerſitis igitur non paucis Orientis Epiſcopis, optionem ſibi datam illis exponit: rogat, quid faciendum ſit. Illi melius eſſe reſpondent, ut Athanaſio Eccleſiæ ſuæ concederet adminiſtrationem, quàm ut bellum inteſtinum ſuſciperet. Unde Imperator neceſſitate adductus, Athanaſium ad ſe accerſit. Interea temporis Conſtans Occidentis Imperator, Paulum cum duobus Epiſcopis; cum litteris ſuis, cumque litteris etiam Concilii, quo tutior eſſet, honorificè Conſtantinopolim mittit. Hæc Socrates.

XXXVIII. Confirmantur hæc in Vita ejuſdem S. Pauli Epiſcopi Conſtantinopolitani apud (*a*) Photium, ubi hæc habentur: *Conſtans edocet per litteras fratrem ſuum Conſtantium, & monet, ut amicè Paulum & Athanaſium tractet; neque impediret, quo minùs ſuis ſedibus reſtituantur, addens, niſi volens juſta petenti annuat, ſe venturum, & illo invito jus & æquum injuriâ affectis redditurum. Metuens igitur minas fratris Conſtantis, Divinum Paulum non prohibuit in proprio Epiſcopatu reſidere, ejuſque commilitonem Athanaſium multis litteris ad ſe ſe vocat, & venientem libenter ſuſcipit, ac ſuæ dignitati reſtituit.* Meminit hujus rei quoque Martyrologium Ægyptium ſub die V. Menſis Babe apud (*b*) Ecchellenſem his verbis: *Scripſitque Conſtans pro eis fratri ipſi mandans, ut illos ſuſciperet; inſuper minatus eſt ei, ni ſuſciperet eos, ſe pacem fracturum, & indicturum ipſi bellum. Scripſit alias etiam Papa litteras pro eis. Suſceptis itaque Imperator litteris fratris, nec non litteris Papæ, ſedibus ſuis reſtituit eos.* Vides ergò, Euſebiane! non quotidianum aut triviale, ſed Auguſtorum rarum fratrum exemplum. Et quod dicis *nunquam*; certò tamen eſſe factum; videlicet quod *Conſtantius*, Imperator Auguſtus natu major reveritus ſit extimueritque *Conſtantem* Imperatorem Auguſtum fratrem Juniorem, ac idcircò non adeò, ut opinaris, imbecille fuit Patrum Ariminenſium argumentum ab exemplo Conſtantis petitum, ad ſuadendum Conſtantio, ut nihil in fide innovari pateretur.

(*a*) In Biblioth. p. 1416.

(*b*) In Eutych. Vindicat. pag. 133.

XXXIX.

XXXIX. Athanaſius porrò, quod Conſtantio non exprobraverit junioris fratris contemptum, ſanè non abſque ratione fecerit Vir Sanctiſſimus. Neceſſarium enim ſolum erat, ut fratri natu majori Junioris exemplum objiceret, quo innumera ejus ergà Catholicos merita videret, quem proinde, ob fidem & pietatem, iiſdem cum Patre laudibus ornavit. In Apologia ad Conſtantium ſcribens Athanaſius, de Conſtante ejus fratre ait: (a) *Poſt triennium quarto denique anno litteris juſſit ut ad ſe venirem. Agebat autem per id tempus Conſtans Mediolani ..... Cùm igitur veniſſem Mediolanum, expertus ſum illius mirificam humanitatem, dum & me ſuis oculis dignatur; verbiſque indicat, ſe ad te de celebrando Concilio litteras miſiſſe. Idem me rursùs agentem in ſuburbio, in Gallias evocavit: eò enim Pater Oſius conceſſerat, ut inde ad Sardicenſe Concilium proficiſceremur.* Conſtans enim Auguſtus, cùm in omnibus exploratum haberet ejuſdem Sanctiſſimi Athanaſii ſummâ cum pietate vitæ Candorem & innocentiam, eum tum amore, tum etiam reverentiâ præſentem oretenùs, abſentem per litteras proſecutus eſt. A quo item, quod magnæ ergà ipſum fuit fiduciæ argumentum, petiit Conſtans, ut univerſam divinam ſcripturam redigeret in compendium, Breviariumque ex ea conficeret, quod ad ſe mitteret: occupato enim Imperii curis, haud tantum ſibi otii ſuppetere videbatur, ut omnes Divinæ ſcripturæ libros, quorum avidus erat, perlegere poſſet. Præſtitit idipſum egregiè Athanaſius, ſcripſitque totius Sanctæ ſcripturæ ſynopſin: cujus ipſe viſus eſt meminiſſe, dum in eadem ad Conſtantium Apologia inquit: *Iterumque ad eum ſcripſi, cum mihi mandâſſet, ut tabulas ſacrarum litterarum conficerem; quas confectas ad eum miſi.* Item in eadem Apologia: *Poſt verò*, inquit, *Concilium Sardicenſe Naiſſi mihi commoranti denuò ab eodem Conſtante Auguſto ſcribitur.* Mox infrà: *Inde rursùs à beatæ memoriæ viro, Conſtante Imperatore ſcilicet, evocatus, in Gallias profectus ſum.* Quem rursùs in illa Apologia laudavit, cum dixit: *cujus donariis Eccleſiæ plenæ ſunt*; & Sanctiſſimum martyrem eum appellavit.

(a) S. Athan. Apolog. ad Conſtantium.

XL.

XL. Quem autem ſe Conſtans Imperator erga Athanaſium: eum quoque ſe præſtitit ergà ejus commilitonem S. Paulum, ac perconſequens erga omnes Catholicos, cum quibus Patris M. Conſtantini fidem firmiſſimè ſemper tenuit. (*a*) *Non longo tempore*, inquit Socrates, *poſt Paulus Theſſalonicâ decedere, & Corinthum ſe pergere ſimulans, rectâ in Italiam proficiſcitur. Ibi ille & Athanaſius unà ſuam ipſorum conditionem Imperatori* (Conſtanti) *patefaciunt. Imperator, cujus ditioni partes verſus Occidentem ſubjectæ erant, illorum injurias ſuam ipſius calamitatem ſtatuens, litteras ad fratrem dat.* Et Theodoretus: *Simul atque iſta audivit*, (Conſtans) *litteras ſcripſit ad fratrem, quibus eum hortabatur, uti hæreditatem pietatis Paternæ integram inviolatamque ſervaret: Illum enim Imperium pietate ſtabiliviſſe; tyrannos, qui Romanos oppreſſerant, profligaſſe; & Barbaros undique in ſuam poteſtatem redegiſſe.* Quid aliud iſta ſignificant, quàm quod piiſſimus *Conſtans* Auguſtus, eam ipſam paternæ pietatis hæreditatem, quam cum fratre ſuo ſeniore acceperat, quamque ipſe integram inviolatamque ſervârat, fratrem quoque (*b*) *cujus animus facillimè huc illuc impellebatur*, & qui à Patris fide declinaverat, ad eandem hæreditatem integrè ſervandam excitare hortarique voluerit. Cur, quæro, Patres Ariminenſes poſt mortem Pii *Conſtantis* fratris licet junioris, exemplum fratri ſeniori *Conſtantio* ob oculos ſtatuentes ſperare non potuiſſent ſe adversùs Arianos quidpiam boni ab eo impetraturos, ſcribendo abſurdum eſſe, poſt Patris ac fratris Catholicorum Principum mortem, aliquid innovare in fide, quæ ſub Patre, atque fratre conſtituta fuerat? At ſatis de his, nunc de aliis teſtimoniis, quibus aſſertum tuum confirmaſti, ſupereſt ut agamus.

(*a*) Socrat. lib. 2. c. 14. p. 419.

(*b*) Theodoret. lib. 2. c. 5. p. 619.

Euseb. Temporis anguſtia premor, & quieti locus concedendus eſt. Si placet SS. Martyrum Joviani & Hercoliani teſtimonium apud Ruinartum & Tillemontium: atque etiam S. Ambroſii clariſſimum teſtimonium in craſtinum reſervemus?

Sil-

Digitized by Google

Silvest. Benè eſt. Domum quoque me recipiam, ibique tacita mente nonnullas agitabo difficultates, quas circà illa teſtimonia tibi proponam.

COLLOQUIUM XIV.

De obnitente SS. Martyrum Joviani & Hercoliani, pro Baptiſmi Nicomedienſis confirmatione producto teſtimonio, cui nec S. Ambroſius favet.

Silvest. Quæ in hodiernum heri reſervaſti, nunc exequere Euſebiane. Sanctorum Martyrum Joviani & Hercoliani teſtimonium, quô inter reliqua baptiſmum Nicomedienſem confirmas, audire aveo.

I. Euseb. Hoc ità ſe habet: *Nos* (inquiunt illi) *Chriſtiani ſumus ſub Patre noſtro Conſtantino accipiente teſtamentum in Aquilone juxtà Nicomediam, quando & ad finem mortis ſuæ jam properabat, ad juramentum nos conſtrinxit omnibus mandatis ſuis, nequid contrà purpuram filiorum ipſius vel contrà Eccleſiam faceremus*. Ubi Auctor hic baptiſmum *teſtamentum* appellat, inquit Ruinartus.

II. Silvest. Teſtimonium iſtud non videtur hîc locum habere. Commoda quidem eſt explanatio hujus textûs & applicatio ad baptiſmum Nicomedienſem, ſed incommoda verborum ſenſui. Anne baptiſmus *teſtamentum*? Conſului expoſitores, at non inveni, qui baptiſmum appellaret *teſtamentum*. Baptiſmi Sacramentum variis inſignitur nominibus. *Primò*, vocatur *lavacrum regenerationis*: quia per hoc lavacrum fit ſanctificatio prima, & penitùs deſtruitur peccatum, fitque homo membrum Chriſti & filius Dei. II. *Signaculum*, ſeu *ſigillum*, propter characterem, quo ſignatur homo, ut ovis Chriſti. III. *Cuſtodia*, ſeu *præſidium*, quia cuſtodit animam in bono conferendo auxilium ſpeciale, & com-

pri-

primendo vires dæmonis. IV. *Illuminatio* ex Apoſtolo ad (*a*) Hebræos, quia baptiſmus eſt Sacramentum fidei, qua illuminantur fideles, & hæc vox frequens eſt apud Patres. V. *Sigillum* fidei, quia in eo fit prima ac ſolemnis fidei profeſſio. VI. Vocatur *donum*, ſeu gratia, quia confert liberaliſſimam culpæ, & pœnæ remiſſionem, primamque gratiam ſine ullo præcedenti merito. VII. *Unctio*, vel ab externa unctione, quæ in baptiſmo adhibetur, vel ab interiori unguento, quô efficimur participes regni Cœleſtis & Sacerdotii Chriſti. VIII. *Principium* & *Janua* Sacramentorum, quia per baptiſmum acquirit homo jus ad cætera Sacramenta recipienda, & fit capax gratiæ Sacramentalis. His nominibus invenitur baptiſmus apud Doctores inſignitus.

(*a*) c. 6. 4. & c. 10. 32.

III. Aliud ergò myſterium hîc ſub termino teſtamentum latet. Erat nimirum inter Sacramenta aliud quodpiam, quod à Chriſto Domino paulò ante ſuam pretioſiſſimam mortem, per modum teſtamenti, eſt inſtitutum, neque aliud eſt, quam *Corpus* & *Sanguis* Domini, quod patet ex illis verbis apud (*b*) Matthæum: *Hoc eſt corpus meum,.... Hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti*; vel ut habet (*c*) Lucas: *Hoc eſt Corpus meum,... Hic eſt calix novum Teſtamentum in Sanguine meo*. Et hoc Chriſti in ultima Cœna inſtitutum *Teſtamentum*, quod eſt juxtà omnes, ut noris, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, (*d*) Patres Sacro-Sancti Nicæni Concilii I. decreverunt, ut extremè laborantibus, ſeu moribundis, tanquam ultimum & maximè neceſſarium Viaticum adminiſtretur; quod procul dubio Pius Conſtantinus moriens in Villa Achyrone Nicomediæ perceperit, de quo ac de nullo alio *teſtamento* accepto SS. Martyres Jovianus & Hercolianus loqui videntur. Quare cum hactenùs, præter Tillemontium, nemo eruditorum hoc tàm ineptum teſtimonium ad confirmandum baptiſmum Nicomedienſem ex Ruinarti notis deſumere auſus ſit, atque ipſe Ruinartus *teſtamentum* perperam per baptiſmum explicet, rejiciendum prorsùs hoc teſtimonium arbitror, neque locum hîc illi do, quia ſolùm ſpectat ad comprobandam Conſtantini

(*b*) c. 26. 27. 28.

(*c*) c. 22. 19. 20.

(*d*) Can. 13.

M. fidem Catholicam ad mortem uſque integrè conſervatam; de quo alibi erit differendi locus.

EUSEB. Sed quid reſpondes ad teſtimonium S. Ambroſii, quod certè omnium firmiſſimum eſt?

SILVEST. Quomodo ſe habet?

IV. EUSEB. *Nunc ſe* (inquit S. Pater) *Auguſtæ memoriæ Theodoſius regnare cognoſcit, quando in regno Domini Jeſu eſt, & conſiderat templum ejus. Nunc ſibi Rex eſt, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulcherrima ac dulciſſima ſibi pignora, quæ hic amiſerat, quando ei ſua Placilla adhæret, fidelis anima Deo; quando Patrem ſibi redditum gratulatur, quando Conſtantino adhæret. Cui licèt Baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Hæc S. Ambroſius. Quid ſentis?

V. SILVEST. Dicam quod ſentio. Teſtimonium hoc mihi admodùm obſcurum & ambiguum videtur.

VI. EUSEB. Qua fronte id proferre audes? cùm tamen Eruditi Congregationis S. Mauri Monachi Benedictini, in notis ad hunc locum, aſſerant: *non potuit Ambroſius clarioribus verbis ſuam de Conſtantini baptiſmo ſententiam promere*. Et tu dicis teſtimonium hoc obſcurum & ambiguum?

VII. SILVEST. Maxima quæſtio eſt in hac controverſia, de tempore, loco, atque miniſtro; ſed nihil horum refert S. Pater; quomodo ergò aliter hoc teſtimonium, niſi obſcurum mihi videri poteſt & debet?

VIII. EUSEB. Apertè loquitur de tempore, tacitè verò de loco, dum eum in ultimis conſtitutum teſtatur baptizatum, quod, ut conſtat in loco Nicomediæ contigit. De miniſtro non intereſt; nam etiam baptiſmus ab Arianis collatus, cenſebatur validus.

IX. SILVEST. Quod inquit, in *ultimis conſtituto* non tantùm de Nicomedia, ubi mortuus eſt, ſed etiam de Roma intel-

telligi poteſt, quando & ibi pridem ante mortem leprâ laborabat, &, ut (*a*) Baronius & (*b*) Binius inquiunt, in ea ægritudine, omni medicorum arte fruſtratâ, in ultimis conſtitutus quodammodo videbatur, tandémque baptizatus atque per baptiſmum ſanatus eſt à Silveſtro.

(a) An. 324. num. 50.
(b) in not. ad Vit. Silveſt. To. I. Concil.

X. Euseb. Anne ignoras, quod propter lepræ morbum plerumque valdè diuturnum, nunquam aliquis *in ultimis conſtitutus* eſſe cenſeatur, & parum prudenter egiſſet Ambroſius, ſummæ doctrinæ vir, ſi hoc ſenſu verba ſua protuliſſet?

XI. Silvest. Licet lepræ morbus quandoque diuturnus ſit, tamen inter incurabiles ſemper numeratus eſt, atque adeò, ut leproſus meritò *in ultimis conſtitutus* dici poſſit. Nullum leprâ morbi genus perniciosius, ut, quod non ſolùm cutem infeſtat, verùm etiam carnem ipſam uſque ad oſſa depaſcitur. (*c*) *Lepra igitur*, inquit D. Cyrillus Alexandrinus, *in hominum corporibus graviſſimus eſt morbus, & qui difficillimè curetur, & edax, fit autem ex eo quòd caro emoritur, excavatur enim ulcus illicò abſumptâ cute, & in profundum deſidente, quòd malum illud ſemper ad inferiores partes ſerpat: ex quo, ut opinor, fit, ut pilus, qui in illis partibus exoritur, langueſcens exalbeſcat, ac veluti ſtirps una cum ſubjecta terra corrumpatur. Lepra igitur ejuſmodi morbus eſt...... Lepra igitur mors carnis manifeſta eſt.* Et alibi idem (*d*) Sanctus: *Carnis*, inquit, *eſt morbus lepra, iſque gravior quàm ut à medicis ei ſuccurri poſſit, aut illorum uſu atque peritia expugnari: ac leproſus ipſe prophanus, & impurus eſt, ex antiqua illa Moyſi lege, nec non iis quoque odioſiſſimus, qui gentilium mores magnipendunt: qui enim eo laborat morbô, ſemimortuus quodammodo eſt; at verò execrandum impurumque eſt mortui cadaver. Itaque curare poſſe leproſum, tanquam eximium quiddam, & quod noſtrarum virium modum longè ſuperet, ſoli divinæ naturæ atque efficaciæ tributum eſt.* Hæc S. Cyrillus. Quare cùm Conſtantiniano ſeculo, ac antè & poſt, ſi Philoſtorgio & S. Gregorio Turonenſi, Colloquio X. n. XVII. à

(c) S. Cyrill. Dialog. lib. 15. de purg. noſt. in Chr.

(d) ibi. Dialog. lib. 2. de liberat. à morte per Chr.

me laudatis, credimus, ſpes ſola ſupereſſet leproſis, lavari & mundari in Jordane, & Conſtantinus noſter, ut hiſtoriæ tradunt, aliquando leproſus exiſteret, meritò, propter hanc deſperatam ægritudinem, S. Ambroſio videri & dici potuit *in ultimis conſtitutus*.

XII. Euseb. Præter Baronium & Binium, omnes alii referunt verba Ambroſii ad ultimos dies vitæ ipſius Conſtantini.

XIII. Silvest. Nequaquam omnes. Nam (a) Cardinalis Jacobatius refert verba hæc in alio ſenſu ad ultimas Chriſtianorum perſecutiones, vel ad multa per eum geſta, quæ ad fidei favorem pertinebant, ut de Victoria Maxentii, de Edictis propoſitis in ædificationem Eccleſiarum, & de ſubverſione Idolorum poſt emundationem à Lepra, quia enim, inquit idem Eminentiſſimus, poſt hæc baptizatus eſt, dicitur in extremis baptizatus quamvis de his Ambroſius non fecerit mentionem. Et eſt modus loquendi volentis omittere multa medio tempore geſta. Hæc Jacobatius.

(a) Biblioth. Max. apud Rocabet. Tom. IX. de Concil. Art. VIII. n. 31.

XIV. Euseb. Non placet explicatio. Aliter enim Jacobatii ſeculò Cuſpinianus; ac poſt eum alii; hactenùs verò omnes recentiores contrarium ſentiunt, & verba Ambroſii nonniſi ad ultimos vitæ dies Conſtantini referunt, & intelligi debere contendunt de baptiſmo in fine vitæ Nicomediæ percepto. Sic Lambecius, Noriſius, Tillemontius, Natalis Alexander, Papebrochius & ex eo Pagius cum multis aliis.

XV. Silvest. Si eò referri, & ità omninò intelligi debent, quod tamen non admitto, dic obſecro, quô fundamento nititur hoc teſtimonium, & unde habet ea verba S. Ambroſius?

XVI. Euseb. Reſpondet Papebrochius & Pagius cum eo, Ambroſium & Hieronymum, qui idem in Chronico tradit, habuiſſe Euſebio fidem, nihil ultrà indagare volentes in re tali, etſi difficile creditu ſit (cum ambo diu Romæ habitarint, & contrarium, ſi verum erat, centies audiiſſe debuerint) credamus, tamen, inquiunt, credamus etiam S. Athana-

na-

naſium, adeò ſagacem exploratorem omnium, quæ à ſuis & Eccleſiæ hoſtibus mala fide agebantur, in hoc puncto, velut ad ſe minùs ſpectante, incurioſum planè fuiſſe.

XVII. Silvest. Quid inde? fuerit S. Athanaſius incurioſus circà baptiſmum Conſtantini Romanum, cùm de eo nihil referat; cur adeò incurioſus fuit, & nec de baptiſmo Nicomedienſi quidpiam commemorat? nunquid & de eo altum apud illum ſilentium? Eccur ſcripſiſſet Athanaſius hiſtoriam de baptiſmo Romano, quam antè ab Euſebio in Actis S. Silveſtri certò ſciverit ſcriptam; quam equidem non negat, ſed confirmat, cùm pluribus in locis Conſtantinum conſummatum Chriſtianum, id eſt baptizatum, pridem ante mortem prodat. Sed hoc in puncto, atque in eis, quæ circà baptiſmum Conſtantini Nicomedienſem ab Eccleſiæ hoſtibus mala fide acta ſunt, non incurioſus, ſed neſcius videri debet S. Athanaſius, quia ea tempeſtate, hiſtoria de Conſtantini vita ab *Acacio*, qui apud me ſemper ſuſpectus, probabiliter conſarcinnata eſt, quæ pauciſſimis & nec ipſi quidem Athanaſio fuit cognita.

XVIII. His autem, quæ ex Papebrochio & Pagio attuliſti, Ambroſium nimirum & Hieronymum habuiſſe Euſebio fidem, contradicit Card. Noriſius, qui ait (*a*) tempore Ambroſii hiſtoria Euſebii Latinis erat ignota; unde Paulinus ab Alypio Tagaſtenſi eandem petiit, ubi Euſebium Epiſcopum Conſtantinopolitanum vocat, non Cæſarienſem, ut planè Auctor ille eundem fugeret. S. Auguſtinus eundem à Rufino Latinis donatum ſcribit; illum verò interpretatus eſt Rufinus eo anno, quo Alaricus fractis Alpium repagulis in Italiam cum innumeris Gothorum copiis ſe ſe effuderat, An. 402. quod fuit, ut ego conjicio, poſt mortem Ambroſii. Proinde ſi hiſtoria Euſebii Latinis ignota fuit Ambroſii tempore, videtur admitti non poſſe quod aſſeris, Ambroſium nempè habuiſſe fidem Euſebio.

(*a*) Noris Tom. IV. in Append. ad hiſtor. Donat. ſect. VIII. de bapt. Conſt.

XIX. Euseb. Sint hæc ità, ut dicis, fieri ſaltem potuit, ut S. Ambroſius hoc ex relatione aliorum, quibus Euſebius hic Auctor Vitæ Conſtantini innotuit, ſcripſerit. Etenim

Eu-

Euſebius, ut omnes affirmant, hujus rei primus Auctor eſt.

XX. Silvest. Rectè ais. Si enim Ambroſii verba alium ſenſum admittere negas, & tantùm de ultimis vitæ Conſtanſtini diebus, ac de baptiſmo Nicomedienſi, intelligenda eſſe contendis, certè S. Pater hæc verba nonniſi ex Auctore de Conſtantini Vita, vel ex relatione ab aliis ex eodem Auctore deprompſiſſe videri poteſt; quod etiam (*a*) Baronius affirmat, nempè Sanctum Ambroſium obiter fidem ſecutum eſſe Euſebii. Sed addit Purpuratus Annaliſta, Ambroſium potius alluſiſſe ad Conſtantini ægritudinem, quâ Romæ, detinebatur; in quâ, ut jam antè dixi, omni medicorum arte fruſtrata, in ultimis conſtitutus videri potuit Ambroſio. Certè omnis Ambroſii verborum ſenſus interpretandus & accipiendus eſt potiùs de lepræ ægritudine, quàm, ut inquit Baronius, contrà Eccleſiam Catholicam aſſentiendum Conſtantinum deceſiſſe Arianum, apoſtatam à fide Catholicâ: quod nec ipſi quidem Ariani, alioquin procaciſſimi, (ſi ejus vitæ Auctorem excipias) auſi ſunt unquam dicere.

(a) An. 324. num. 50.

XXI. Euseb. Ambroſii verba non innuunt Conſtantinum Arianorum more baptizatum vel rebaptizatum, & propterea Arianum factum, ſed ſemel tantùm baptizatum, dum in ultimis conſtitutus eſſet. Non enim probatur eum ante ſuſcepiſſe hoc Sacramentum, ſed ſub finem duntaxat vitæ, ac propterea, licèt baptiſmum diſtulit, Ambroſius eum non vituperat, imò laudat, quod exemplum fidei ſucceſſoribus reliquerit. Quod benè advertit Cuſpinianus inquiens: (*b*) *Omnes hiſtoricos, prçter apogryphum de Silveſtri vita libellum, Conſtantinum in extremo vitç ſuç tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatum, tradere, & idem Divum Ambroſium; dum de Theodoſii morte agit, & Conſtantinum, quamquam in extremo vitç ſuç tempore baptiſma acceperit, magnoperè tamen, quod fidem ſucceſſoribus hçreditariam reliquerit, laudandum inquit, teſtari.*

(b) Cuſpin. in commentar. ad Caſſiod. Coſſ. ſub Ann. Chr. 346.

XXII. Silvest. Multum ſanè confundis argumentum hoc, quod perperàm urges. Si namque Ambroſius Conſtan-

tinum

ſtimum laudat, quod verum eſt, propter fidem, cur ipſum non etiam laudat propter baptiſmum? Auctor vitæ Conſtantini Arianus magnoperè laudat Imperatorem propter baptiſmum Nicomedienſem, de quo ait: *Sanè ex omni omnium Imperatorum memoria ſolus Conſtantinus in Chriſti martyriis renatus, & Sacris initiatus &c.* Quam laudem poſteà pluribus etiam ipſiuſmet Conſtantini fictitiis verbis deprædicat & confirmat, planèque miraculum inde aſtruit, dum penultimo capite libri quarti, Valeſio interprete, ait: *Hęc miracula ſummus omnium Deus in Conſtantino, qui ſolus ex omnibus retrò Imperatoribus Chriſtianum ſe palàm profeſſus fuerat, noſtris oculis proponens; ſatis ſuperque declaravit, quantum intereſſet inter eos, qui ipſum Chriſtumque ipſius colere meruiſſent, atque inter illos qui contrariam Sectam ac ſententiam amplexi eſſent.* Cumque, ut hîc Auctor vult, Conſtantinus Nicomediæ primùm ſe palàm per ſuſceptum baptiſmum profeſſus eſſet Chriſtianum, id quod velut miraculum prædicat, parùm exindè videtur tibi favere Ambroſius, qui ſolam Conſtantini fidem laudat; baptiſmum verò improbare potiùs & iteratò Arianorum more juxtà Auctoris de Vita Conſtantini mentem, collatum teſtari, atque per hoc baptiſmum Romanum, quem neque hîc, neque alibi uſpiam negat, affirmare videtur. In hoc autem ſenſu iterati baptiſmi, contrarius ſibi eſſet S. Pater, & patet, ut Baronius laudato loco inſinuat, ipſum ſibi Ambroſium eodem verborum contextu contraria loqui: nam quomodo magni (ut ait) meriti Conſtantinus eſt, ſi ab Arianus baptizatus deceſſit? Sed verba ipſa perpendamus.

XXIII. Dicit in primis de Theodoſio: *Quando Conſtantino adhęret*; deindè pergens de Conſtantino ait: *Cui licèt Baptiſmatis gratia in ultimis Conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen, quòd primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Verborum iſtorum ſenſum obſcurum admodùm atque ambiguum eſſe, nemo non videt. Si enim defendas ab

Am-

Ambroſio hîc intelligi verum Catholicorum baptiſmum, qui ipſi in fine vitæ omnia peccata dimiſit, rationem quoque afferas eſt neceſſe, cur laudabile adeò factum non æquè, ut ejus fidem laudârit? Quod ſi reponas, S. Ambroſio indignum laude Conſtantini baptiſmum eſſe viſum, quod eundem in ſeram uſque ſenectutem & extremum vitæ tempus diſtulerit, convincis eum cum Vitæ Conſtantini Auctore, cum iſte, juxtà ſuperius dicta, Imperatorem hunc, ob prætenſum baptiſmum ſummis laudibus extollat. Non baptiſmum, ſed fidem Couſtantini laudat Ambroſius, eamque tanquam derelictam Principibus hæreditatem depredicat, atque ideò magni meriti locum reperiſſe ſcribit. Sed nec propter fidem mereretur Conſtantinus ullam laudem, ſi quod ex verbis S. Ambroſii aſtruis, in fine vitæ primum baptizatus eſset. Nam nimium quantum verificarentur verba Valeſii, quem in omnibus ſequeris, dum ait, quod Conſtantinus (*a*) *tamdiu quaſi anceps ac dubius hæſerit, nec gentilium ritus ac cęremonias colens, nec Chriſtianorum Sacra ſuſcipiens*. Anne laudandus Conſtantinus propter fidem? cum tamen hoc modo nunquam veram ac firmam fidem habuiſſet, niſi forſan tum, quando in fine vitæ haud laudabilem baptiſmum ſuſcepiſſet. Anne propter hanc dubiam & ancipitem fidem poſt ſe hæreditatem fidei Principibus dereliquiſſe, & magni meriti locum reperiſſe dici poſſet? Quomodo veram ac laudabilem fidem in eo, fuiſſe dicamus, qui, ſi ad mortem uſque dubius hærens & anceps Chriſtianorum ſacra non ſuſcepit, ea non tam neglexiſſe, quam contempſiſſe manifeſtò convinceretur. Nam fides cujuſpiam in extremis baptizati qualis cenſeri debeat, (*b*) Patres Concilii Neocæſarienſis definierunt: *Si quis in ęgritudine conſtitutus, fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet; non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt*. Quamobrem nec Conſtantini in ultima ægritudine conſtituti & baptizati fides voluntaria, ac laudabilis cenſeri poteſt.

(*a*) Valeſ. in not. ad cap. 62. l. 4. de Vita Conſt.

(*b*) Can. 12.

XXIV. Deinde poſſunt verba Ambroſii ſignificare, quod Conſtantinus, ab Arianis deceptus, & more eorum iteratô bapti-

baptizatus crediderit, hâc iteratione peccatorum remiſſionem conſequi poſſe, quod quidem alienum foret ab Eccleſia, ac propterea S. Pater dubiè admodùm loquitur de Conſtantini baptiſmo, quem nullatenus laudat, ſed potiùs ab eo abhorrere videtur. Sed in hoc ſenſu, rurſum cum Baronio, verba illa admitti non poſſunt; quomodo enim baptiſmatis gratia ipſi omnia peccata dimiſiſſet, & magni meriti locum reperiſſet, ſi fidem ſuam contaminâſſet per iteratum baptiſmum? Et quomodo Pius Theodoſius in Regno Domini Conſtantino adhæret, ſi Conſtantinus, non ut Theodoſius, propter fidem ſimul atque propter baptiſmum verum ac unicum, eſſet laudandus?

XXV. Porrò ſi ultrà inſiſtis, & verba Ambroſii non in eô ſenſu, perinde ac ſi ad Conſtantini deſperatam lepræ ægritudinem alluſiſſet, admittis; ſed de baptiſmo Nicomedienſi qualicumque intelligi contendis, nihil pariter evincis. Ipſe enim ex Papebrochio & Pagio affirmas, S. Ambroſium habuiſſe fidem Euſebio, id eſt, vitæ Conſtantini Auctori, quod verum eſt, quia aliter Ambroſius ſcire haud potuit in Occidente, quæ contigerunt, & ſcripta ſunt à præfato Auctore in Oriente. Cum autem Auctor ille ſubreptitius, & ut doctiſſimus Gothofredus ait: *Euſebius hic Cæſarienſis jam olim falsò creditus*, ſit, cui hac in quæſtione, tempore Ambroſiii nondum agitatâ, factum credere potuit S. Epiſcopus, ut narratum ab Epiſcopo falſi nominis non ſancto fuerat, manifeſtum ſit, argumentum ex dubiis S. Ambroſii verbis deſumptum, nullam omninò auctoritatem habere. Ariani enim Scriptoris impoſturâ à Baronio atque aliis detectâ, atque obſtructô, vel potiùs exſiccato primario mendaciorum fonte, ex quo diverſi rivi fluxiſſe reperiuntur, pariter & iſti exhauſti eſſe noſcuntur. Unde nullam prorsùs fidem merentur illi, quicunque poſt Auctorem de Vita Conſtantini de baptiſmo ejus Nicomedienſi videntur ſcribere, aut expreſsè ſcribunt, cum omnium primus ille, utpote Auctor coævus, rem memoriæ prodiderit, à quo reliqui ſua hauſerunt.

Digitized by Google

XXVI. Si itaque verba Ambroſii ex Auctore de Conſtantini vita deſumpta, nonniſi de baptiſmo Nicomedienſi accipi debent, veniam à S. Patre rogat (*a*) Baronius, ut ipſi dicere liceat, quòd haud mirum videri debeat, Ambroſium in his recenſendis errare potuiſſe, quæ ſunt facti; qui & in eo, quod poſt hæc accidit, nempè de inventione Crucis, paulò inferius contra omnium Latinorum & Græcorum, ab omnibuſque receptam ſententiam, dicat, Crucem Chriſti à Latronum crucibus ex titulo ei affixo eſſe cognitam: cum omnes teſtentur, titulo ſeorſim poſito, ex miraculo eſſe demonſtratam: Et eam ob cauſam viri docti, qui narrationem de baptiſmo Nicomedienſi attentiùs expenderunt, ac nonniſi ut figmentum exploſerunt, ipſum Euſebium Pamphili, qui morienti Conſtantino nequaquam adfuit, ſed ex auditis rem narraſſet, ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo fuiſſe deceptum, arbitrati ſunt. Sic Melchior Canus Criticorum peritiſſimus, in præſentem quæſtionem ait (*b*) *Euſebius porrò Pamphili, vel, quia Euſebio Nicomedienſi, cęteriſque amicis credulum ſe prębuit, vel quia ſectam, cujus apertiſſimus propugnator erat, hac laude, & gloria voluit ornare, ejus fabulę primus Auctor Chriſtianis fuit. Huic enim ſcribenti Hieronymus* (adde, ſi æquum exiſtimas, & Ambroſius) *ac reliqui auctores crediderunt.* Sed neque Euſebio, Pamphili, ut ex alibi dictis patet, ſed Pſeudo-Euſebio, ac indubitato Impoſtori Euſebiano, hos credidiſſe, potiùs dicendum eſt.

(*a*) Ann. 324. n. 50.

(*b*) Can. de hum. hiſt. Auctorit. l. 2. c. 15.

XXVII. Non igitur mirum tibi videri debet, S. Ambroſium cujus ambiguum teſtimonium pro tua parte adduxiſti, in errorem & fraudem induci potuiſſe ab Ariano Scriptore in hiſtoria humana. (*c*) *Omnis enim hiſtoricus*, ut Eminentiſs. Cardinalis Gotti ad rem diſertè ait: *Pręter Auctores Sacros, homo eſt, loquitur ut homo, & ſpiritu proprio, ſeu humano; ergò poteſt falli, & fallere. Inſuper nec omnia, quę ſcribit, propriis oculis vidit, ſed ex aliorum dicto, à quibus facilè poterat decipi, multa accepit.* Sed de textu Ambroſiano, quò baptiſmum Nicomedienſem aſtruere perperàm niteris, hactenùs dicta ſufficiant.

(*c*) Gott. de loc. Theol. qu. 3. dub. 11. §. 2. n. 4.

Digitized by Google

Euseb. Nihil hucuſque dixiſti de teſtimonio S.Hieronymi. Quid eſt, quod in eo reprehendas?

Silvest. Varia ſunt, & quidem ſpeciali ac prolixâ diſcuſſione digna, quæ tibi opponam. Si placet, in alium diem hæc diſcutienda reſervemus.

Euseb. Placet. In omnibus enim voluntatem meam ad tuam, ſi modo litterarias lites excipias, conformo.

COLLOQUIUM XV.

De vulnerato, mutilo, ac rursùs interpolato S. Hieronymi in Chronico textu, pro Confirmatione Baptiſmi Nicomedienſis, adducto.

Silvest. Præſtò ſum Euſebiane. Proferas, quæſo, S.Hieronymi teſtimonium, quod in hodiernum diem diſcutiendum reſervavimus.

I. Euseb. Exequar, quod jubes; ſic illud ſonat: *Conſtantinus extremo vitę ſuę tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat: à quo uſque in præſens tempus, Eccleſiarum rapinę, & totius Orbis eſt ſecuta diſcordia.* Ecce quid clarius, quid illuſtrius hoc teſtimonio, quô S. Pater Hieronymus Conſtantinum noſtrum in fine vitæ Nicomediæ baptizatum luculenter teſtificatur?

II. Silvest. Mirari ſatis non poſſum, quod depravatis & partim falſis ac contradictoriis: pártim etiam abſurdis textus hujus verbis ſententiam tuam ſuperſtruas. Quid abſurdius téſtimonio iſto?

Euseb. Annon piaculum, teſtimonium S. Patris dicere abſurdum?

III. Silvest. Quis unquam aſſerere auſus eſt, M.Conſtantinum Piiſſimum Principem in extremô vitæ in Arianum dogma declinaſſe, à fide Catholica defeciſſe, & Nicomediæ Arianorum more rebaptizatum cum Arianæ hæreſeos infamia

Digitized by Google

deceſſiſſe ? Annon igitur abſurdum & planè deteſtabile, cùm dicas, hoc à S.Patre Hieronymo affirmari?

IV. Euseb. Affirmat S.Pater Conſtantinum baptizatum, non item rebaptizatum.

V. Silvest. Nec unum, nec alterum affirmat ; nam textus inſigniter corruptus & interpolatus eſt ; qui propterea pridem à Viris doctis, ut ſpurius, rejectus fuit.

VI. Euseb. Falleris. Eſt hoc commune mecum ſentientium aſſertum. Siquidem Hieronymi verba, inquit (a) Schelſtrates, adeò clara ſunt, ut Severinus Binius nihil aliud opponendum habuerit, quam ſubreptitium eſſe, & ab alio potiùs, quam à S. Hieronymo ſuppoſitum. Verum cum abſque ullo penitùs fundamento aſſeratur, hæc in Chronico D. Hieronymi ſuppoſita eſſe, manet teſtimonium inconcuſſum, & auctoritate D. Hieronymi fultum. Ità Schelſtrates.

(a) de Baptiſ. Conſt. diſſert. 3. cap. 6. apud Rocabert. Bibl. Max. Tom. 21. p. 327.

VII. Silvest. Quàm turpiter corruptum, mutilatum, ac demum iterum, taliter, qualiter refectum fuerit Hieronymi Chronicon, præſertim textus, de quo loquimur, dicam poſteà. Modo, ut ſingula textus verba explices, veramque eorum ſignificationem afferas, peto.

VIII. Euseb. Nihil aliud ſignificat Hieronymus, quàm Conſtantinum inclinare viſum eſſe in eorum ſententiam, qui *ὁμουσίῳ* vocabulo abſtinendum cenſebant, non ut hæretico, ſed ut novo, ideoque ſcandalum generante apud eos, qui Nicænæ fidei omninò ſe adhærere profitebantur, perſuadebantque Imperatori, ut crederet, eos qui vocabantur *Ariani*, voce illa ſuppreſſa, ad concordiam redituros. Talium enim, non verò ipſorum Arianorum tunc Princeps erat *Euſebius* Nicomedienſis, poſt obitum Conſtantini primùm ad Arianorum partes apertiùs tranſgreſſus.

IX. Silvest. Qui ſunt illi, qui *ὁμουσίῳ* vocabulo abſtinendum cenſebant? nonne ipſiſſimi erant Ariani, quos tamen diſtinguis ab Arianis. Vocabulum illud ſtabiliverunt Sanctiſſimi Patres Nicæni, & nemo niſi hæretici Ariani cenſuerunt, poſt Concilium Nicænum, illô abſtinendum, & nonniſi

Aria-

Arianis generavit ſcandalum vox illa, quâ ſuppreſsâ non ad aliam, quàm ad Arianorum concordiam cunctos, atque ipſos etiam Catholicos redituros ſperabant. Quod verò dicis, Conſtantinum inclinare viſum eſſe in eorum ſententiam, qui ὁμοουσίου vocabulum abrogandum cenſebant, ideſt ut hæretici, & Ariani, rursùs falſiſſimum eſt, cùm juxtà omnes certum ſit, vivente Conſtantino Arianos ne muſſitare quidem fuiſſe auſos, de illius, ſive *Conſubſtantialitatis* vocabuli abrogatione. Nec verum eſt, Euſebium Nicomedienſem *talium*, ideſt alterius, non Arianorum factionis Principem extitiſſe. Ex quibus patet, quam longiſſimè ſententiam tuam à verò recedere. Alium proinde verba Chronici Hieronymiani ſenſum faciunt; illum ſcilicet quem Colloquio II. fuſius adduxi; ubi eorum, qui Imperatorem noſtrum Nicomediæ *rebaptizatum* arbitrantur, quos inter præcipui Schelſtrates & Havelburgenſis Epiſcopus, argumenta jam tunc delibavimus, nonnulla verò, præſertim ex Schelſtrate, pro iſto Colloquio reſervata, nunc trutinabimus.

X. Explicuiſti quidem textum Hieronymianum, ſed parum ad rem. Schelſtrates meliùs verborum ſenſum tangit, qui locum ſic explicat: (a) „ Silentio, inquit, obvolverat „ Euſebius, quinam Conſtantinum baptizarat, at illum in „ memoriam revocat S. Hieronymus. Scripſerat Euſebius „ Conſtantinum per baptiſmum in fine vitæ à peccatis liberatum, & de cœleſti gratia gaviſum; at Hieronymum, qui „ tàm conſtanter Euſebium ſequi ſolebat, tantum abeſt, hic „ fidem ipſius amplexum fuiſſe ut potiùs contrarium prædicet, & hoc baptiſmo Conſtantinum in deteriora lapſum inſinuet. Notanda ſunt (pergit Schelſtrates) verba Hieronymi; quantum enim ex toto contextu apparet, *Conſtantinus* „ *ab Euſebio Nicomedienſi baptizatus, ad dogma Arianum declinat in extremo vitæ*; at quæſo, quonam dogmate Ariano „ tunc potuit maculari Conſtantinus. Sanè damnatione Athanaſii non potuit, quia nec illa dogma fuit, nec in extremo „ vitæ Conſtantini contigit; ſed anno integro ante obitum,

(a) Schelſtrat. loc. cit. ſup. n. 329.

& mor.

„ & morbum lethalem: errore circa filii Divinitatem quoque „ maculari non potuit, cum illi ſemper Conſtantinum reſti- „ tiſſe certum ſit; hoc propriè voluerint P.Ariminenſes ſuprà. „ Communione etiam Arianorum tunc non potuit maculari, „ quia ſic non in fine vitæ ſed toto vitæ tempore, quo cum „ Euſebio, communicarat, redarguendus eſſet, cui ad- „ de hanc communionem non rectè vocari Arianorum dogma, „ in quod circà finem vitæ lapſum fuiſſe Conſtantinum, ſcri- „ bit Hieronymus. Aliud itaque dogma eſt, quod teſte Hie- „ ronymo in *baptiſmo* conſiſtebat: *baptizatus ad dogma Aria-* „ *num declinat*. Legit verò Marianus Scotus in Chronico, „ quod An. 1083. conſcriptum ex Bibliotheca Gemblacenſi „ ad ſe miſſum teſtatur Aubertus Miræus, *rebaptizatus* ad „ dogma Arianum declinat. Idem annotat Miræus in Chroni- „ co Euſebii & Hieronymi à ſe edito, & hoc ſenſu neque alio „ verificari videntur verba D.Hieronymi. Enim verò dogma „ Arianum fuit, ſi non tempore Hieronymi, rebaptizare Ca- „ tholicos; cumque Euſebium Arianum fuiſſe conſtet, nihil „ vetat rebaptizatum ab eo Conſtantinum. Hucuſque Schel- ſtrates, cujus explicatio cuivis veriſſima videri debet; quale enim aliud dogma, niſi *baptiſmus*, quorum utrumque verba expreſsè indicant. Et quomodo aliter Conſtantinus in Aria- norum dogma declinaſſe dici poſſet, niſi propter baptiſmum, quem, ut verba volunt, ſuſcepit ab Euſebio Epiſcopo Ariano. Ex quo conſequimur, quòd ſi vera eſſent, quæ referuntur in Hieronymi Chronico, neceſſariò ſequeretur, ut Colloquio XI. num.23. & ſequentibus de Miniſtro agens, inſinuavi, Con- ſtantinum ab Euſebio rebaptizatum, & in fine vitæ factum fuiſ- ſe Arianum.

XI. Euseb. Hoc nunquam admiſi; quin imò S. Hierony- mo aſſerenti Conſtantinum ab Euſebio fuiſſe rebaptizatum nul- latenus aſſentior, eò, quod Vitæ Conſtantini Auctor nullibi referat, à quo fuerit baptizatus.

XII. Silvest. Nec ego admitto Conſtantinum Nicome- diæ rebaptizatum; nego autemettereà eum ibi baptizatum.

Hoc

Hoc enim admiſsô, verba Chronici Hieronymi negari non poſſunt, quæ nimis clarè Vitæ Conſtantini Auctoris ſenſum exprimunt. Etenim id unum egit, ut Conſtantinum Nicomediæ rebaptizatum & Arianum factum demonſtret. Cui invitus & gemebundus ſubſcribit S. Iſidorus, dum eadem Chronici Hieronymi verba recitans in fine exclamat: *Conſtantinus autem, in extremo vitæ ſuæ ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianum dogma convertitur. Heu, proh dolor! bono uſus principio, & fine malo*. Quare argumentum potius in te retorqueri poteſt; ſi enim baptiſmus Nicomedienſis ab incerto Auctore Vitæ Conſtantini deſcriptus, unicus, verus, bonus ac legitimus fuit; cur Sancti Patres, quorum teſtimonia in confirmationem tuæ ſententiæ adduxiſti, eundem reprobant & deteſtantur? Cur Conſtantinum Arianæ hæreſis infamiâ notant? Cur, quæſo, S. Iſidorus propter baptiſmum ab Euſebio Nicomedienſi adminiſtratum Conſtantinum bono uſum principio & fine malo deplorat? Cur Chronicon S. Hieronymi hunc baptiſmum damnat, & Arianum dogma vocat? Cur S. Pater Ambroſius, cujus verba, in hanc partem trahis, baptiſmum illum non laudat? Hic profectò tibi aqua hæret, nec viam Sanctos iſtos Patres cum tua ſententia conciliandi invenis. Dicam ego, cur in acerba adeò verba proruperint. Noverant nimirum Viri Sanctiſſimi Ambroſius & Iſidorus: item Chronici Hieronymiani interpolator, Conſtantinum pridem antè Romæ ſacris undis ritu Catholico baptizatum. Cùm verò in quatuor libris Vitæ Conſtantini, qui ſpecioſum Euſebii Pamphili nomen & titulum præſeferebant, legerint, vel ab aliis audierint, eundem in mortis quoque articulo Nicomediæ lavacrô tinctum, aliud inferre non poterant, quàm Conſtantinum ſecundò baptiſmatis aquis ablutum, vel verius inquinatum fuiſſe.

XIII. Euseb. Ut ut ſit, conſtanter tamen nego, receptum apud Arianos Conſtantini tempore dogma fuiſſe rebaptizationem; ex quo ruit aſſertum tuum, Conſtantinum dici potuiſſe ab Arianis rebaptizatum. Sic ferè omnes recentiores me-

mecum cenſent, prout Colloquio II. N. IX. oſtendi, videlicet, Sanctos Patres, & præſertim S. Athanaſium id Arianis non exprobraſſe, nec referre iterationem baptiſmi inter eorum errores. Dixi præterea ante Vvandalicam perſecutionem, ab Arianis non fuiſſe tentatam & uſurpatam hujuſmodi rebaptizationem, undè falſiſſimum eſt, quod Schelſtrates ait: ex eo quod conſtet, Euſebium Nicomedienſem Arianum fuiſſe, nihil vetare rebaptizatum ab eo Conſtantinum.

XIV. Silvest. Licet aſſertum Schelſtratis locum non habeat in Conſtantino, tamen verum eſt, quod ait de uſitata Arianorum rebaptizatione. Nam Catholicos ab Arianis fuiſſe rebaptizatos, & quidem ab hujus hæreſeos Origine ante Vvandalicam perſecutionem certum eſt; quod Valeſius & alii affirmant. (*a*) *Ariani enim*, inquit laudatus Valeſius, *Catholicos ad ſe venientes rebaptizabant, ut notum eſt*. (*b*) Baronius, *Arianos enim*, ait, *baptizatos in fide Catholicâ, rebaptizare conſueviſſe, exemplis mille ac teſtibus exploratiſſimum eſt*. Nec Em. Cardinalis Gotti ab hac ſententia abhorret inquiens: (*c*) *Rebaptizare ergò Arianos conſueviſſe crederem, quia baptiſmum eſſe iterabilem putarent, eique ex opere operato vim ſalutis affixam*. Quod & ipſe (*d*) Schelſtrates contrà Chriſtianum Lupum pluribus probat.

(*a*) Valeſ. in not. ad Sozom. lib. 6. cap. 26. p. 144.
(*b*) An. 324. num. 47.
(*c*) Gott. de hæreſ. IV. ſec. c. 45. §. 5. n. 18.
(*d*) Differt. 5. de baptiſm. Conſt. ut ſuprà num. 330.

XV. Præterquam enim quod ſufficiat pro teſtimonio Chronici Hieronymiani, hoc dogma de rebaptizatione ſuo tempore fuiſſe propugnatum, ſciendum eſt, non ſolos Donatiſtas olim in Africa rebaptizaſſe, ut exclamat Magnus Auguſtinus, eos arguens in Pſalmo contra partem Donati, quod Donatum imitentur, *qui ubique victus cæpit Chriſtianos ubique rebaptizare*, ſed etiam Novatianenſium Schiſmaticorum imitatores Arianos, ut lucidè teſtatur idem D. (*e*) Auguſtinus dicens: *ab Arianis rebaptizari Catholicos, novimus, utrum & non Catholicos, neſcio*. Et ignotus Authenticus ſcripti fidei Breviarii Auctor, quem Valeſius in prædictum Sozomeni locum, & Schelſtrates citant, inquit: *Ariani, ſi quos de noſtris ſeducere poſſunt, inconſideranter rebaptizant*. Idque juxtà do-

(*e*) Lib. de hæreſ. c. 48.

doctrinam Donati præfati Epiſcopi Carthaginenſis & Donatiſtarum Coryphæi, qui de Sanctiſſima Trinitate haud rectè ſenſit, ſed eundem errorem de Trinitate, uti Arius, quocum fœdus iniit, habuit. Sic de Donato ſcribens (*a*) S. Hieronymus: *Extant ejus*, inquit, *multa ad ſuam hæreſim pertinentia, & de Spiritu Sancto liber, Ariano dogmati congruens*. Et (*b*) S. Auguſtinus de Donato: *Verum*, ait, *in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem, Donatiſtarum multitudo intenta non fuit*. Quare Concilium Arelatenſe propter Afros Donatiſtas hanc legem ſtatuit: (*c*) *De Afris, qui propria lege ſua utuntur, ut rebaptizentur, placuit, ſi ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes Symbolum: etſi perviderint, in Patre Filio & Spiritu Sancto eos baptizatos, manus eis tantum imponatur, ut accipiant Spiritum Sanctum. Quòd ſi interrogati non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur*. Sed Donatiſtarum etiam poſt mortem Arii fideles amici & fratres fuerunt Ariani, quod præter alia, præſertim ex eorum Pſeudo-Synodica Sardicenſi Epiſtola ad Africanos ſcripta patet.

(a) de Script. Eccl. in Donat.

(b) de hæreſ. c. 69.

(c) Concil. Arelat. Can. 8.

XVI. Cùm ergò Donatiſtæ, & ante eos (*d*) Marcioniſtæ quoque & Novatiani cum Cataphrygis Anabaptiſmum introduxerint, & in more habuerint, etiam Catholicos rebaptizare, explodenda eſt eorum opinio, qui olim aſſeruerunt, Eunomium Arii ſucceſſorem ejuſque hæreſis reformatorem hujus rei extitiſſe Auctorem. Verior enim eſt eorum ſententia, qui apud Sozomenum aſſerunt: (*e*) *Eunomium nihil in hac re novaſſe, ſed de ea idem ab initio quod Arius ſenſiſſe, inque illa ſententia permanſiſſe*. Arianos itaque rebaptizationis dogma à ſuæ hæreſis Auctore accepiſſe, & ab iis, etiam ante Vvandalicam perſecutionem, Catho[illegible]os fuiſſe rebaptizatos, extrà dubium eſt. Nam S. Ambroſius, qui longè antè perſecutionem illam, & quidem primo Arianorum ſeculô vixit, exprobrat Arianis hunc errorem, dum in ſermone adversùs Valentiniani ſecundi de tradendis Baſilicis Edictum, agens de Auxentio in Mediolanenſem Eccleſiam intruſo Arianorum

(d) Epiphan. hæreſ. 42.

(e) Sozom. lib. 6. c. 26. p. 677.

Digitized by Google

(a) Ambroſ. ſerm. adv. Valent.

Epiſcopo, quærit: (a) *Cur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis?* Et liber Pontificalis in Liberio Papa, tractans de Conſtantii Ariani Imperatoris in laudatum Pontificem tentamentis, circà rebaptizationem, teſtatur Liberium quidem ſubſcripſiſſe damnationi S. Athanaſii, non tamen rebaptizatum fuiſſe. Quod idem liber, & Catalogus ſecundus Pontificum in Felice Papa, atque ejuſdem Sancti Pontificis Acta apud Mombritium de Conſtantio Imperatore affirmant, eum nempe à Felice fuiſſe declaratum hæreticum & *ſecundo rebaptizatum*.

XVII. Sed objicis ſilentium S. Athanaſii, qui Arianis non exprobrat, nec, uti dicis, inter eorum errores iterationem baptiſmi refert. Quid S. Pater de Arianorum baptiſmate ſcribat, percipe: (b) *Ariani autem*, inquit, *in periculum veniunt, ne amittant integritatem myſterii: loquor autem de baptiſmate. Si enim in nomine Patris & Filii datur perfecto, plenaque initiatio: Patrem autem verum illi non pronunciant, eò quod negent aliquid ex ipſo exiſtere & ſimilem eſſe illius ſubſtantiæ; negantque verum filium, aliumque ex non entibus conditum ſibi comminiſcentes in baptiſmate proferunt: qui, quæſo, igitur, non plane vanum ac inutile fuerit baptiſma, quod ab illis datur, cum nonniſi ſpecies ſit & inane ſimulacrum, ipſiſque ea re nihil ſolidæ opis afferant ad pietatem? Non enim in Patre & filio tribuunt baptiſma Ariani, ſed in Creatore & Creatura, in factore & factura*. Ex quibus palam fit, Catholicorum baptiſmi formam, ſub invocatione SS. Trinitatis, fuiſſe penitus repudiatam ab Arianis jam initio ſuæ ſectæ; atque ſi Catholicorum quempiam ad illos tranſire contigiſſet, rebaptizatum eſſe juxtà eorum formam, quam & non aliam exiſtimabant validam. Id quod ampliùs confirmant illa, quæ Colloquio XII. num. XXII. ex Valeſio & Hieronymi Chronico retuli. Ubi Sacramentum etiam Ordinis a Catholicis collatum Arianos repudiaſſe, ſuoque modo iteraſſe, dixi.

(b) S. Athan. ſerm. 3. Cont. Arian.

XVIII. Ex quibus illud ſequitur, quòd, cùm conſtan-

ter,

Digitized by Google

ter affirmes, M. Conſtantinum in fine vitæ Nicomediæ baptizatum, improbare non poſſis aſſertum eorum, qui Imperatorem noſtrum *rebaptizatum* putant; quam ſententiam olim ab Anſelmo Havelburgenſi defenſam, Schelſtrates reſuſcitavit, & pluribus illuſtravit. Et profectò textum Chronici Hieronymiani haud aptiùs, quàm de rebaptizatione, ut Schelſtrates, explicabis, & quidem rectè ad ſenſum Auctoris de Vita Conſtantini, qui ſe ipſum teſtem præbet de hoc Arianorum errore, & nihil aliud vult, quàm Conſtantinum Nicomediæ rebaptizatum. Cùm autem S. Athanaſius de Arianorum baptiſmate dicat; *planè vanum ac inutile fuerit baptiſma, quod ab illis datur, cùm nonniſi ſpecies ſit & inane ſimulacrum*, quomodo tu, qui cæteroqui juxtà communem ſenſum Eccleſiæ Conſtantinum Magnum, Pium ac Catholicum deceſiſſe, optimè defendis, hoc plane vanum ac inutile Arianum baptiſma ſub finem vitæ ſuſcepiſſe contendere audes?

XIX. Euseb. Quod S. Hieronymus in Chronico addit Conſtantinum *in Arianum dogma declinâſſe*, falſum eſſe contendunt, qui meam ſententiam propugnant: ſed non ideò falſum eſſe dicunt, quod ejus de baptiſmo refert his verbis: *extremo vitæ ſuæ tempore baptizatus*. In hoc enim veteres omnes conſentientes habet: at in altera aſſertiones parte eoſdem habet adverſarios præcipuè SS. Athanaſium, Hilarium & Epiphanium.

XX. Silvest. Cave, ne nimium probes. Habet Hieronymus circà primam partem paucos, ſi cum meis conferantur, ſui ſequaces, ex Græcis Auctorem Chronici Alexandrini, Socratem, Theodoretum, Sozomenum & Gelaſium Cyzicenum: ex latinis SS. Proſperum & Iſidorum Hiſpalenſem, Pomponium Lætum, & forſan Ambroſium, demum Cuſpinianum. Verum iidem, quoad alteram aſſertionis partem Hieronymo adverſantur, quippè, qui cum Eccleſia tam Græca, quam Latina Conſtantinum poſt mortem Pium & Religioſiſſimum Principem deprædicarunt. Annon propterea hæc altera aſſertionis pars non tàm ab Hieronymo, ut putas, quam à

quopiam alio ſuperaddita & ſuſpecta, imò totus paragraphus ab impuro mendaciorum fonte fluxiſſe, tibi videri debet? Cujus ergò Auctoritatis eſt Hieronymi Chronicon, cui tu ipſe in producto textu de Conſtantiniano baptiſmo fidem derogas? dicens, partem alteram, cui omnes adverſantur, fuiſſe additam ab Hieronymo; quod quidem veriſſimum eſt, textum accepiſſe additamentum; an verò ab Hieronymo vel potiùs ab alio, incompertum habetur; ideoque nunc diſcutiendum.

XXI. Doctiſſimus Genebrardus in ſua Chronographia cenſet, S. Hieronymum deceptum eſſe vicinia nominis, & falſo rumore: ſibi enim in terræ angulo poſito (ut ipſe S. Pater loquitur) multa ignota fuiſſe fatetur; itaque quod de Conſtantio filio dicebatur, id traduxit ad Patrem: ille enim in extrema ætate fuit rebaptizatus. Ità Genebrardus; cujus ſententia non planè à vero abhorret, præſertim dum dicit, deceptum eſſe Hieronymum ex falsò rumore: nam libri quatuor de Conſtantini vita, ex quibus notitiam haurire potuiſſet Hieronymus, ignoti ipſi fuerunt, nam eorum inter reliqua Euſebii Pamphili opera non meminit. Baronius, Binius Dominicus Segneri & alii cenſent, textûs totius verba ſubreptitiè ab extraneo addita, nec eſſe aſſertum Hieronymi, cùm, ut ait laudatus Segneri, in contrarium citetur in Epiſtola quadam ad Euſtochium, ubi de Vinculis Petri agens ità refert: (a) *Quouſque ad Magni Conſtantini Imperium ventum eſt: qui poſtquam dignatione ſuperna, per Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum viſitatus, & per Silveſtrum Papam baptizatus eſt, &c.* His conformiter & Chronico in contrarium citatur S. Hieronymus in Pſal. 138. à Labbeo & Harduino de Conciliis, in utraque editione, in notis ad Conſtantinianæ Donationis Edictum. Quare, cùm Conſtantinus in hac Epiſtola à Silveſtro Papa: & in Chronico ab Euſebio Nicomedienſi dicatur baptizatus, evidens conficitur argumentum ex ſolius S. Hieronymi teſtimonio, Conſtantinum in fine vitæ fuiſſe rebaptizatum; cui aſserto, ſi textus Chronici ſubreptitius & ab alio ſuperadd itus non eſt, refragari non potes.

(a) Hier. Ep. 55. ad Euſtoch.

XXII. Eu-

XXII. Euseb. Stomachum mihi moviſti argumento tuo. An neſcis Epiſtolam de Vinculis Petri eſse fictitiam, & Hieronymo falsò adſcriptam, quam Eruditi communiter explodunt, eamque nuper Em. (*a*) Cardinalis Gotti explodendam cenſuit. (*a*) Tom. V. de geſt. Pet. & Paul. c.1.§.15. num.5. p.104.

Silvest. Eccur cenſent Viri Eruditi Epiſtolam illam fictitiam?

XXIII. Euseb. Quia dicitur in ea, Feſtum Vinculorum S. Petri inſtitutum & Eccleſiam fabricatam fuiſse à Conſtantino Magno ſub Silveſtro, quæ nullum fundamentum habent, & quia his contrariantur ea, quæ de S. Petri Vinculis in Romano Breviario ex antiquis monumentis recitantur.

XXIV. Silvest. Ergò propter Vincula Petri, non item propter baptiſmum à Silveſtro Conſtantino collatum, fictitia dicitur illa Epiſtola. Atqui nec alibi uſpiam ea dicitur, aut cum veritate dici poteſt fictitia, propter baptiſmum Conſtantini, maneret igitur verum, quòd, ſi verba Chronici Hieronymiani vera ſunt, Conſtantinus in fine vitæ ex teſtimonio S. Hieronymi rebaptizatus eſset.

XXV. Euseb. At hæc ipſa narratio de baptiſmo Romano dicitur in hac Epiſtola, atque alibi communiter fictitia, cui nec ego fidem adhibeo.

XXVI. Silvest. Si fidem non adhibes Epiſtolæ, quam viri docti fictitiam dicunt, rectè quidem fors quoad Auctorem, falsò tamen quoad hiſtoriam de baptiſmo Romano in ea contentam, quomodo fidem adhibere poteris Chronico Hieronymiano, quod etiam viri docti non tantùm ſuſpectum reddunt, ſed corruptum, mutilatum & adulteratum palam dicunt, quin imò textum ipſum, quô baptiſmum Nicomedienſem aſtruis, corruptiſſimum demonſtrant.

Euseb. Hoc, ni probaveris, non credam.

XXVII. Silvest. (*b*) Illuſt. Blanchinus ait: *Auctores muſſitant interpolatum fuiſſe utrumque opus Euſebii, tum Chronicon ſcilicet, tum hiſtoriam*; quod ipſum Chronicon Hieronymianum eſt, quodque Hieronymus Latinum dedit, & ad (*b*) In not. ad Anaſt. Bibl. in Silveſt.

ſua-

Digitized by Google

ſuauſque tempora perduxit. Qui autem illi ſint, qui muſſitant, ità quidem ut clarè intelligantur, paucis indicabo.

(a) in voce διόδωρος.

XXVIII. (*a*) Suidas ait: Diodorus Monachus, qui Epiſcopus fuit Tarſi in Cilicia temporibus Juliani ac Valentis. Hic multa ſcripſit opuſcula, ut refert Theodorus Lector in Eccleſiaſtica hiſtoria. Ex quibus hæc ſunt: *Chronicum in quo Euſebii Pamphili in digerendis temporibus error caſtigatur.*

(b) in not. ad Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. c. 8.

XXIX. (*b*) Joannes Ludovicus Vives: *Depravatiſſima* (Euſebii & Hieronymi) *Chronicorum Canonum hiſtoria, corruptis nominibus, & rerum Ordine luxato, imperitiâ deſcribentium Librariorum, quibus non facile fuit ſervare collationes illas temporum. Nec hujuſmodi vitia deprehenduntar, caſtiganturque, niſi à conſultiſſimis antiquitatis: ideò rudes plerumque illis capiuntur.* (c) Idem alibi: *In eo Euſebii opere, ut ſi in quo alio, tales errores ſunt creberrimi, haud parvo periculo legentium, etiam interdum eruditorum.*

(c) ad ejuſd. lib. c. 31.

(d) in Sext. Ruf. & in Caſſiodor.

XXX. (*d*) Joannes Cuſpinianus inquit: *Omnia eſſe depravata, plena errorum, & vix umbram Euſebii nos habere.* (*e*) Idem exiſtimat *Chronicon Euſebii eſſe mutilum & laceratum.* (*f*) Idem de eodem Chronico: *Sine dubio errore non caret, vitio librariorum. Nam columnę annorum, & res geſtę ſunt tranſpoſitę, & rariſſimè conveniunt, quod à paucis eſt animadverſum hactenùs, & ideò cautè legendus eſt Euſebius.*

(e) ibid. in Caſſiodor.

(f) in Caſſiodor. p. 14. & 213.

(g) lib. 11. c. 6.

XXXI. (*g*) Melchior Canus: *deſcribentium incuria, adeò multis locis vitiata ſunt,* (Euſebii Chronica) *ut dici ſine animi dolore non queat.* Item, ad hæc *natatore Delio opus eſſe*; quod idem dicunt Papus in hiſtoria Eccleſiaſtica, & Bibliander in Chronologia.

(h) An. 325. num. 215.

XXXII. (*h*) Baronius: *Intelligi poteſt, atque pariter cognoſci, Chronicon quod extat, non eſſe illam ab Euſebio confectam Epitomen, ſed Chronicon hiſtorię mutilatum. At minimè recens Euſebii Chronicon ejuſmodi vulnus accepit, quod librariorum negligentiâ decurtatum conqueritur* (*i*) *S. Auguſtinus.*

(i) de Civitat. Dei l. 18. c. 31.

Digitized by Google

nus. Qui igitur Euſebii & Hieronymi Chronicon ſic decurtavit, & in aliam formam temerè commutavit; cùm ipſos Auctores in erroris ſæpè culpam adduxit, tum nobis de his differendis, arguendis erroribus, iiſdemque confutandis, atque emendandis & reſtituendis, planè incredibiles labores peperit. Et infrà (*a*) *Hęc igitur de Euſebii & Hieronymi Chronico diſſeruiſſe adſtrictos nos neceſſitate quâdam oportuit, adversùs eos, qui majorem nomini (minùs re ipsâ perſpectâ) quam veritati tribuunt auctoritatem.*

(a) ibid, n. 216.

XXXIII. (*b*) Vignier ait: *Euſebius adeò corruptus, ut non potuerit reſtitui niſi à doctiſſimis.* Reſtitutum hunc à ſe dicit (*c*) Vaſæus inquiens: *Euſebi Cæſarienſis Chronicon multis mendis, quibus ſcatebat, repurgatum & lectioni ſincerę reſtitutum, ex veterum Codicum, & pręcipuè Alcobacienſis Collatione propediem in lucem dabimus.* Verum num omni ex parte ſincera fuerit reſtitutio, aliis judicandum relinquo. Quantum enim in reſtituendo, emendendo & repurgando hoc Chronico Joſephus Scaliger, Arnaldus Pontacus, & Aubertus Miræus eruditorum præſtantiſſimi deſudârint, non ignoras. Quale autem iſti de hoc Chronico judicium ferant, & quid tandem de ejus reſtitutione ſit cenſendum, ex propriis eorum verbis collige.

(b) in Bibl. hiſtor.

(c) in Chron. Hiſpan. p. 436.

XXXIV. Scaliger in notis ad hoc Chronicon Græcum: *Multæ ſunt hallucinationes, multa peccata Euſebii. Nullus eſt Auctor; qui leviore ſtudio, & majore ſecuritate judicii lectorum ſcripſerit, quam hic noſter.* Idem in animadverſionibus ad Euſebiani Chronici Latini librum priorem: *Magis confirmatur ſuſpicio noſtra, Hieronymi hanc Epitomen eſſe eorum, quę primo loco tractabat Euſebius, ſed eam Epitomen ab otioſis hominibus temeratam fuiſſe. Multa enim habet, tàm à dictione Hieronymi, quàm ab ejus liberali ingenio aliena.* Rursùs idem in Prolegomenis ad Theſaur. temp. *Nullus enim liber tot mendorum monſtris deformatus, tot vitiis oblitus, tàm prodigiosè contaminatus in manus noſtras devenit, quàm ſunt illi Codices hujus Chronici tàm editi, quàm ſcripti.*

Digitized by Google

XXXV. Pontacus: (*a*) *Tantum abeſt, ut Chronicon Euſebii pervenerit ad nos mutilatum, quin auctius multo fuit, ſcilicet acceſſione eorum, quę in magna exemplarium parte deeſſe obſervavimus*. (*b*) Idem: *Obſervo pręterea ea de cauſa librum hunc adeò infamem, & exoſum multis redditum, ut nullius ferè fidei haberetur, ſed ab omnibus exploderetur, ac ſi alter eſſet Beroſus, aut Metaſthenes Annianus*. Idem ibidem: *Jam verò ſi quando ex varia lectione, quam obſervo in notis, quis putet plura debuiſſe mutari, ſeu in verbis ſeu in ſententiis, ſeu in ſede ſingulorum paragraphorum, aut verſiculorum, ſciat me meticuloſiorem haberi malle, quàm imprudentem vel audaculum. Ea enim nobis innata religio eſt, ut nonniſi certiſſimas caſtigationes auſi ſimus invehere, vel quicquam jam receptum immutare ab his, quę veteres libri ſuggerunt, quantum ſitus priſtinus vel lectio antiqua potuit tolerari, vel à libris vel à Scriptoribus, vel etiam ſenſus commodus potuit elici*. Quod item patet ex Auberti Miræi editione, quam is ex Scaligero & Pontaco emendans multis locis interpolavit.

(a) in Appatat. ad Chron. p. 19.

(b) In Præfat.

XXXVI. Quamvis autem laudati viri Doctiſſimi omnimodam in emendando Chronico Euſebii & Hieronymi impenderint operam, recentioribus tamen minimè ſatisfecerunt, quos inter (*c*) Schelſtrates, qui ait: „ Extant Euſebiani „ Chronici editiones quamplurimæ, in quibus annotantur an„ ni Chriſti, quos certum eſt nec ab Euſebio poſitos, nec à „ D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus nume„ randi, Auctore Dionyſio Exiguo, primum introductus ſit „ poſt Seculum V. tempore Juſtiniani Imperatoris. Et pau„ cis interpoſitis: Hinc & Euſebii Chronicon per annos Im„ peratorum exhibituri, certam juxtà ſententiam Euſebii „ Romanorum Pontificum Epocham figeremus, ſi certum & „ fidele Euſebiani Chronici exemplar nanciſci potuiſſemus. „ Verum cum Manuſcripta, quæ Romæ vidimus, recentiora „ ſint, & antiquiora alibi ſervata etiam varient in notandis Im„ peratorum annis, idemque obſervet Aubertus Miræus de „ MSs. Codicibus Aquicintinis, Ortelianis, & Lipſianis; quin

(c) Differt. 3. 3. de Antiqu. Rom. Pontific. Catal. c. 1. n. 4.

etiam,

„ etiam, cùm editio Arnaldi Pontaci Vazatenſis Epiſcopi ex
„ pluribus MSs. exemplaribus elucubrata à Scaligeri editio-
„ ne plurimum differat; patet profectò, vacillare Codicum
„ & editionum authoritatem, nihilque certi ex iis haberi poſ-
„ ſe: Et infrà: adeò ut ex his omnibus appareat, Chronicon
„ Euſebii valdè corruptum ad manus noſtras perveniſſe, ne-
„ que ab ipſo quidem Hieronymo, qui plura de ſe addidit,
„ fuiſſe plenè ab erroribus purgatum, aut veritati ſuæ ubi-
„ que reſtitutum. Hactenùs Schelſtrates; cui conſentit Pa-
„ gius in Præfatione Criticæ in Annales Baronii. Viderunt,
„ inquit, ante me aliqui Viri docti ad numerum Euſebianum
„ attendendum eſſe, methodumque tradidere, cujus ope
„ utroque Chronico ſine erroris periculo uti poſſemus. Ve-
„ rùm cùm illius methodi præcepta ſine temporis jactura ad
„ praxim reduci non poſſint, ea ab ipſis etiam inventoribus,
„ cùm utrumque Chronicon laudant, vix in uſum vocata.
„ Idem rursùs alibi: (a) Magnam à literatis gratiam is ini- (a) Pag.Crit. An.325.n.42.
„ ret, qui novam Chronici Euſebiani editionem adornaret,
„ illudque cum variis antiquis exemplaribus MSs. quæ ad-
„ huc Pariſiis alibique ſuperſunt, conferret ...... Editio enim
„ tam Pontacena quàm Scaligeriana valde imperfecta, ut
„ viris in Chronologia exercitatis notum. Hæc Pagius.

XXXVII. Euseb. Iſta, quæ hactenùs recenſuiſti, potiſſimum tantùm intelligenda ſunt de Chronico Euſebii, non item de Chronico Hieronymi, ac præcipuè, ut laudatus Pagius benè exprimit, tantùm de Chronologiæ, non item de hiſtoriæ aut verſuum, ſive paragraphorum corruptione. De Chronologia duntaxat loquitur Pagius, quod ſit valdè imperfecta.

XXXVIII. Silvest. Superfluum foret innumeros verſiculorum errores & diverſas Codicum lectiones, quas ipſi Curatores produnt, enumerare. Quod ex nonnullis eorum à me productis judiciis clarè patet. Ubi non tantùm de Chronologiæ, verum etiam de verborum, & paragraphorum corruptione clarè loquuntur.

Digitized by Google

Euseb. Sed hæc nondum probant, ipſum textum de baptiſmo Nicomedienſi eſſe corruptum.

XXXIX. Silvest. Rectè ais. Hoc nondum probavi. Sed ne triumphum canas ante Victoriam, idipſum nunc probare in animo eſt, ut videas quam mirè in hujus textus lectione Codices varient, qualemque tandem ipſi Editores, utpote æquiſſimi fideque digniſſimi rei æſtimatores ſententiam ferant.

XL. In vulgatis à Scaligero & Pontaco Chronici Hieronymiani exemplaribus æqualiter textus legitur his verbis: *Conſtantinus extremo vitę ſuę tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat: à quo, uſque in præſens tempus, Eccleſiarum rapinæ, & totius Orbis eſt ſecuta diſcordia*. Habet eadem Miræus, & ſolum in hoc, dum *in Arianorum dogmate* legit, variat.

XLI. Scaliger in hæc verba: *in Arianum dogma*, notat, inquiens: *De toto hoc negotio Conſule Nicephorum Calliſtum lib. 7. cap. 35. Unus ex PR.* (Prioris Exempli Codicibus) *eam periochen quidem habebat, ſed poſteà deraſa eſt ab eo, qui Arianiſmi infamiam à Conſtantino amoliri voluit.*

XLII. Miræus ad verba: *Conſtantinus extremo vitę ſuę tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus*, ſic notat: *In Mariani Chronico MS. legitur rebaptizatus*. Ad verba: *in Arianorum dogmate*, idem notat dicens: *Arianum dogma in aliis MSs.* In quodam ejuſdem Miræi exemplari, quod in Caſsanatenſi Bibliotheca ſuprà Minervam aſſervatur, manus quæpiam vocem *baptizatus* delevit, hancque corrigens in margine ſcribendo addidit: *deceptus, in Arianum declinat, & ab ipſo rebaptizatus eſt. Guill. de Nayes ad An.339.* Hæc illa manus.

(a) in not. ad Chron. Hier. p.703.

XLIII. (a) Pontacus in totum illum textum ſequentia notat: habent hoc idem Idacius, Marianus, ſeptem Vatica-
„ ni, (Codices) & omnes libri unà cum Contracto: Excipio
„ Alcobacienſe MS. ubi pro *Conſtantinus* legitur *Conſtan-*
„ *tius*; & unum ex Vaticanis, ubi *baptizatus Martyrium* (pro

„ *in*

Google

„ *in Arianum*) *dogma declinat*; & Marianum, ubi *Conſtantinus* „ *filius Conſtantini Magni extremo &c.* Excipio etiam Lodo- „ nenſe MS. ubi ex una ſententia fiunt duæ, ſpatiis, & ve- „ lut laterculis diſtinctæ; prior, *Extremo vitæ tempore ab* „ *Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus*: poſterior, & val- „ de diverſa ab aliis libris: *Euſebius in Arianum dogma de-* „ *clinat, à quo uſque in præſens tempus Eccleſiarum rapinæ,* „ *& totius Orbis eſt ſequuta diſcordia*. In quibus dum libra- „ rius ſtudet liberare Conſtantinum à macula hæreſeos, in- „ cidit in maximam abſurditatem, tribuens Euſebio Nico- „ medienſi, quod Imperatori ſoli convenire arguunt illa „ verba: *Eccleſiarum rapinæ & totius Orbis &c.* Hactenùs „ Pontacus.

XLIV. Ex quibus manifeſtum fit, & clariſſimè patet, quàm turpiter hic locus corruptus, luxatus, adulteratus ac rursùm interpolatus fuerit, ubi in ultimam Pontacenam notam animadverto, nullam prorsùs cenſeri debere abſurditatem, licèt verba *Eccleſiarum rapinæ & totius Orbis &c.* non ad Euſebium ſed ad Conſtantinum, referantur, quæ revera hunc Imperatorem non infamant, ſed potiùs à macula hæreſeos liberant, ac apertè probant, fidem Catholicam ab eo, quoad vixit, ſervatam, & econtrà Arianam hæreſim ſuppreſſam, quæ primùm poſt mortem ejus vires accepit, ex quo *Eccleſiarum rapinæ & totius Orbis eſt ſequuta diſcordia*. Quòd verò hæc verba potius ſoli Euſebio Nicomedienſi conveniant, apud me vix dubium. Non enim Conſtantini obitus, ſed hic Euſebius illius ſubſequutæ diſcordiæ cauſa extitit. (*a*) *Mortuo Imperatore*, inquit Socrates, *Conſtantino*, *Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicææ Epiſcopus, tempus opportunum ſe nactos arbitrati; omnes ſuos nervos contenderunt, ut fidem de Conſubſtantiali confirmatam exturbarent ab Eccleſia, Ariique opinionem in ejus locum introducerent*. Et (*b*) Sozomenus: *Conſtantino mortuo, doctrina fidei à Concilio Nicæno ſtabilita, in controverſiam denuò vocatur. Nam hanc licet non omnes approbaſſent, tamen dum vixit Conſtantinus, nemo eam* aper-

(*a*) Socrat. lib. 2. c. 2. p. 431.

(*b*) lib. 3. c. 1. p. 780.

Digitized by Google

apertè rejicere auſus eſt. At ut primùm exceſſit è vita, complures qui etiam anteà de hac fide prodenda in ſuſpicionem venerant, ab ea penitùs deſciverunt: Omnium autem maximè Euſebius & Theognis Epiſcopi Bithyniæ, ſummoperè laborarunt, ut Arii regnaret opinio. Et infrà: *Denique res Theognidi & ſuis* (ideſt Euſebianis) *proceſſit ex ſententia*, & Ariana hæreſis poſt mortem Conſtantini ab Euſebio paucis annis, quibus Conſtantinum ſupervixit, in tantùm promota eſt, & Euſebianis adjuvantibus adeò invaluit, ut S. Hieronymus recitans Acta Concilii Ariminenſis de illo tempore teſtetur, quod: (a) *ingemuit totus Orbis, & Arianum ſe ſe miratus eſt*. Nunc judica Euſebiane, an non Lodonenſis MS. poſterioris ſententiæ lectio cæteris omnibus verior, & ſoli Euſebio convenire videri debeat; nempe *Euſebium* in Arianum dogma declinaſſe, ideſt, poſt mortem Conſtantini palàm & manifeſtò abſque ulla verecundia & tergiverſatione Arianam hæreſim profeſſum eſſe & pro viribus propugnaſſe; qui vivente Conſtantino nihil horum tentare auſus eſt, primarius eorum *qui etiam ante*, ut Socrates loquitur, *de hac fide prodenda in ſuſpicionem venerant, & ab ea* (poſt mortem Imperatoris) *penitùs deſciverunt*. Unde *Eccleſiarum rapinæ & totius Orbis eſt ſequuta diſcordia*. Et hanc poſteriorem de Euſebio Nicomedienſi ſententiam, credo Hieronymi ſententiam, non item priorem, quæ potiùs monſtrum, & confictum ab aliquo impoſtore ſuperadditum mendacium eſt, quod ex quatuor libris de Vita Conſtantini, quos S.Hieronymus ignorabat, ſuam traxit originem. Neque aliam (niſi certioribus argumentis me conviceris) Hieronymi lectionem, aut de Conſtantino, circà vitæ ejus exitum, mentionem in toto Chronico Hieronymiano admitto, prætерquàm quod ſequenti Paragrapho his verbis legitur: *Conſtantinus, cùm bellum pararet in Perſas, in Acyrone Villa publica, juxtà Nicomediam moritur, anno ætatis 66. poſt quem tres liberi ejus ex Cæſaribus Auguſti appellantur*.

(a) S. Hier. adver. Lucifer.

XLV. Euseb. Contrà eſt. Pontacus utramque ſententiam, id eſt totum textum de *Conſtantino* intelligit, eumque

que ab aliis confirmari dicit his verbis: (*a*) *Tota ſententia, ſicut ferunt vulgati, habetur ferè iiſdem verbis apud Iſidorum in Chronico, eumque ſolum ni fallor: prima verò pars confirmatur aliquo modo teſtimonio Socratis l. 1. c. 39. Sozomeni l. 2. c. 34. Theodoreti l. 1. c. 31. Freculphi l. 3. c. 20. Mariani & Euſebii l. 4. de Vit. Conſt. c. 24. 61. & 62. & poſt eum Ambroſii in Orat. de obitu Theodoſii; dum tradunt Conſtantinum circà finem vitæ baptiſmate ablutum.* Hæc Pontacus.

(a) Pontac. ibid. in not.

XLVI. Silvest. Auctor Vitæ Conſtantini primus hujus rei aſſertor eſt, & quicunque poſt eum ſcripſerunt, ejuſque rei meminerunt, eam ab illo mutuati ſunt, ſimulque decepti omnes. Et Iſidorum corruptum Hieronymi Chronicon in errorem induxit. Atqui aſſertori illi primo, ut pluribus aliàs demonſtratum, nulla hac in parte fides. Igitur, nec aliis quidem cujuſcunque cæteroquin auctoritatis hac in quæſtione fidem habere poſſumus. Verum de reliquis Chronici Hieronymi verbis diſcurſum proſequentes, cum eo Colloquium noſtrum finiamus.

XLVII. Nemo hactenùs, quòd ſciam, plùs laboravit in reſtituendo, & repurgando Chronico Hieronymiano, nec quiſquam pleniorem ejus notitiam habuit, præterquàm Scaliger & Pontacus, viri in hac materia verſatiſſimi, quod quidem aliunde, præſertim autem ex illorum teſtimoniis conſtat. Laudatus enim Scaliger dicit: (*b*) *Nos unum tantùm Euſebium diſcuſſimus, quod ipſe, ut diximus, omnium illorum veterum clauſula eſt. Itaque unum Euſebium noris, omnes noris.* Et (*c*) Pontacus: *Licet autem*, inquit, *diligentiam in conquirendis & conferendis Libris ſcriptis adhibuerim, non tamen vulgatos neglexi; quin omnes editiones undequaque coegi, caſque non ſecùs ac cæteros libros verſavi, quàm fideliter, quam religioſe ſingulos quoſque, teſtis mihi eſt Deus.* Horum igitur ſententias audiamus, quid ſpeciatim de integro textu cenſeant, contrà eos, qui re ipſa minùs perſpecta, S. Hieronymi de baptiſmo Nicomedienſi teſtimonium, quod clariſſimum, inconcuſſum, ac ſupremæ Auctoritatis nuncupant, confidenter

(b) Scalig. lib. 6. de Emend. temp. c. 1. ſub fin.

(c) in not. ad Chr. Hier.

ter proferunt, nec contrarium amplius commemorari ſuſtinent, ſed quæſtionem de baptiſmo Conſtantini abſque ulla controverſia pertractant, & Nicomedienſem baptiſmum, tanquàm veriſſimam, ac pridem deciſam veritatem, in ſcriptis ſuis lectoribus obtrudunt.

Euseb. Quid ergò, edicas, quid cenſent Scaliger & Pontacus de illo textu, quo eos tibi tavere putas?

XLVIII. Silvest. Scaliger, ubi in animadverſionibus in textus hujus mentionem incidit, ait: *de toto hoc negotio conſule Nicephorum Calliſtum lib. 7. c. 35.* Quæro nunc, cur Doctiſſimus temporum Emendator in hoc negotio Lectorem remittat ad Nicephorum? Quid refert Nicephorus aſſignato libro & capite? refert ibidem, ut noris, huic textui contrarium; & quod ſive corruptor, ſive Interpolator Chronici Hieronymiani narrat de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi, vocat eo loco Nicephorus, Arianorum diabolicum figmentum. Pluribus autem ſic inquit: (a) *Qui in Oriente olim Arianæ Sectæ fuere, Conſtantinum Nicomediæ ab Euſebio ejus Urbis Epiſcopo jam moriturum baptiſmum ſuſcepiſſe; prodiderunt: propterea eum Sacrum Lavacrum diſtuliſſe dicentes, quod id in Jordane fluvio perficere voluerit. Id verò ex eo facilè refellitur, quod Eccleſia à Silveſtro eum Romæ baptizatum eſſe certò prædicat. Quapropter teſtatum omnibus eſſe volo, ut hoc ſic etiam ipſi tutò & opinentur & credant. Ariani enim malè ſentientes, animo & conſilio diabolico hoc confinxerunt, non Romæ baptizatum eum eſſe aſſerentes, aut fortaſſe eadem cum illis ſenſiſſe aſtruentes, perinde atque ab ipſis propterea baptiſmi gratiam ſuſceperit: quod abſurditatis & mendacii plenum eſt*. Hæc ibi Nicephorus. Cùm igitur Scaliger hunc locum Hieronymiano textui opponat; quid aliud inferendum, quàm, quòd, cùm hic textus ipſi expoſitori ſagaciſſimo corruptus, interpolatus, ac partim fictitius & planè abſurdus fuerit viſus, contrariô ac magis veriſimili Nicephori teſtimoniô eum penitùs enervare, & extrà omnem Auctoritatem eſſe, declarare voluerit.

(a) Niceph. lib. 7. c. 35.

XLIX.

XLIX. Sed hoc ipſum Nicephori ab aliis quoque confirmatum teſtimonium opponit Hieronymiano textui Pontacus Epiſcopus, qui ſanè multa in hunc locum notat, inprimis autem Scriptores, qui ſimilia tradunt, culpat, quòd non attingant, per quem Conſtantinus baptiſma ſit conſequutus, an per Catholicum Epiſcopum, an per Arianum. (*a*) Quod per „ Arianum, inquit laudatus Pontacus, hoc tanquam figmentum Arianorum refellunt Nicephorus l. 7. c. 35. Cedrenus, „ Anaſtaſius Bibliothecarius MS. ex Theophane Græco hiſtorico, Antoninus Florentinus, Martinus Polonus & alii plerique, qui *conſentientes Eccleſiæ Univerſali* (ut loquitur „ Nicephorus) multis confirmant, Conſtantinum à ſolo Silveſtro ſalutari lavacro expiatum. Quod pertinet ad alteram „ partem, pergit Pontacus, videlicet Conſtantinum incidiſſe in Arianiſmum, ſolus Lucifer ex Veteribus lib. 1. de regibus Apoſtaticis, idem ſentire videtur. Sed & hoc confictum crimen idem Pontacus peregregiè diluit, omnemque ex Ss. Patrum teſtimoniis Arianæ hæreſeos infamiam à Conſtantino amolitur, quippe iidem Patres defunctum Conſtantinum, tanquàm veræ pietatis exemplum filiis in exemplum propoſuerunt.

(*a*) id Pontac. ibid. in not. ad Hier. Chr. pag. 704.

L. Confirmat hæc ulteriùs ſæpè dictus Epiſcopus (*b*) Pontacus, inquiens: his adde, quod ſacra antiquitas venerata eſt Conſtantinum, ut Orthodoxum, & Religioſiſſimum „ Dei Cultorem, & Eccleſia Græca eum ſemper coluit, ut „ ſanctum & memoriam recolit die 21. Maii. Jam verò lectio „ Codicis Alcobacienſis, quæ refert integram ſententiam ad „ *Conſtantium* videtur poſſe confirmari auctoritate Damaſi, „ ubi ait in Actis Felicis Papæ: *Felicem Papam declaraſſe Conſtantium* (filium Conſtantini) *hæreticum*, *& ſecundò rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi propè Nicomediam in Aquilone* (lege in Acyrone) *Villa*, & propter hoc ab ipſo „ Conſtantio Martyrio coronatum: à quibus non longè abeſt „ Athanaſius de Synodis; dum ait *Conſtantium* morientem „ non à piis viris, ſed ab Euzoio Ariano Epiſcopo Antiocheno,

(*b*) ibid. p. 705.

Digitized by Google

„ no, ſæpiùs ob Arianam hæreſim depoſito baptizatum: Cui
„ accedit Severus lib. 2. dum teſtatur ipſum Conſtantium
„ fuiſſe Catechumenum tempore Concilii Mediolanenſis paulò
„ ante ejus obitum celebrati: & licet poſſit quis conjicere
„ Conſtantinum, vel etiam Conſtantium fuiſſe forſan primò
„ à Catholicis baptizatum, ſed poſtea in ultimis diebus rebap-
„ tizatum ab Arianis; quia mos Arianorum erat rebaptizare
„ eos, qui à Catholicis fuerant baptizati, ut ait Auguſtinus L. de
„ hæreſ. & conſtat ex multis aliis ſcriptoribus; non video ta-
„ men, quomodo poſſit dici Hieronymum hæc intellexiſſe de
„ Conſtantio, cum omnes libri faciant totum ipſum paragra-
„ phum collocatum ad An. 31. Conſtantini, nullo autem mo-
„ do ad tempora Conſtantii: niſi dicas Arianos jam ab ipſo
„ initio Chronici in lucem editi, hæc quæ dicebantur de
„ Conſtantio, tranſpoſuiſſe in ultimum annum Conſtantini,
„ atque pro *Conſtantius* poſuiſſe *Conſtantinus*. Ex quibus om-
„ nibus ſatis colligitur, quam acri & maturo judicio lumen
„ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tom. 3. Annal. excludat hunc para-
„ graphum tanquam adulterinum, *& ab alio appoſitum, at-*
„ *que totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſione & uſu continuato*
„ *improbatum & rejectum*. Unde cùm diu deliberaſſem, num
„ hæc abſcinderem, vicit ſolita religio, nequid mutarem ſine
„ libris. Neque tamen prætereundum omnes Codices tam
„ ſcriptos; quam cuſos hæc comparare cum An. 31. Conſtan-
ſtini. Hucuſque Pontacus.

LI. Intelliges tandem, ut opinor, Euſebiane! ex apertiſſimis his Pontaci verbis, cujuſnam energiæ ſit & auctoritatis teſtimonium, quod pro baptiſmi Nicomedienſis confirmatione, ex Chronico Hieronymiano attuliſti, qualemque illud fidem habeat apud æquos rerum arbitros, qui in Chronicon hoc, & præcipuè in illum verſiculum ſeveriùs inquiſiverunt. Faceſſant proinde hinc ſententiæ tuæ defenſores, qui cum teſtimonium illud nonniſi ex vulgatis Scaligeri, aut Pontaci ſive Miræi exemplaribus proferunt, immemores eorum notarum, dum Lectorem cautelæ admonent, & attentum animum deſide-

derant, ne imitentur, quæ præterire præſtat. Sic monet (a) Scaliger inquiens: *Ad noſtros revertamur, Euſebium dico & Hieronymum: quorum errores notent quidem ſtudioſi, ſed prætereant, non imitentur*. Proinde & ego hunc paragraphum Chronici Hieronymiani tanquam (b) *improbatum & rejectum* prætereo, finemque huic Colloquio ſupra relatis Eminentiſſimi Annalium Conditoris Baronii verbis impono: *Hæc igitur de Euſebii, & Hieronymi Chronico diſſeruiſſe adſtrictos nos neceſſitate quadam oportuit, adversùs eos qui majorem nomini (minùs re ipſa perſpecta) quam veritati tribuunt auctoritatem.*

(a) in Prolegomen. ad Chron. Euſ.

(b) Baron. An. 324. nu. 51.

COLLOQUIUM XVI.

Baptiſmus Conſtantini Nicomedienſis, juxtà genuinas Theologicæ Criſeos Regulas examinatus, nonniſi inane ac putidum figmentum eſſe demonſtratur.

EUSEB. Necdum omnium, Silveſtrine! tibi adverſantium Auctorum argumenta diluiſti; ſuperſunt enim tres celeberrimi & proximo poſt Conſtantinum Seculò florentiſſimi ſcriptores, Socrates nimirum, Theodoretus & Sozomenus, quorum teſtimonia Colloquio III. recitata clariſſimè probant, Conſtantinum noſtrum ſub finem Vitæ baptizatum Nicomediæ.

I. SILVEST. Quod præcedenti Colloquio n. XLVI. aliis ejuſdem ſententiæ Patronis reſpondi, eos nempe ab Auctore de Vita Conſtantini, quem ſub incerto Euſebii nomine laudant, deceptos eſſe, illis quoque reſpondeo. Socrates enim & alii citant libros dictæ Vitæ Conſtantini; quod igitur de ejus baptiſmo referunt, ex illis libris hauſerunt.

II. EUSEB. At ſupereſt adhuc Paſchalis ſive Chronici Alexandrini Auctor, qui ſcripſit uſque ad annum Conſtan-

Digitized by Google

tii XVII. Chriſti 354. ubi deſiit; alius verò Anonymus idipſum Chronicon ulterius perduxit. Proinde cùm primus hujus Chronici Auctor Coævus ſit Auctori de Vita Conſtantini, atque idem, ut dicto Colloquio III. memini, de Baptiſmo Nicomedienſi referat, majoris ſanè auctoritatis ejus, quam reliquorum conteſtium, cenſeri debet teſtimonium.

III. Silvestr. Non liquidò conſtat, num hic Auctor ſub Conſtantio Imperatore Chronicon ſuum ſcripſerit, atque adeò Auctori de Vita Conſtantini Coævus fuerit. Nam Georgius, Syncellus ſcripſit quoque Chronographiam, quam ab Adamo uſque ad Imperatorem Diocletianum produxit, & in eo terminavit, quam poſteà Theophanes, qui ei familiaris fuit, uberiori ſtylo continuavit. Ex quo tamen non ſequitur, quod Syncellus qui in Diocletiano opus ſuum finivit, ejus quoque tempore vixerit, quippè qui ſub Carolo Magno primùm floruit. Unde nec Auctor Chronici Alexandrini ex eo, ut refers, probatur vixiſſe eo tempore, quo ſcribere deſiit, multò minùs Coævus extitiſſe Auctori de Vita Conſtantini. Sed demus Chronici Alexandrini Auctorem eſſe ejuſdem cum Vitæ Conſtantini ſcriptore ætatis, non tamen aliunde quam ex auditu alieno, vel ſcriptis aliorum ſua exarare potuit; eum enim morienti Conſtantino adfuiſſe, & coram præſentem rem intuitum fuiſſe, nec conjectura quidem aliqua probatur. At de hoc atque aliis conteſtibus plurà mox infrà dicam; nunc de primario hujus rei teſte, ac quidem Vitæ Conſtantini Auctore, ex quo omnes, maximi etiam nominis ſcriptores, quotquot noſtris temporibus tuam ſententiam tuentur, principia ſua & argumenta repetunt, nonnulla ac quidem paſſim alibi dicta tibi in memoriam revoco.

IV. Neceſſarium eſſe homines hominibus credere, niſi vita pecudum more degenda ſit, inquit (a) Doctiſſimus Canus; quam rem (b) Theodoretus & (c) S. Auguſtinus diligentiſſimè perſecuti ſunt. Atque Auguſtinus quidem planè aſſerit non amicitiam modo, verùm omnem omnino humanum ſocietatem interire, niſi amicus amico, Maritus Uxori, Paren-

(a) lib. 11. c. 4.
(b) de Cur. Græc. affect. l. 1.
(c) lib. de util. Cred. & Honorat. c. 12. & de fid. rer. inviſ. c. 1. & 2. ibid. ap. Can.

rentibus filii, fratres fratribus, civibus cives, ſociis ſocii fidem habeant. Ubi multa præterea adſert, quibus oſtendit, neceſſitudinem & pietatem duo generis humani ſanctiſſima vincula violari atque diſſolvi, nihilque prorſus in hominum conſociatione ſtabile remanere, ſi nihil credere ſtatuerimus, quod non idem poſſumus, quaſi manu tangere, ac tenere perceptum. Adde, quod dicit Philoſophus, in omni facultate atque doctrina oportere addiſcentes credere; quare maximè neceſſarium eſt, ut hominum dictis credatur, & frequenter etiam abſque ulla hæſitatione.

V. Fuere autem ſine dubio nonnulli Hiſtorici graves & fide digni cum Eccleſiaſtici tam Profani, qui non ſolùm ab omnibus fidem merentur, verum etiam (*a*) probabile argumentum ſuppeditant Theologo, cùm ad ea, quæ ſua ſunt corroboranda, tum ad falſas adverſariorum opiniones refellendas. Non enim eſt hominis benè inſtituti, & ad vitam humanam rectè compoſiti, viro gravi rem credibilem aſſerenti non credere. *Rem credibilem* dicunt, qui iſta tradunt; quoniam quædam interdum ab hiſtoricis, cæteroquin graviſſimis (ut forte à Plinio) referuntur, quæ, cum vix credibilia ſint, ſi ea fuiſſe negemus, non ideò hiſtoriæ auctoritatem labefacimus. Uterque igitur, & (*b*) *qui credit citò*, & qui nimium tardus eſt ad credendum, jure reprehenditur. Multo verò magis reprehenſione dignus eſt eò, qui cito credit, ille, qui pertinaciâ quadam refugit credere, maximè Auctoribus probatis, & gravibus. Si namque (*c*) *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, cur adverſus hanc legem plurimis teſtibus rem eamdem olim geſtam conteſtantibus fidem Theologus abrogabit? præſertim cum teſtimonia ex vetuſtate deſumpta hoc potentiora ad probandum ſint, quod ea ſola, ut Fabius ait, criminibus odii gratiæque vacant. Quare (*d*) Innocentius I. in humanis hiſtoriis nonnihil probabilitatis ineſſe voluit, cum lege edita præcepit, ut in cauſis Eccleſiæ finiendis illarum Auctoritate, ſi neque in libris Canonicis invenias veritatem, utaris, inquiens: *Canones*

(*a*) Can. loc. cit. ibid. Em. Card. Gott. de loc. Theol. q. 3. dub. 11. § 2. n. 5. p. 220. Rabaud. Theol. Exercit. 4. c. 8. § 2. p. 795.

(*b*) Eccleſ. c. 19. 23.

(*c*) Matth. c. 18. 16.

(*d*) 20. diſt. c. de quibus.

Digitized by Google

Apoſtolicæ Sedis intuere. Si nec illis, ad Catholicæ Eccleſiæ hiſtorias Catholicas à Doctoribus Catholicis ſcriptas manum mitte.

VI. Porrò ſi omnes probati ac graves hiſtorici in eandem rem geſtam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum ducitur argumentum, ut Theologica dogmata firma ratione conſtituantur. Sic Petrum Romæ & fuiſſe, & collocaſſe Sedem, & pro Chriſto Martyrio coronatum fuiſse, omnes graves hiſtorici tradunt, tota credidit antiquitas, & ex hoc certò probatur, Romanum Pontificem verum eſſe Petri in ſuprema totius Eccleſiæ Paſtorali dignitate ſucceſſorem. Sic Concilium Nicænum tempore Conſtantini M. coactum, & à S. Silveſtro I. Eccleſiæ Pontifice comprobatum, hiſtorici quoque graviſſimi prodidêre. Ex quo probatur clarè, Concilii Nicæni ſtatuta certa eſſe, quia certum eſt, ſynodum Eccleſiæ Generalem, Romano Pontifice probante, errare non poſſe. Sic Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum Conſtantino M. Romæ ægrotanti apparuiſſe, eaque occaſione illi poſtmodum à S. Silveſtro eorum exhibitas fuiſſe imagines, non tantum graves & fidedigni ſcriptores tradidêre, & communis antiquorum conſenſus fuit; verùm factum hoc & alia de Conſtantino in Actis Silveſtri contenta, approbavit etiam Gelaſius I. in Concilio Romano, & Hadrianus I. adhibuit illam hiſtoriam ad comprobandum ſacrarum Imaginum Cultum in Concilio Generali Nicæno II. adverſus Iconomachos. Ex quo etiam validum ac certum deſumitur argumentum, Cultum ſacrarum Imaginum eſſe antiquiſſimum in Eccleſia. Plura ejuſmodi ſunt, quæ communi hiſtoricorum conſenſione firmata, certa Theologis dant argumenta ad ſuos diſcurſus.

VII. Hæc non modo negare, ſed in his etiam addubitare, ſtultiſſimum eſt, inquit Canus¹. Quid enim ſtultius eſſe poteſt, quam ſi ea genera belluarum, quæ in rubro mari Indiave gignuntur, nulla eſſe dicamus, quia nunquam vidimus? Omnia tollamus ergò, ſi ità placet, quæ aut hiſtoria nobis, aut teſtes graves & probati adferunt. Si igitur fides

ſit

Google

ſit generaliter neceſſaria, ut homo homini, præſertim probato Hiſtorico credat, deſideratur hæc procul dubio in Theologo, ubi humanæ hiſtoriæ auctoritatem in ſubſidium advocare cogitur; niſi enim facta, quæ recenſet, vera credat, ac ſcriptoribus, qui ea referunt, fidem adhibeat; imprudenter omninò hujuſmodi factis ac ſcriptorum illorum teſtimonio in probatione Theologica utitur. Probatis hiſtoricis, ubi facta referunt, quæ aut ſe vidiſſe, aut ab aliis fide dignis, qui viderunt, accepiſſe teſtantur, credere abſque hæſitatione debet etiam Theologus; quem tamen Canus admonet, ne ſtatim ſibi perſuadeat, omnia, quæ magni auctores ſcribunt, undique eſſe perfecta; labuntur enim, inquit, aliquando, & oneri cedunt, nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur; adeò ut Ciceroni Demoſthenes dormitare, Horatio verò Homerus quandoque ipſe videatur: *ſummi enim ſunt, homines tamen*, quorum nonnullos etiam ſanctorum albo inſcriptos Critici graves atque ſeveri notant; eos autem mendacii redarguere ſummæ eſſet temeritatis, & piaculum ignorantiâ lapſos exiſtimare.

VIII. Sed & illos ac meritò quidem Canus redarguit qui ità faciles ſunt, ut omni narrationi credant, ſtatim ac literis prodita eſt, quaſi aliquid falſum omninò non poſſe typis mandari, ipſis perſuaſum ſit; ac eos etiam, qui pari imprudentiâ veritatem rerum inde petunt, ubi rarò invenitur, nempe ex diſſipatis pervagatiſque rumoribus in origine ſua valdè incertis; nam homines graves atque ſeveri non ſolent vulgi rumorem aucupari, aut ex ſuſpectis, vel dubiæ auctoritatis libris veritatem eruere. Quo circa operæ pretium eſſe judicant illi, qui de his tractant, ut quis ante omnia ingenii ſeveritati perſpicaciam ac prudentiam adjungat ad eligendum & ad judicandum; utque inter facta & ſcriptores, quæ vel qui fidem promereantur, aut quibus è contra fidem denegare debeat ſedulò perveſtiget, ne incautè falſa pro veris approbando in errorem labatur.

IX. Quibus poſitis venit in quæſtionem, Euſebiane! num hiſto-

Digitized by Google

hiſtoricus ſive Auctor librorum quatuor de vita Conſtantini, tàm gravis & fide dignus teſtis cenſeri poſſit, ut etiam Theologus ejus auctoritatem in ſubſidium advocare, & quodpiam fidei dogma, vel Conſtantinum M. Imperatorem Nicomediæ baptizatum ex eo tutò, & citrà imprudentiæ notam, aſtruere poſſit ac valeat? Si enim Auctor ille Theologorum decretô non probatur, & præcipuæ ejus hiſtoriæ de Conſtantini baptiſmo fides non adhibetur, certò falſam eam quiſque cenſere debet, ac teſtem illum una cum ſuo teſtimonio, quantum ad hanc quæſtionem, nullius eſſe auctoritatis, neque dignum commemorationis. Cùm autem & ipſis Theologis nonnullæ ſtatuantur Regulæ, tum ad veras hiſtorias à falſis ſecernendas; tum ad cognoſcendum qui inter hiſtoricos ſint probatæ fidei; hinc teſtem illum una cum ſua teſtificatione de dicto baptiſmo ad lydium lapidem admoveamus, nempe dimenſuri eum, ſi placet, ſecundùm Regulas Theologis præſcriptas.

X. Euseb. Ad quid neceſſum erit, ut Auctor ob ſpecialem illam hiſtoriam Theologico decreto probetur, cùm hiſtoria aliqua neque ab Eccleſia ex eo præcisè habeat auctoritatem, quòd in Epiſtola aliqua Decretali Romani Pontificis cum laude referatur, aut ab eo publicè legi permittatur. Ecur Hiſtoricus iſte non ſufficientem auctoritatem habeat? qui paſſim à Theologis probatur, qui ejus teſtimoniis, frequenter utuntur ad comprobandas ſuas ſententias; itemque ad aſtruendum ipſum Conſtantini baptiſmum. Neque néceſſum eſſe, prætendas, ut Auctor ex ea ipſa hiſtoria de baptiſmo Conſtantini præbeat argumentum Theologo, ad ſua atque fidei noſtræ dogmata probanda; nam hiſtoria, ut Quintilianus rectè ait, ſcripta eſt, non ad probandum, ſed ad narrandum.

XI. Silvest. Ad primum reſpondeo, Romani Pontifices nullam hiſtoriam in Epiſtolis Decretalibus cum laude referunt, aut publicè legi permittunt, niſi eadem præmiſſo diligenti Doctorum examine fuerit approbata. At licèt nonnulli Theologi Auctoris de Vita Conſtantini teſtimonia adducant, at-

atque ejuſdem Imperatoris baptiſmum Nicomedienſem ex eo aſtruant, tamen hoc ipſum in quæſtione eſt, an id rectè & præmiſſo diligenti examine fiat, an hic Auctor omnium Theologorum calculo probatus, gravis ac meritò probatæ fidei Hiſtoricus ſit, dicique poſſit ac debeat? Ad ſecundum repono: quamvis hiſtoria non ad probandum, ſed potiùs ad narrandum ſcripta ſit, tamen aliquid ſine dubio probat, probabiliter ferè: & aliquando etiam neceſsariè, inquit Canus. Atqui licèt hiſtoria de baptiſmo Conſtantini, datâ operâ & ex inſtituto non ſolùm ad narrandum, ſed ad probandum Imperatorem Conſtantinum Nicomediæ baptizatum ſcripta ſit, tantum tamen abeſt, ut neceſsariè probet, ut ne probabile quidem argumentum ſuppeditet.

Euseb. Quomodo hæc demonſtrabis?

XII. Silvest. Demonſtro ea ſecundùm præſcriptas Theologis Regulas, quibus certiores reddimur, nihil probari poſse ex illa hiſtoria, quæ de ſe nihil probat. Sunt autem Theologorum Regulæ ſequentes.

XIII. (a) *Prima Regula*, quæ ad dijudicandum de veritate alicujus facti hiſtorici, atque humanæ hiſtoriæ generaliter adduci ſolet, eſt ea, quam tradit (b) Joſephus, ubi dicit: ***Illud veritatis hiſtoriæ certum ſignum eſt, ſi de iiſdem rebus eadem omnes conſcribant.*** Quod ſic accipiendum eſt, nempe quòd ubi omnes probati ac graves hiſtorici, in eadem re geſta, veluti notiſſima, & quidem à ſua origine, referenda conveniunt; & manifeſtè repugnat; illos fuiſſe deceptos, aut decipi potuiſſe; tunc eorum teſtimonium utique tanquàm certum recipi debet, ac de veritate factorum, quæ referunt, dubitari non permittitur. Sic in utraque hiſtoria ſeu Eccleſiaſtica ſeu prophana plura ſunt, de quibus, quia ſcriptores omnes conveniunt, dubitare aut illa negare, pervicacia quædam eſſet.

(a) apud Bern. Rabaud. Vol. 2. Exercit. 4. c. 2. p. 796. ſeqq.
(b) lib. 1. cont. Appion.

XIV. Examinemus nunc Auctorem ejuſque hiſtoriam ſecundùm hanc primam Regulam. Non omnes ſed pauci admodum, quorum teſtimonia pro confirmatione ex veteribus addu-

Digitized by Google

xiſti, in paucis, ac quidem quoad locum duntaxat cum Auctore conveniunt. Nec etiam *de iiſdem rebus eadem omnes conſcribunt*; nec de re à ſua origine notiſſima, ſed potiùs obſcuriſſima ſcribunt, & mirum in modum variant. Alii quos reluctantes pro conteſtibus adducis, obmuteſcunt, alii conjecturas afferunt. Ipſe primus Auctor ſummis laudibus concelebrat Baptiſmum Nicomedienſem, & miraculi inſtar deprædicat, ſe tamen non præſentem fuiſſe is ipſe inſinuat: Sancti Martyres autem & milites Jovianus & Hercolianus, qui tum Nicomediæ aderant, de his nihil ſciunt, id ſolum teſtantes, pium Imperatorem *teſtamentum* Chriſti, quod eſt Euchariſtiæ Sacramentum, ante obitum ſuſcepiſſe. Patres Ariminenſes ignorant illum baptiſmum: S. Ambroſius potiùs improbare & ab hoc baptiſmo abhorrere videtur; Chronicon Hieronymianum vocat eum Arianum dogma, & S. Iſidorus propterea exclamat Conſtantinum bonô uſum principiô, & fine malô. Neque nunc inter Eruditos, qui Auctorem ſequuntur, convenit, an Conſtantinus tunc primùm, id eſt in fine vitæ factus ſit Catechumenus? Affirmat Valeſius & alii poſt eum; dubitat Tillemontius. Ideoque cum nec de Conſtantini Catechumenatu omnes conveniant, & de iiſdem rebus eadem omnes conſcribant, etiam de baptiſmo certum veritatis ſignum haberi nequit, nec pervicacia, ſed prudentia eſt de his dubitare, atque omninò negare.

XV. *Secunda Regula*. Veritas factorum, quæ coram uno vel duplici teſte contigiſſe narrantur, non ità certa eſt, ſicuti illorum, quæ in origine ſua omnibus fuere notiſſima; quia facilius eſt, unum aut alterum decipi, vel decipere, quàm ſexcentos. Unde de talibus factis haberi nequit certitudo, niſi aliquâ viâ conſtet, hunc vel alterum teſtem nec deceptum fuiſſe, nec voluiſſe alios decipere.

XVI. Exploremus modo fidem ocularis de Conſtantiniano baptiſmo teſtis. Fuit is, ut Colloquio III. indicavi, presbyter quidam, hæreticus occultus Arianus, qui ſub pallio Catholico Conſtantino morienti cum ſemiviris Eunuchis aſtitit,

tit. Quæ verò fides in quæſtione præſertim dogmatica, hæreticis, vel Eunuchis haberi poteſt? qui omnes à teſtificando repelluntur? hæretici enim, cùm careant fidè divina, ſuper qua fundatur teſtium fides humana, nemini poſſunt perſuadere ſe dicere veritatem. (*a*) *Illud tenendum eſt*, inquit Canus, *nervos atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere, iis præſertim hiſtoricis* (addo & teſtibus) *qui quoniam fidem divinam violarunt, fidei humanæ auctoritatem amiſerunt*. Quam ob eandem cauſam Innocentius I. ſuprà relatus, omnes omninò hæreticos ab his excludere videtur, dum ait: *ad Catholicæ Eccleſiæ hiſtorias Catholicas à Doctoribus Catholicis ſcriptas manum mitte*. Quid faciliùs creditu, quam hos, vel hunc potiùs ſolum presbyterum ex ſecreto cubiculi angulo rumorem falſum ſpargere, & alios decipere potuiſſe? Quid veriſimiliùs, quàm hunc ipſum presbyterum librorum de Vita Conſtantini extitiſſe Auctorem, & nihil aliud, quàm, cùm aliis omnibus ea tempeſtate res eſſet incognita, alios decipere voluiſſe? Anne hic Auctor & teſtis unicus, licet ocularis, vel ſemiplenam probationem facit? cùm ſemper duo teſtes regulariter requirantur ad faciendam probationem in omni cauſa, tum criminali, tum Civili, tam ſæculari, quàm Eccleſiaſtica, ubi agitur de gravi præjudicio tertii, prout agitur in noſtra controverſia de gravi rebaptizationis & Apoſtaſiæ crimine, Piiſſimo Principi Conſtantino ab Ariano ſcriptore affictо.

(*a*) Can. lib. 11. c. 5. in fin.

XVII. *Tertia Regula*. Ubi de aliquo facto Hiſtorici ejuſdem fermè ætatis inter ſe diſſentiunt, illis potiùs fides adhibenda eſt, quos ſpectatis omnibus circumſtantiis veriſimilius eſt, non fuiſſe deceptos, nec eſſe mendaces. At ſi omnes veteres circà aliquod factum conſentiant, quod longè poſteà quidam recentiores in dubium revocant, quia ipſis utile eſt, rem aliter ſe habuiſſe, veteribus aſſentiendum eſt, ac poſteriorum contradictio tanquam temeraria rejicienda.

XVIII. Ex hac regula ſequitur, quod in noſtro quoque facto Hiſtoricis fides adhiberi non poſſit, cùm omnes primo

Auctore poſteriores inter ſe diſſentiant, atque non tantum verisimile, ſed indubitatum ſit, eos fuiſſe deceptos ab Auctore, cui nullùs eorum coævus extitit. Quare merito à ferendo teſtimonio excluduntur, non ſolùm quod ex auditu alieno regulariter nihil probetur, ſed & ex eo quod à primo Auctore fuerint decepti; nam ex Colloquio VIII. & alibi paſſim indicatis abundè conſtat, primum Auctorem fuiſſe mendacem, ac nonniſi decipere voluiſſe alios.

XIX. *Quarta Regula*. Ubi veteres de ſubſtantia, ut ità dicam, alicujus facti, quod ad nos traditione quadam derivatum eſt, conveniunt; variant autem circà aliquas circumſtantias, putà temporis, loci &c. conſenſus ille, certum eſt argumentum, rem illam eveniſſe, quamvis aliquæ illius circumſtantiæ ſint incertæ.

XX. Crediderim baptiſmum Nicomedienſem non ideò maximè eſſe incertum, quia Auctores de aliqua circumſtantia, putà, miniſtro variant, de quo quidem primus Auctor; item Socrates, Theodoretus & Sozomenus nihil: Auctor autem Chronici Alexandrini, & Chronicon Hieronymianum; item SS. Proſper & Iſidorus, de Euſebio Nicomedienſi Miniſtro memorant: Gelaſius autem Cyzicenus non hæreticum aliquem, ſed Orthodoxum fuiſſe Miniſtrum tradit. Sed propter ſubſtantiam hujus facti, in qua Auctores & eorum Codices valde variant, dico baptiſmum illum maximè incertum. Nam apud primum Auctorem, Socratem & alios legitur Conſtantinus *baptizatus*, alibi, ut ex præcedenti Colloquio patet, habetur *rebaptizatus*, quam lectionem vulgata Chronici Hieronymiani exemplaria, in quibus baptiſmus Nicomedienſis *Arianum dogma*, ideſt rebaptizatio, vocatur, confirmant, SS. Proſper & Iſidorus conſentiunt, & S. Ambroſius hac in parte videtur dubius. Iiſdem tamen locis rurſum alii Codices ejuſdem Chronici pro *Conſtantinus* habent *Conſtantius*. Item alibi pro Patre Conſtantino legitur *Conſtantinus filius Conſtantini Magni*. Demum quod de Conſtantino affirmatur eum in Arianum dogma declinaſſe, refertur alibi ad Euſebium Nico-

comedienſem his verbis: *Euſebius in Arianum dogma declinat*. Hinc iſte veterum circà ſubſtantiam hujus facti diſſenſus nequaquam certum præſtare poteſt argumentum, rem ità eveniſſe, prout narratur.

XXI. *Quinta Regula*. Factum, quod vulgatum non fuit eo tempore, quo accidiſſe ſcribitur, ſed tantùm poſtea alio vel Seculo, aut poſt plures annos, eſt omninò dubiæ fidei.

XXII. Libros quatuor de vita Conſtantini, quos nec Euſebius Pamphili, brevi tempore, quô Conſtantinum ſupervixit, conſcripſerit, multò minùs publicaverit, dixi Colloquio V. eſſe dubiæ fidei; quocircà, cùm nullus ejus tempeſtatis Scriptorùm baptiſmi Nicomedienſis factum, quod in dictis libris refertur, memoret, ſed poſt plurimos annos primùm innotuerit, idipſum dubiæ etiam fidei cenſeri debet.

XXIII. *Sexta Regula*. Factum, quod ab inſigni & fideli hiſtorico eſt prætermiſſum, cujus tamen plurimùm intererat ipſum referre, quodque ſi verum eſſet, eum minimè latere potuiſſet, de ſuppoſitione valdè eſt ſuſpectum, quantumvis à pluribus hiſtoricis poſterioribus referatur. Has regulas deſcripſi ex laudato Rabaudo.

XXIV. Factum de baptiſmo Nicomedienſi ab inſigni & fideliſſimo Scriptore Eccleſiaſtico S. Patre Athanaſio eſt prætermiſſum, cujus certò plurimum intererat hoc referre quodque ſi verùm eſſet, eum minimè latere potuiſſet. Cuncta namque facta ſui temporis fideliter refert, quæ Arianos inter & Catholicos contigerunt. Refert, quando filii Conſtantini Magni Conſtans & Conſtantius fuerunt baptizati, at de Patris baptiſmo Nicomedienſi nihil commemorat. Dixi *ſui temporis*, ideſt, ex quo ille poſt Concilium Nicænum creatus eſt Archiepiſcopus Alexandrinus; nam quæ ante contigerunt, dum adhuc eſſet Diaconus, vix attigit.

XXV. *Septima Regula*. Quam ex (*a*) Cano deſumo, ubi ait, juſſiſſe Gelaſium Pontificem, ut eas hiſtorias nullo modo amplectamur, quæ ſine certo Auctoris nomine proferuntur.

(*a*) lib. 11. c. 6.

Digitized by Google

Olent enim aut quæſtuoſorum, aut, quod Gelaſius ipſe ait, hæreticorum fœtum. Quæ eadem omninò cauſa ſubeſt, ut hiſtoriæ ille valdè etiam ſuſpicioſæ ſint, quæ tametſi Auctoris cujuſpiam nomen præſeferunt, ſed quis ille qualisve, ſit, obſcurum & incertum relinquunt. Gelaſius illius erroris nos admonuit, inquit idem Canus, in quo errore olim non vulgus ſolum, ſed Gratianus etiam verſatus eſt, ut librorum deceptus indicibus (ſive titulis) crederet, omnia quæ Hieronymi & Auguſtini nominibus inſcripta erant, Hieronymi Auguſtinique verè etiam eſſe. Sic librum, qui de vitis Patrum inſcribitur, Hieronymi nomine vulgus circumferebat, quum pauciſſimas tantùm Patrum vitas ille ſcripſerit.

XXVI. Colloquio VI. inſinuavi libros quatuor de vita Conſtantini, utpotè ſub falſo nomine Euſebio Pamphili adſcriptos, à Gelaſio Papa in ſuo Decreto, probabiliter inter apogrypha fuiſſe rejectos, adeòque cùm illi libri ſuſpecti & incerti Auctoris, certi autem hæretici fœtus noſcantur, meritò quoque de ſuppoſitione ſuſpectus redditur Baptiſmus Nicomedienſis. De Hæreticis namque & ſpeciatim de Arianis id magis veriſimile redditur ex teſtimonio S. Irenæi, qui jam ſuo tempore hanc hæreticorum artem prodidit dicens: (*a*) *Adferunt hæretici immenſam apogryphorum librorum & ſcripturarum notharum multitudinem, ut ſtupefaciant amentes & ignaros verarum litterarum*. Quocircà, ſi viri graves falſis Sanctorum Patrum librorum titulis decepti ſunt, ut Canus innuit, mirum non eſt, deceptos eſſe quoque multos libris quatuor de vita Conſtantini, neſcientes ejus non eſſe, cujus titulô prænotantur.

(*a*) Iren. lib. I. c. 17.

XXVII. Præter iſtas, tres inſuper alias Regulas ponit (*b*) Canus, quarum prima eſt. Hiſtoricus debet eſſe verax & non mendax, ſeu vir probus, integer, & incorruptus; nempe ità ut non audeat aliquid falſi dicere, aut verum diſſimulare ac celare; ne qua, inquit idem Canus ex Cicerone, ſit in ipſo gratiæ in ſcribendo ſuſpicio, aut ſimultatis.

(*b*) lib. 11. c. 6.

XXVIII. Auctor vitæ Conſtantini improbus & nimium men-

mendax Colloquio VII. comprobatus eſt, qui non tantum plurima falſa dicere, ſed etiam vera diſſimulare ac celare perfricta fronte auſus fuit; *& eundem ſervat in narrando celandi modum*, qua cenſura eum perſtringit Photius.

XXIX. Altera Regula ex Cano pro hiſtoriæ judicio eſt, ut eos hiſtoricos reliquis anteferamus, quos ingenii ſeveritati quandam prudentiam adjunxiſſe, & ad eligendum, & ad judicandum cognoverimus, quos inſuper ad ſcribendum excitatos fuiſſe amore veritatis, non complacendi, aut adulandi genio. Huic regulæ conſonat admonitio (a) Eminent. Card. Gotti, qui ſic ait: „ Cautè propterea legendi ſunt, qui de aliquo er„ rore, vel hæreſi ſuſpecti, illius hæreſis, vel illius Auctorum „ hiſtorias narrant, diminuti enim eſſe ſolent in iis, quæ contrà „ ſe militant, effuſi autem in iis, quæ ſibi favent: & plerumque „ ſibi ſolum favorabilia plùs nimio extollunt, & aliqua falſa „ comminiſcuntur. Hæc laudatus Sapientiſſimus Cardinalis.

(a) de loc. qu. 3. dub. 11. §. 3. p. 222.

XXX. Peccat in hanc Regulam Hiſtoricus de vita Conſtantini, qui tamen non tam hiſtoricus, quam mercede conductus, *Encomiaſta*, quo nomine eum compellat Photius, dicendus eſt. Quique non amore veritatis, ſed Arianis & Conſtantio Principi Ariano complacendi & adulandi ſtudio ad ſcribendum excitatus fuiſſe, ex ſuis ipſius ſcriptis convincitur. Annon cautè is legendus, præſertim ubi factum illud, de quo loquimur, enarrat? quippè qui non de errore, vel hæreſi duntaxat ſuſpectus, ſed juxta omnes apertus Arianus hæreticus, & præcipuus Ariani dogmatis de rebaptizatione propugnator eſt, effuſus in iis, quæ ſibi ſuiſque: parcus, quæ Catholicis favent: mutus, quæ in Nicæna Synodo pro fide Catholica contrà Arium ſancita fuêre.

XXXI. Tertia Regula ex Cano eſt: ſi cui Hiſtorico Auctoritatem Eccleſia tribuit, hic procul dubio dignus eſt, cui nos etiam auctoritatem adjungamus. Contra verò, cui Eccleſia derogavit fidem, ei quoque nos meritò fidem derogabimus.

XXXII. Quantam auctoritatem Eccleſia ſcriptis Euſebii

bii Pamphili; cujus nomine quatuor libri de Vita Conſtantini, vulgati ſunt, tribuat, alibi indicavi, ubi de Gelaſiano Decreto colloquuti ſumus. Vel ergò admittis vel negas, libros illos ſub Gelaſio I. in Concilio Romano, Eccleſiæ examen & Cenſuram ſubiiſſe, & ſecundo loco dicti Decreti ſub titulo: *Euſebii Hiſtoria apogrypha*, in apogryphorum claſſem rejectos eſſe & exauctoratos. Si primum? res ipſa loquitur, & manifeſtum eſt, libros hos nullius eſſe Auctoritatis. Si ſecundum tunc, cùm,ut certùm eſt, nec à Gelaſio, nec ab ejus Succeſſorum aliquo obtinuerint auctoritatem,indigni procul dubio ſunt, quibus nos hoc in facto, de quo hactenùs Colloquia noſtra inſtituimus, auctoritatem adjungamus. Nolim tamen exiſtimes, quòd dum libris quatuor de Vita Conantini, quantum ad noſtram controverſiam, fidem omnem & auctoritatem adimo,reliqua quoque cuncta in iis comprehenſa,pro falſis ac commentitiis habeam; ipſe equidem ultrò fateor, complura in iis legi, quæ antiquitates Eccleſiaſticas peregregiè illuſtrant; Conſtantini laudibus, ac pietati, ejuſque Baptiſmati, pridem ante mortem ſuſcepto favent: atque hiſtoriæ ſtudioſorum commodo ſerviunt; verùm hæc ex genuinis Euſebii Pamphili ſcriptis in hos ſæpenumerò memoratos quatuor libros translata contendo. Etenim, quod probè notaveris, non nego, quin potiùs totus in eam ſententiam propendeo, Euſebium Hiſtoriographum noſtrum, utpote rerum hiſtoricarum ſtudioſiſſimum, præter alia ſuorum temporum Acta,hiſtoriam certò certiùs quoque de Vita Conſtantini fideliter literis conſignâſſe,quæ fortaſſe ipſiſſima illa eſt, quam Orientales ſcriptores apud Illuſtriſſimum Aſſemanum citant; quæque vel ſeorſim vel conjuncta cum Actis S. Silveſtri, ab eodem Euſebio conſcriptis in lucem prodierit. Illud ſolùm ſtatuo & mordicus defendo, dictos quatuor libros,qui illuſtri Euſebii,cognomento Pamphili Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi,nomine inſigniti circumferuntur,quoad omnia & ſingula, ut ſæpè dixi, non eſſe genuinum Euſebii Pamphili foetum. Quod, ut afferam, movet me ſententiarum inter ſe collatarum contradictio: non levis Codicum editorum

varia-

Digitized by Google

variatio, multorum textuum ambiguitas, enormium eorumque manifeſtiſſimorum mendaciorum coacervatio, rerum memorabilium, præſertim Catholicis favorabilium doloſum ſilentium: Euſebii Pamphili in recenſenda hiſtoria Eccleſiaſtica veritatis ſinceritatiſque ſtudium. At quis ergò ſcriptorum libros iſtos in hanc, quam nunc habent formam, redegit? quis eos ex Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica ſupplevit? quis additamenta alia fecit? quis vera expunxit, falſa immiſcuit, clara obſcuravit? Verbô, quis inſigne Conſtantinianæ hiſtoriæ, procul dubio ab Euſebio ſcriptæ opus, tàm fœdè mendaciis conſpurcavit? Si rei circumſtantias penitiùs inſpiciamus, facilè (ut alibi paſſim luculentis indiciis demonſtravi) deprehendemus, non alium fuiſſe, quam *Acacium Luſcum*, Euſebii Pamphili Diſcipulum & in Epiſcopatu Cæſareenſi ſucceſſorem, Virum peſſimum, & ad omnem impietatem audaciſſimum. Hic enim, præter alia innumera planeque enormia adverſus Orthodoxos perpetrata crimina, tanquam Arianæ factionis Vexillifer & Anteſignanus ſceleſtiſſimus, (*a*) immani vecordia audaciaque abnegavit Nicæni Concilii ſcripta: hic audacter aſſeruit, (*b*) nihil obſtare, quo minùs nova fidei formula ederetur: (*c*) hic eandem fidem Nicænam, à trecentis & octodecim Patribus ſtabilitam labefactare, evertere, & alia de fide decidere aggreſſus fuit. Quid mirum proinde, ſi Magiſtri quoque ſui Euſebii Pamphili ſcripta de Vita Conſtantini in odium Orthodoxorum tam turpiter fœdavit, dum iis novam formam ſuper inducens, atque ad ingenium Arianorum inflectens ea poſt mortem Euſebii & Conſtantini ſub ſpecioſo Euſebii nomine vulgavit; ut hac verſutia, qua arte omnibus prævaluit, ea quæ Euſebius in Hiſtoria Conſtantini in favorem Catholicorum ſcripta poſt ſe reliquit, enervaret, ac præſertim Baptiſmum Conſtantini Romanum, per confictum Arianorum anabaptiſmum, penitùs everteret. Quid autem in reliquo de illis quatuor libris cenſendum, Colloquio VI. trutinavimus. Atque hæc ſunt, quæ Baptiſmo Nicomedienſi opponenda duxi. Ex quibus omnibus illud demum concludo, quod, cum

(*a*) S. Athan. de Synod.

(*b*) Sozom. l. 4. c. 21.

(*c*) Socrat. l. 2. c. 7.

Digitized by Google

cum ſententiæ tuæ vis omnis libris quatuor de vita Conſtantini innitatur, his verò, præter alia validiſſima rationum monumenta, adductæ hucuſque certioris Criſæos Theologicæ Regulæ fidem omnem & auctoritatem adimant; omnium quoque ſubſequentium Auctorum argumenta, utpotè librorum illorum auctoritati unicè ſuperſtructa vim ſuam & robur omne amittant; reſtat ergò, ut Baptiſmum Nicomedienſem inane ac putidum Arianorum figmentum dicamus, & indignam luce prolem oblivionis tumulo mandemus.

XXXIII. Euseb. Sententiam tuam, in habitis hucuſque Colloquiis, argumentis tam ponderoſis, tamque luculentis confirmaſti, ut non ſolùm adverſæ partis rationes penitùs enervaris, ſed etiam me lubentem prudentemque ad tuam ſententiam amplectendam induxeris. At tametſi mihi nunc certum ſit, Conſtantinum Nicomediæ non fuiſſe baptizatum, inhærent tamen nonnulli animo ſcrupuli, quibus impedior, quo minùs credam Romæ baptiſmum à Silveſtro Conſtantino fuiſſe collatum. Quapropter tàm mihi id gratum erit, quàm gratiſſimum, ſi quartam quoque ſententiam de Baptiſmo Romano, ea, qua polles explicandi peritia, diſcuſſeris; atque omnem omninò hæſitantis animo ſcrupulum exemeris.

XXXIV. Silvest. Tibi gratulor, mihi gaudeo, quòd tandem è tenebris in claram lucem emerſeris, & inepta tua præjudicia, veritati toties probatæ poſtpoſueris. Quod quartam attinet ſententiam, eam tantiſper ſuſpendere placuit. Cùm enim Autumnales, quæ inſtant feriæ, laſſatos ſtudentium animos ad rurales delicias avocent, nos quoque ad reſtaurandum aliquantulum animum in ſuburbana digrediemur. Quamprimum verò Pallas in literariam palæſtram ſuos revocârit, & nos Colloquia, quæ interrupimus, auſpicabimur.

Euseb. Superi te mihi ſalvum & incolumem præſtent, dum Urbem reviſas. Vale!

Finis Partis Primæ.

I N-

INDEX RERUM,

Quæ in hac prima Parte continentur.

A

A*Bſurditatis* plenum eſt, quod dicitur de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi. 138. 178.

Acaciani, iidem ac Ariani. 60. ſeqq. à quo denominati. 63. inducunt Aulicos ad ſuam ſententiam. 65. prętexunt Aetii hæreſim ex ignorantia ortam. 66. expellunt Catholicos Epiſcopos. 60. 66. eorum potentia. ibid.

Acacius Luſcus. 54. Euſebii Pamphili Diſcipulus, & in Epiſcopatu Cæſareenſi Succeſſor. 61. Arianæ factionis, poſt Euſebium Nicomedienſem, Coriphæus. 63. Eudoxii Patronus. 59. ſeqq. ſcripſit plures libros. 61. in Liberii Romani Pontificis locum Felicem conſtituit. ibid. 66. Perpetuum bellum geſſit cum Catholicis 63. verſutus & audax. ibidem. inſtigat ad repudiandum Catholicorum Sacramentum Ordinis 64. Euſebii Pamphili Præceptoris, poſt ejus mortem, libros conſequitur. 65. Ejus Sequaces *Acaciani*. 63. Damnatur in Concilio Sardicenſi. 67. ad omnem impietatem audaciſſimus ibid. maximè laborat, ut omnes in oblivionem Decretorum Concilii Nicæni adducantur. ibid. 214. Impius Sectarius. ibid. Peſſimus Epiſcopus. 68. Scelerum omnium Architectus moritur. ibid. 69. Similis eſt Presbytero, qui Conſtantini M. teſtamentum corrupit. 54. 60. 70. 92. Suſpectus propter quatuor libros de Vita Conſtantini. 85. 91. huic ſimillimus eſt Auctor dictorum librorum quatuor. 142. ejus ſententia, de iis, quæ in occulto fiunt. 143. Eunomii Patronus. 178. Suſpectus de Epiſtola, Euſebii nomine ad Conſtantiam ſcripta. 89. 91.

Aceſius Novatianorum Epiſ. 107.

Achyronè Villa, ibi moritur Conſtantinus M. 42. 144.

Acta Silveſtri culpantur nunc ab omnibus 6. Laudata antiquitùs. 76. à Valeſio tribuuntur Euſebio Pamphili. 75. item ab aliis. 76. non ſunt fundamentum primarium Conſtantini Baptiſmi Romani. 6.

Acta Liberii. 76.

Acta Metrophanis. 44.

Acta Nicæni Concilii corrumpunt Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus. 125.

Aegyptii ob Arii turbas diſſident. 119. 123.

Aetiani Sectatores Aetii. 54. dicti quoque Eunomiani. ibid.

Aetius Aurifaber hæreticus. 54. ejus execrabilis doctrina. 55. mittitur

in exilium. ibid. ejus dogma fovet Eudoxius.56. damnatur etiã ab Arianis.ibid. rediit cum Eunomio Antiochiam.ibid.eijcitur. 58. Conſortes ejus ipſum abdicant. ibid. doctrinam ejus retinet Eudoxius.59.

Alexander Patriarcha Alexandrinus, ſub eo oritur Ariana hæreſis.31. detegit Arii ſequaciumq; impietatem.32. moritur, & Succeſſorem habet Athanaſium. 36. non fuit cauſa contentionum in Aegypto.124.

Alexander Epiſcopus Conſtantinopolitanus non vult recipere Arium in communionem. 39. Orat, & Arius interit. ibidem & 40.

Alexandriæ orta eſt Ariana hæreſis.119.

Alypius & Macarius ſtanŗ pro Athanaſio.37.

S. Ambroſius non laudat Conſtantini baptiſmum Nicomedienſem 255. ſeqq. 298. non favet baptiſmum hunc defendentibus.255. ut hiſtoricus potuit falli, & fallere, propter Conſtantini baptiſmum 258. perſtringit Auxentium propter rebaptizationem. 266.

Anabaptiſmus à quibus introductus. 265. hunc vult Auctor librorum quatuor de Vita Conſtantini aſſerere.141. vide *Rebaptizatio*.

Anathema dicitur Euſebii Pamphili libris. 88.

Ancyrana Synodus. 56.

Anomianorum hæreſis.58.

Antiochena Arianorum Synodus.62.

S. Antonius M. cum metiuntur Ariani eſſe Arianum.221. vocatur ab Athanaſio Alexandriam.222. condemnat Arianos. ibid. Puellam à dæmone vexatam liberat. ibid. viſitat Paulum.ibid. voluit etiam poſt mortem Pauli ei communicare.223. ejus Orationibus ſe commendat M. Conſtantinus.224.

Apogrypha, vide libri *Apogryphi*.

Apogryphum idem, ac ſine auctoritate.103.

Ariana hæreſis, quando & ubi orta.31. 119. in varias ſectas dividitur.54. Inſtar Cancri latè ſerpit.33. damnatur in Concilio Alexandrino.31. item in Concilio Nicæno.33. ab ipſo Deo.40. vires accipit poſt mortem M. Conſtantini.51.

Ariani vivente Conſtantino M. mutire auſi non ſunt contra Nicænam fidem.41. 62. diſſentiunt. 56. remunerantur impietatem. 58. Cur magis faverint Conſtantio, quam Conſtantino fratri.47. 49. 50. ſummoperè laborant, ut poſt mortem M. Conſtantini Arii regnet opinio. 50. 52. eorum calumniæ adverſum S. Athanaſium.37. 38. 47. utuntur adjutore quodam Presbytero.50. 51. 52. rurſus inſurgunt contra Athanaſium.50. 62. ejus reditum impedire contendunt. 52. Acetium licet Arianum pro hæretico habent.54. eorum, & Acacianæ factionis acta in Synodo Conſtantinopolitana. 60. eorum odium in S. Athanaſium.62. Contendunt decreta Concilii Nicæ-

Digitized by Google

ni abrogare. ibid. 63. alias ac rurſus alias fidei formulas concipiunt. ibid. 214. 215. animos extollunt ſub Conſtantio. 63. repudiant Catholicorum Sacramentũ Ordinis. 64. 218. excitant tumultus Alexandriæ, & per totã Aegyptum. 169. 123. poſt Concilium Nicænum rurſus turbant Eccleſias. 123. ſeq. conſtanter aſſerunt Conſtantinum M. ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum. 137. Conſilio diabolico confinxerunt Conſtantinum Nicomediæ baptizatum. ibid. Criminantur Conſtantinum M. & Liberium Rom. Pontificem. 141. non prohibent Conſtantium Arianum Imp. intereſſe Concilio Antiocheno. 153. quis inter eos Catechumenus, quis fidelis incertum. ibid. Vocantur Porphyriani. 208. reconciliantur per ſolam manuum impoſitionem. 213. eos irritat Canon Nicęnus. 214. 217. Epiſcopos Catholicos deponunt, & expellunt. 60. eorum calumnię in Catholicos. 216. ſeq. furor & tyrannis. ibid. mendacia ibid. quantum glorientur in rebus peſſimis. 217. exiſtimant ſuum baptiſmum meliorem, quam Catholicorum 218. rebaptizant Catholicos. ibid. 264. reiterant Sacramentum Ordinis. ibid. retorquent in Catholicos, quę contra eos in Nicæna Synodo ſtatuta fuerunt. 219. Viros Clariſſimos ſuos facere ſtudent. 220. faciunt S. Lucianum Martyrem Arianum 220. item Origenem ibid. item Antonium Magnum. 221. item Liberium Rom. Pontificem. 141. Item Arianum facere ſtudent Conſtantinum Magnũ. 136. 137. in fine, & 167. ſeq. Vanum, ac inutile eorum baptiſma. 266. eorum baptiſmatis forma. ibid. ſuſpecti de Veneno Conſtantino exhibito. 172.

Ariminenſium Patrum Epiſtola Synodica corruptiſſima. 229. ſeq. non dat locuples teſtimonium de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi. 230. locus maximè corruptus reſtituitur 241.

Arius, quis & unde. 31. ſeqq. damnatur in Synodo Alexandrina. ibid. Schiſma conflat in Aegypto 32. damnatur in Concilio Nicæno. 33. in exilium ablegatur. 34. revocatur, ſed Alexandriam ingredi prohibetur. ibid. exhibet Imperatori ęquivocam fidei confeſſionem. 36. recipitur in Tyria Synodo. 37. revertitur Alexandriam, & Civitatem turbat. 38. accerſitur ab Imperatore Conſtantino Conſtantinopolim. ibid. profert coram Imperatore fallaciter ſuam fidei confeſſionem. 39. eum adigit Imperator ad jusjurandum. ibid. falsò jurat. ibid. horrenda ejus mors 40. infamem ejus mortem Conſtantinus promulgat. 187. pro perjuro, & damnato hæretico Conſtantinus eum habet. 41. ejus nomen celat Auctor Vitæ Conſtantini. 119.

Arii duo. 53.

Ars abſque uſu infœcunda. 184.

Arteria aſpera comparata cum hiſtoria. 131.

Aſclepas, & alii viri Catholici proſcin-

ſcinduntur ab Arianis.216.ſeqq.

Aſphalius presbyter Aetii hæreſis fautor.57.

S. *Athanaſius* ſuccedit Alexandro. 36. opponit ſe Ario redeunti ab exilio.ibid. Ariani contra ipſum aciem inſtruunt, & crimina confingunt.37.Conſtantinus eum ad ſe rogat, & honorificè dimittit ibid. deponitur ab Arianis in Tyria Synodo. ibid. Calumniis Arianorum opprimitur, & in exilium mittitur.38.vivit inGalliis ſub tutella Conſtantini junioris.46. 47. Laudatur à Conſtantino Juniore. 48. redit cum ejus literis Alexandriam ibid. excipitur cupidè ab omnibus, exceptis Arianis.ibid.ob inſidias Arianorum fugit Romam. 50. agit apud Julium Papam.62. Sedi ſuæ reſtituitur.64. fugit in ſolitudinem. ibid. rediit mortuo Conſtantio.68. ejus nomen ſcribere dedignatur Auctor Vitæ Conſtantini. 121. adfuit Concilio Nicæno Diaconus. ibid. proſcinditur ab Arianis.216. ſeqq. revocatur per M. Conſtantinum ab exilio.48. 224. Conſtantem Imperatorem ad paternæ pietatis hęreditatem animat.235.Cum M. Oſio ad Concilium Sardicenſe proficiſcitur.ibidem. deplorat Conſtantis mortem violentam 243. ejus judicium de Arianorum baptiſmo.266.

Auctor Librorum quatuor de Vita Conſtantini, alius eſt, quam Euſebius Pamphili Cęſareenſis.86. velut Iconomachorum Patronus reijcitur inConcilioNicęnoII.ib. ejus libri damnati.88. non eſt hiſtoricus,ſed Economiſta.92.293. Arii facta leviter perſtringit.106. fuit Arianus.109. 140. ejus appetitus laudis.115.ſtudiosè ſupprimit Arii vocabulum.119.quo affectu fuerit in Orthodoxos. 121. nihil memorat, quæ in Nicæno Concilio de Ario acta ſunt. 123. quomodo Arianorum hæreſin deſcribere ſoleat.119. 123. dicitur bilinguis.ibid. 124. negat, quæ alibi affirmat.ibid.ejus mendacia 116. 117. ſeqq. 191. ſeqq. ſilet dolo peſſimo.128.utitur in narratione de baptiſmo Conſtantini vafris ambagibus. 134. 142. reputatur inter eos, qui paſſione ducuntur.135. non eſt auſus miniſtrum Conſtantiniani Baptiſmi prodere.135.171. ſinxit Conſtantinum Nicomedię baptizatum. 139. intendit per hunc baptiſmum reformare, & evertere Catholicorum Sacramentum Baptiſmi.140. 162. vult anabaptiſmum aſſerere.141.295. Similis eſt presbytero, qui Conſtantini teſtamentum corrupit. ibid.eſt ſimillimus Acacio Luſco. 142. innuit Conſtantinum pridem ante mortem baptizatum. 160. non comprobat, ſed calumniatur Conſtantinum baptizatum Nicomediæ. 184. reprobat Catholicorum communionem 191. ſeqq. Arianorum Sacra obtrudit pro legitimis. 191. 200. 207. obſcurè loquitur de baptiſmo Nicomedienſi.195. Mimum agit de hoc baptiſmo tractans. 204.primus eſt, qui de baptiſmo

Con-

Conſtantini Nicomedienſi ſcripſit. 257. refutatur hocce ejus figmentum.288. ſeqq.per totum
Auctores qui poſt Vitæ Conſtantini Auctorem de baptiſmo ejus Nicomedienſi ſcripſerunt, figmentum ex eo hauſerunt.257.
Auctores veteres quidam quomodo legendi.129.
Auxentius Mediolanenſis Arianus putat fideles rebaptizandos.266.

B

Baptiſmus non vocatur teſtamentum. 249.
Baptiſmus Conſtantini Nicomedienſis, mendacium pernicioſum eſt. 133. 140. confictus ab Arianis.136. ſeqq. hunc Ariani conſtanter aſſerunt.137. ut figmentum exploditur. 258. 288. ſeqq. per totum.S. Ambroſius illum non laudat.255. Chronicon Hieronymi propter eum valde variat, & Arianorum dogma vocat.274. ſeqq.290. S. Iſidorus propter eum exclamat.19. de hoc non memorant Patres Ariminenſes.241. ſeqq. nec SS.Martyres Jovianus, & Hercolianus. 249. Veteres qui de eo tractant ſunt omnes decepti.277. 281. eſt turpe mendacium.134.ſeqq.168.
Baptiſmus Catholicorum rejicitur, & iteratur ab Arianis.218. 264. variis inſignitur nominibus.248. ſeqq. non vocatur teſtamentum. ibid. non confertur Arianis 213. hunc ſuſcepit Conſtantinus M. Romæ. 10.136.149. 152. ſeqq.
Baptiſmum nonnulli differebant poſt Concilium Nicænum. 179.
Baptiſmus Arianorum dubius. 266. non iteratur abs Catholicis. 213.
Baptiſmus Clinicorum minùs perfectus.180.
Baptizandi munus non alterius,niſi proprii Epiſcopi.199.
Baptizati in ægritudine fides non eſt voluntaria.2561. 80.
Baronii ſententia de libris quatuor vitæ Conſtantini iii. ſeqq. de Conſtantini baptiſmi Nicomedienſis dilationis cauſa. 174. de ipſo baptiſmate Nicomedienſi. 138. de textu Ambroſii pro Confirmatione illius baptiſmi adducto.254. 258. de Patrum Ariminenſium Epiſtola Synodali. 243. de Chronico Hieronymiano ejuſque textu de baptiſmo Nicomedienſi.270. 281.
Baſilius Ancyranus reſiſtit Eudoxio.56.mittitur ad Conſtantium Imp. 57.
Bellum Licinianum primum. 149. ſecundum.ibid.
Bithyni Euſebius Nicomedienſis, & Theognis Nicænus pacem turbant in Eccleſia poſt Concilium Nicænum.125.

C

Calumniæ Arianorum in Athanaſium.37. ſeqq.in alios. 216.
Cani Melchioris ſententia de Auctore Baptiſmi Nicomedienſis.iii.vocat hunc baptiſmum fabulam.258. Secundum ejus regulas demonſtratur hic baptiſmus

Digitized by Google

ſmus fictitius. 135. 291. ſeqq.
Canon Nicænus irritat Arianos. 214.
Canones ſervari præcipit Conſtantinus M. 156. ſeq.
Canones Nicæni num plures numero, quam viginti. 210.
Catechumeni per ſignum Crucis ſuſcipiuntur ab Eccleſia. 201. accipiunt ſal benedictum in Paſchate. 189.
Catechumenus non fuit factus Conſtantinus Nicomediæ. 167.
Cathedra S. Jacobi Ap. habetur pro reliquia Sacra. 90.
Catholici non orabant cum nondum baptizatis. 133. non reiterant baptiſmum. 213.
Cautela à Valeſio Operibus Euſebii præfixa. 104.
Cenſura Gelaſii Papæ ſuper libris Euſebii. 96. ſeqq. duplicem in ſe continet ſententiam. ibid.
Chronicon Euſebii quouſque productum. 83. quando publicatum. 84. latine redditum, & ulterius productum ab Hieronymo. 83. cenſetur mutilatum, & interpolatum. 114. 269. ſeqq.
Chronicon Hieronymi corruptum. 269. ſeqq. textus illius de baptiſmo Nicomedienſi corruptiſſimus. 274. ſeqq.
Clinici qui? 180. eorum fides non eſt voluntaria. ibid. 256.
Collucianiſtas ſe vocant Ariani. 220.
Conciliabulum Sirmienſe. 56. Conſtantinopolitanum. 58.
Concilium Nicænum I. quando celebratum. 33. huic intereſt Conſtantinus M. ibid. & Oſius. 121. S. Athanaſius tunc Diaconus. ibidem. in eo damnatur Ariana hæreſis. 33. num hujus Concilii plures quam viginti Canones. 210.
Concilium Nicænum II. in eo repudiatur Euſebius, & libri ejus. 88. item Auctor Epiſtolæ ad Conſtantiam ſcriptæ. 86. ſeqq.
Conſtans Imp. ſcribit pro Athanaſio, & Paulo ad Fratrem Conſtantium. 244. ſeqq. cogit eum, ut illos ſedibus ſuis reſtituat. 245. in fine vitæ baptizatur. 243. occiditur in Galliis. 238. 241. 243. Laudatur ab Athanaſio. 246. deploratur ab eodem Sancto. 243.
Conſtantem non *Conſtantinum* legendum eſt in Epiſtola Synodica Patrum Ariminenſium. 241.
Conſtantia Conſtantini M. Soror, Uxor Licinii ſeducitur à quodam Ariano presbytero. 35. petiit imaginem Chriſti, à quo? 87. 89. moriens presbyterum occultum Arianum fratri Conſtantino commendat. 35.
Conſtantinus M. falsò dicitur baptizatus ſub Melchiade Papa. 8. 11. perperam dicitur rebaptizatus Nicomediæ. 13. ſeqq. 19. 21. 274. conſtanter ab Arianis dicitur baptizatus in fine vitæ Nicomediæ ab Euſebio. 137. fuit pridem ante mortem baptizatus Romæ à Silveſtro. 10. 77. 136. 137. 149. 152. 160. Non fuit factus Cathecumenus Helenopoli. 165. 167. nondum baptizatus in loco ſeparato orat. 149. 150. cum univerſo Eccleſiæ cœtu preces reddit. 20. 146. 159. Orat cum Nicænis Patribus. 158. 159. 187.

187. cum aliis Epiſcopis. 152. omnibus exemplo prgit in Eccleſia. 147. Paſcha celebrat. 188. 189. 190. fuit myſteriorum particeps. 147. 188. omnes divinos ſacrorum ritus obibat. 188. 191. abſq; baptiſmo non potuiſſet intereſſe Concilio Niceno, nec orare cum Patribus, vel cum fidelibus. 20. ſeq. 136. 137. 158. 159. Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis ſuſcepit ante mortem. 162. 163. 202. 204. ejus humilitas, & reverentia ergà Nicænos Patres. 33. 156. Decreta Conciliorum ſua conſignat Auctoritate. 157. adigit Arium ad jusjurandum. 39. Arii effuſis viſceribus diſruptum pro damnato heretico habet 41. poſt mortem Arii fidem Nicænam divina auctoritate confirmatam aſſeruit. 40. huic fidei tum firmius adhæſit. ibid. nunquam dubius aut anceps fuit in fide poſt Nicænum Concilium. 186. 40. defenditur propter exilium S. Athanaſii, & acta cum Arianis. 41. averſatur Arianos, ſive Euſebianos. ibid. graviter commovetur ab Euſebio Nicomedienſi. 125. amandat S. Athanaſium ad tempus in Gallias, ut liber eſſet ab Euſebianorum crudelitate. 47. animum habet ante mortem revocandi Athanaſium. 48. 49. ſenſit vivus, & moriens cum Athanaſio. 224. ejus modeſtia. 116. ejus nondum baptizati, & baptizati precandi diverſus modus. 147. 149. 150. nondum baptizatus ſe non ingeſſit ad preces fundendas cum fidelibus. 149. Canones, & Traditiones ſervari præcipit. 156. 157. laudat Euſebium Pamphili quod Canones ſervet. ibid. Paſchatis feſtum ſervari præcipit. 190. jubet Arianos vocari Porphyrianos. 208. Arii infamem exitum omnibus promulgavit. 187. pridem ante mortem perfectus fuit Chriſtianus, ideſt baptizatus. 195. ejus victoriæ nonniſi ſanguinolentæ. 118. ejus ſermo Proſphoneticus haud rectè dicitur fictus. 122. ipſi cauſant moleſtias Ariani. 120. infirmus Conſtantinopoli Heleonopolim digreditur. 144. inde Nicomediam. ibid. moritur Sanctiſſimè Nicomediæ in Suburbano Villa Achyrone. 42. 144. 208. 276. 248. Veneno ſublatus eſt. 172. ei morienti nemo adfuit, niſi quidam presbyter occultus Arianus, & Eunuchi. 42. 45. teſtamentum concredit presbytero ibid. ejus filii Principes, non ut ipſe inſtituit, ſed ut presbyter, & Ariani voluerunt, inſtituti ſunt Romani Imperii hæredes. 43. ſeq. ei morienti nullus adfuit Epiſcopus. 142 Ariani, & Ethnici eum velut Spurium calumniantur. 136. Ariani ſuum facere ſtudent. ibid. Ariani eum criminantur. 141. ſecum eum ſenſiſſe aſtruunt. 137. ejus vitæ Auctor Arianus mendaciter ſcribit Nicomediæ baptizatum, ideſt rebaptizatum. 263. cur aliquando deſideraverit baptizari in Jordane. 177. ejus baptiſmi dilationis cauſa refutatur. 181. ſeqq.

Romæ

Digitized by Google

Romæ baptizatum nummus docet. 128. poſt mortem filiis in exemplum pietatis ab Athanaſio proponitur. 235. Eccleſia eum Romæ baptizatum certò prædicat. 138. 278.

Conſtantinus Junior à Patre Conſtantino M. inſtituitur heres Orientis. 45. 47. extruditur ab Arianis, & accipit Occidentem. ibid. erat fautor, & Patronus Athanaſii. 48. Oſor factionis Euſebianæ. ibid. & 48. Patris Orthodoxi veſtigia premit. 47. laudatur à S. Athanaſio. 49.

Conſtantius Imp. declaratur hæreticus à Felice Papa. 18. baptizatur in fine vitæ ab Euzojo Epiſcopo Ariano. 18. 63. inſtituitur à Patre Conſtantino M. heres Occidentis, ſed proditione Arianorum accipit Orientem 42. 45. erat flexibilis ad omnem nutum, & inconſtantis animi. 50. cur Ariani ipſi faverint. ibid. ſeqq. 52. Rogatur, ut cum Ario ſentiat. 45. venit Romam, & agit triumphum de Magnentio. 55. deluditur ab Eudoxio. ibid. jubet Eudoxium expelli Antiochia. 57. SS. Athanaſium, & Paulum ſedibus ſuis reſtituere tergiverſatur. 244. compellitur ad hoc à fratre Juniore. 245. non prohibetur ab Arianis ſacris intereſſe cum illis. 153. prohibetur autem abs Catholicis. ibid. 154. moritur hæreticus 68. impiiſſimus. 153. vocatur beſtia à S. Hieronymo. 68.

Crimina adverſus Athanaſium ab Arianis conficta. 37. ſeqq.

Criſeos Regulæ ad diſcernenda facta vera à falſis. 287. ſeqq.

Criſpus interficitur. 117.

Critici mirantur, cur Gelaſius Euſebii hiſtoriam referat inter apogrypha. 114.

Cultus Imaginum antiquiſſimus. 90. contra nugantur Theopaſchitæ. 86.

Cyrillus ordinatus presbyter ab Acacio, & aliis Arianis ſollicitatus ordinationem repudiat, & Diaconus in Eccleſia miniſtrat. 64.

D

Decretum Concilii Nicæni de modo recipiendi Arianos. 209. quid de hoc atque aliis Canonibus ex verſione Arabica cenſendum. 210. ſeq.

Decretum Gelaſii I. Papæ de libris recipiendis & non recipiendis. 95. ſeq. in eo Decreto notatur hiſtoria Euſebii Pamphili, non tamen rejicitur 97. alia ibidem ejus hiſtoria rejicitur inter apogrypha 98. quæ ibidem Apogrypha vocantur, non planè vitanda à Catholicis. 99. 101.

Defectus & vitia in libris quatuor de Vita Conſtantini comprehenſa. 115. ſeqq.

Diabolicum Arianorum figmentum baptiſmus Nicom. 137.

Differentia inter mentiri & mendacium dicere. 133.

Dilationis Baptiſmi Conſtantini cauſam rident auctores. 173. demonſtratur falſa. 178. ſeqq. refutatur. 181. ſeqq.

Dif-

Diſſenſio inter Epiſcopos Arianos. 56.

Diviſio Romani Imperii inter Liberos Conſtantini Magni. 42. fraudulenter ab Arianis inſtituta. 43. ſeqq.

Doctrina fidei Nicænæ poſt mortem Conſtanrini M. rurſus in controverſiam vocatur. 52.

Dogma Arianorum fuit rebaptizatio. 218. 262. 264.

Dominicum Aureum templum Antiochiæ nuncupatum. 62.

Donatus Chriſtianos rebaptizat. 264.

Drepanum ſive *Drepana* Urbs Bithyniæ natale ſolum S. Helenæ. 144. vocatur Helenopolis. ibid.

E

ECcleſia, quantum averſatus ſit eam Auctor Vitæ Conſtantini. 112. 127. non penitùs vitanda præcipit, ſed cavenda vel cautè legenda cupit apogrypha. 101. Baptiſmum Conſtantini Nicomedienſem ad ultimam Thulen relegat. 102. cui Auctori derogat, nos quoque derogamus. 129. deprædicat Conſtantinum M. pium ac Religioſiſſimum. 267. prædicat Conſtantinum Romæ certò baptizatum. 138. 278.

Effigies Chriſti à muliere Evangelica erecta. 90.

Eleuſius Ep. ab Arianis exturbatus. 58.

Epiſcopi Ariani diſſentiunt. 56.

Epiſcopi Catholici aliàs defenſores S. Athanaſii recedunt ab eo. 38

Epiſcopi non adfuerunt Conſtantino morienti. 171.

Epiſtola Servatoris ad Abagarum cum ſua reſponſione apogrypha. 99.

Epiſtola Melchiadi Papæ falsò adſcripta. 8.

Epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam de imagine Chriſti ſcripta, dubiè Euſebio Pamphili tributa. 86. 87. quis alius ejus Auctor. 89. 91.

Epiſtola Conſtantini Junioris pro Athanaſio & adverſus Arianos ſcripta. 48.

Epiſtola Patrum Ariminenſium corruptiſſima. 230. ſeq. in ea ſecundo loco non Conſtantinum ſed *Conſtantem* legi debet. 241.

Epiſtola Hieronymi de Vinculis Petri fictitia. 269.

Eudocius ſive *Eudoxius* non videtur Presbyter ille, qui Conſtantino morienti adfuit & ejus teſtamentum corrupit. 54. fit Aetio perfamiliaris. 55. in exilium mittitur. ibid. revocatur. ibid. venit Romam cum Conſtantio Imper. ibid. invadit Epiſcopatum Antiochenum. ibid. fovet Aetii dogma. 56. eum deteſtatur Conſtantius. 57. ejicitur ex Eccleſia Antiochena. 58. fit Epiſcopus Conſtantinopolitanus per factionem Acacianam. ibid. 59. 60. ejus blaſphemiæ. 59. obiit. ibid. Aetium non ejus doctrinam abdicavit. ibid.

Eunomiani ſic dicti ab Eunomio. 54.

Eunomius Aetii ſcriba & diſcipulus. 54. Aetii hæreſis promotor. ibid.

ibid. cjicitur ex Eccleſia Antiochena. 58. fit Epiſcopus Cyzici. ibid. ejus impia doctrina. 178.

Eunuchi ſocii proditionis teſtamenti Conſtantiniani. 45. fiunt Ariani ibid. 51.

Euſebiani, eorum factio. 37. 39. Vide *Ariani*.

Euſebius Ep. Nicomedienſis ejectum Alexandriâ Arium recipit. 32. fictè approbat fidei Nicænæ formulam. 34. mox iterum ſe exhibet Arii defenſorem & in exilium mittitur. ibid. revocatur. 36. inſurgit contra Athanaſium. 37. habet partes in proditione teſtamenti Conſtantiniani. 45. 171. ſeqq. omnes ſuos nervos contendit cum Theogne. ut poſt mortem M. Conſtantini fidem Nicænam ab Eccleſia exturbaret, Ariique opinionem in ejus locum introduceret. 51. Summoperè laborat, ut Arii regnet opinio. 52. utitur adjutore quodam presbytero Conſtantio Imperatori perquam familiari. 50. 171. ejus inſidiæ apud Imperatorem contra Athanaſium. ibid. Præſidet Concilio Antiocheno. 62. acerrimus Arii Propugnator. 125. corrumpit Acta Nicæni Concilii ſuamque ſubſcriptionem delet. ibid. accuſatur apud Conſtantinum. ibid. ejus audax & perverſa reſponſio. ibid. Propugnator impietatis. 153. laborat impedire reditum Athanaſii. 171. 224. ab eo Conſtantinum M. Nicomediç baptizatum Ariani conſtanter aſſerunt. 137. non fuit Miniſter hujus fictitii baptiſmatis. 196. ſeqq.

Euſebius Pamphili Ep. Cæſareenſis primarius dicitur Auctor & aſſertor Baptiſmi Conſtantini Nicomedienſis. 5. 24. ejus narratio de hoc Baptiſmo defertur dubia. 6. non admittitur teſtis ocularis hujus baptiſmi. 30. fidem nullam meretur, ſi Auctor hujus Baptiſmi extitit. 72. non adfuit Conſtantino morienti Nicomediæ. ibid. fabulam de hoc Baptiſmo ab Euſebio Nicomedienſi haurire potuit. 258. dubitatur num Auctor ſit librorum quatuor de Vita Conſtantini. 73. dubitatur num omnia Euſebii ſcripta, Euſebii Nomine vulgata. 77. ejus ſcripta recenſentur. 74. 76. 77. eſt Auctor Actorum Silveſtri 75. 76. inter dubia ejus opera rejiciuntur libri quatuor de Vita Conſtantini 77. 78. 79. 80. ſeq. jam olim falsò creditus horum librorũ Auctor. 86. quouſque ſuam produxerit hiſtoriam & Chronicon. 80. 81. ſeq. dubius Auctor dictorum librorum de Vita Conſtantini. 83. propter Epiſtolam ejus nomine ad Conſtantiam ſcriptam, damnantur libri ejus, in Concilio Nicæno II. 88. dubius Auctor illius Epiſtolæ. 89. adducitur in teſtem ab Iconomachis. 86. ſeqq. non tamen videtur Iconomachorum Patronus. 90. ſcripſit non contrà ſed pro cultu Imaginum. ibid. num Arianis vel Orthodoxis annumerandus, dubium. 88. ſeq. convincitur Arianæ hæreſi ad mortem uſque adhæſiſſe, ſi librorum quatuor de Vita Conſtantini Auctor extitit. 88. ſeq.

ſeq. non videtur habuiſſe notitiam cum Conſtantia Auguſta ſed diſcipulus ejus Acacius. 89. ejus encomia. 93. Ejus hiſtoria Eccleſiaſtica notata propter Origenis defenſionem. 94. ejus hiſtoria primo loco in Decreto Gelaſiano nominata ab Eccleſia approbata. ibid. ejus hiſtoria ſecundo loco in dicto Decreto inter Apogrypha rejecta. 95. ſeq. cautè legendus. 105. notatur propter libros de Vita Conſtantini. 106. 107. perſtringitur propter illos libros 110. ſeqq. ejus opera cenſentur interpolata. 114. optimi hiſtorici functus officio. 117. ingenuus hiſtoricus. 119. ſub ejus nomine & auctoritate fingunt Ariani Conſtantinum poſt mortem factum Arianum. 225. Eruditorum judicia de ejus Chronico. 270. ſeq. Confeſtim poſt Conſtantinum M. moritur. 61. Throni ſui Cæſareenſis reliquit ſucceſſorem Acacium diſcipulum. ibid.

Euzojus Ep. Arianus baptizat Conſtantium Imp. in fine Vitæ. 18. 200.

F

FAbula quid ſit. 132.

Fabularii hiſtoria eſt narratio de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſis. 134. 258.

Fauſta interfecta. 117.

Fauſti Regenſis ſcripta apogrypha. 103.

Falſitas circuitiones quærit. 135.

Felix Papa declaravit Conſtantium Imp. hæreticum. 18.

Filii Conſtantini M. duo circa finem vitæ baptizati 18.

G

GAllus Cæſar propè Polam occiditur. 55.

Gelaſii Papæ I. cenſura de libris Euſebii Pamphili. 94. duplex ejus ſententia. 95. ejus Decretum de libris recipiendis & apoghryphis. ſeqq. ibid.

Genebrardi ſententia de lavacro Conſtantini Nicomedienſi. 195.

Georgius Ep. Laodicenus defert Eudoxium & Aetium apud Concilium Ancyranum 56.

Georgius Ep. Alexandrinus Arianus, quanta mala intulerit Eccleſiæ Alexandrinæ. 64.

Gothofredus non admittit Euſebium Pamphili ſeu Cæſareenſem librorum quatuor de Vita Conſtantini Auctorem. 86. 257. aſſerit eorum librorum Auctorem Iconomachorum Patronum. ibid.

Græci Latinorum æmuli. 138.

Gregorius Ep. Arianus præſidio militum Alexandrinum Epiſcopatum invadit. 62.

H

HAvelburgenſis opinio de rebaptizatione Conſtantini. 13. ſeqq.

S. Helena ubique cernebatur in Eccleſiis. 146.

Helenopolis Civitas anteà Drepanum vocata. 144. ibi peregit Con-

Digitized by Google

Conſtantinus ante mortem Confeſſionem Sacramentalem. 168. ibi non fuit factus Conſtantinus Catechumenus. ibid.

Heraclius ordinatus Epiſcopus, Arianis ſolicitantibus in presbyterum regradat. 65.

S. Hieronymi Chronicon depravatum. 270. textus ejus de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi corruptiſſimus. 274. ſeq.

Hiſtoria de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi. defertur dubia & ſuſpecta. 6. non eſt hiſtoria, nec fabula ſed confictum mendacium 130. ſeqq. per tot. examinatur & refutatur hoc figmentum. ibid. & 287. ſeq. per totum. eſt apogrypha. 103.

Hiſtoria de Baptiſmo Conſtantini Romano ubique nota & laudata. 102. approbata à Gelaſio Papa, & Nicæni Concilii II. Patribus. 103. 118. Syri nullum in ea ſuppoſitionis, aut fabulæ vitium agnoverunt. 103. ejus fons non ſunt Acta Silveſtri ſed Conſtantini fidei confeſſio. 6.

Hiſtoria vera à falſa quomodo diſtinguenda. 134. 286. ſeqq.

Hiſtoria fabularis quæ. 133.

Hiſtoria humana qualem fidem meretur. 258.

Hiſtoriæ Lex. 131. 196.

Hiſtorico, cui Eccleſia derogat, nos quoque derogamus. 129. vacuus debet eſſe ab amore, odio, metu. 134.

Hiſtoricus omnis, præter hiſtoricos Sacros, poteſt falli & fallere. 258.

I

Jacobatius Card. non Conſtantinum M. ſed ejus filium putat rebaptizatum. 19.

Iconomachi adducunt Euſebium Pamphili teſtem. 86.

Imaginum cultus apud Chriſtianos antiquiſſimus. 90.

Impietatem Ariani remunerantur. 58.

Jordanis fluenta lepram mundant. 177. propter Jordanem non diſtulit M. Conſtantinus Sacramentum baptiſmatis. 178. num aliquando deſideraverit in eo baptizari. 177.

Jovianus Imp. Orthodoxus petiit ab Athanaſio fidei expoſitionem. 68. Epiſcopos exules revocat. ibid.

S. Iſidorus deplorat baptiſmum Conſtantini Nicomedienſem.

Judicia Sanctorum de Sanctis. 224.

L

Lavacrum, ſive baptiſmus Conſtantini Nicomedienſis; ejus primaria deſcriptio. 25. obſcurè deſcribitur. 195.

Lavacrum quotidianum Sacramentum pœnitentiæ 163. 181.

Leontius Ep. Antiochenus ordinat Aetium. 54. Succeſſorem habet Eudoxium. 55.

Lepra morbus edax & mors Carnis 251. difficile curatur. ibid.

Leproſus extitit aliquando Conſtantinus M. 177. 252.
Liberium Rom. Pontificem Ariani faciunt Arianum. 141.
Liber apogryphus. 100. non recipitur ab Eccleſia. ibid.
Libri apogryphi non ſunt eorum, quorum titulis prænotantur. 101. ad dogmatum veritatem non adhibendi. ibid. cavendi, non tamen prorſus vitandi. ibid. ſunt exauctorati. 103.
Libri certi ab incertis ſecernuntur in Concilio Romano. 94.
Libri quatuor de Vita Conſtantini dubiè adſcribuntur Euſebio Pamphili. 77. non probantur eſſe Euſebii ex ejus nomine, & titulo capitibus præfixo. 80. quando ſcripti & publicati. 84. 116. ſeq. ſunt ſuſpecti de interpolatione, & corruptione. 85. 114. reclamant contrà Euſebium Pamphili 91. potiùs diſcipulū quam magiſtrū Auctorē habere teſtantur. ib. ſeq. ſunt interpolati ex Euſebii hiſtoria Eccleſiaſtica. 92. 108. 115. eorum vitia & defectus 107. ſeqq. 116. Eorum incertus auctor Arianus 100. videntur à Gelaſio inter apogrypha rejecti 96. ſeqq. ſunt ſine auctoritate. 114. tanquam Ariani Auctoris ab Eccleſia non ſunt recepti 100. 101. quis eorum interpolator, corruptor aut planè Auctor. 85. 295. continēt in ſe falſitates, fraudes & dolos. 139. in iis ſunt mala mixta bonis. 129. non ſunt planè rejiciendi aut vitandi. 102. 129.
Licinianum bellum primum. 149. ſecundum ibid.
Licinius Junior interfectus. 117.
Lirinenſis exhibet furorem Arianorum & tyrannidem 215. ſeqq.
Lucianum martyrem Ariani faciunt Arianum 220.

M

Macedonius Ep. Conſtantinopolitanus exauctoratur. 58.
Magnentius impius Parricida. 242. eum deteſtatur S. Athanaſius. 243.
Manus in Nummo Conſtantini expreſſa quid? 127. 128.
Manus impoſitio quid? 165. eſt frequentiſſima cæremonia Eccleſiaſtica 166. adhibetur ad omnia Sacramenta. ibid. per eam minimè probatur Conſtantinus M. Catechumenus factus in fine Vitæ Helenopoli. 165. 167. per eam reconciliantur Ariani. 213.
Marcellus Epiſcopus proſcinditur ab Arianis. 216. 217.
Marcioniſtæ introducunt anabaptiſmum. 265.
Martinus honorat presbyterum ante Regem. 155.
Mendacium quid? 133. ſe ipſum prodit. 135. circuitiones quærit. ibid.
Mendacium perniciosum eſt, quod legitur in libris Vitæ Conſtantini de ejus Baptiſmo Nicomedienſi. 133.
Mentiri & mendacium dicere differunt. 133.
Militares ordines habebant ſecum Sacerdotes & Diaconos ad rem di-

Digitized by Google

divinam peragendam tempore belli. 151.
Miniſter, qui Conſtantino M. in. Articulo mortis Sacramenta adminiſtravit, occultus Arianus. 202.
Miniſtrum baptiſmi Conſtantini Nicomedienſis non audet Auctor prodere. 196. is non Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus. ibid. ſeq. non Orthodoxus, non hæreticus Sacerdos. 199. non Oſius, ibid. non conſtat de eo. 200.
Morbus incurabilis eſt Lepra. 251.
Mulieris Evangelicæ ſtatua deſcripta. 90.

N

N*Annius* genuinam PP. Ariminenſium Epiſtolæ lectionem exhibet. 232.
Narciſus Arianus audaciſſimus. 67. in Sardicenſi Concilio rejectus. ibid.
Nicephori veriſſima ſententia de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi. 138. 278.
Nicolaus purpuratos terret. 155.
Nicomediæ nec baptizatus nec rebaptizatus fuit Conſtantinus M. 21.
Nummus Conſtantini ſubdolè non explicatur ab ejus Vitæ Auctore. 127. quid manus in eo denotet. 128.

O

O*Mnes* decepti quicumque poſt Auctorem de Vita Conſtantini de ejus Baptiſmo Nicomedienſi meminerunt. 277. 281.
Orientales in hiſtoria de Baptiſmo Conſtantini Romano nullum ſuppoſitionis aut fabulæ vitium agnoverunt. 103.
Origenes propter eruditionem legendus 129. propter eum notatur Euſebius Pamphili 94. hunc Ariani faciunt Arianum. 220.
Origo Arianæ hæreſis 31.
Oſiander ridet Conſtantini Baptiſmi dilationis cauſam 173.
Oſius Ep. Cordubenſis Alexandriam mittitur 32. 120. adeſt Concilio Nicæno, & Silveſtri Romani Pontificis locum obtinet. 121. num ejus nomen aliquando extiterit in libris quatuor de Vita Conſtantini. 113. ſeqq. ejus nomen dedignatur ſcribere dictorum librorum Auctor. 121. num ab eo baptizatus Conſtantinus Nicomediæ, 199. proſcinditur ab Arianis. 216. ſeqq.

P

P*Agii* ſententia de Euſebio Pamphili. 88. Sibi contrarius propter Epiſtolam PP. Ariminenſium. 240.
Paſcha celebrat M. Conſtantinus cum omnibus fidelibus 188.
Paſchatis feſtum una die celebrandum decrevit Nicæna Synodus. 34. hoc Conſtantinus M. omnimus promulgat & ſua auctoritate quoque ſervari præcipit. 190.
Patres Ariminenſes in ſua Epiſtola Patris & fratris exemplum Conſtan-

ſtantio proponunt 243. 247.
Patrophilus Arianus audaciſſimus. 67.
S. Paulus primus Eremita viſitatur ab Antonio, 222. Spiritu Propheti-co novit Athanaſiū. 223. poſt ejus mortem cupiunt viri Sancti communicare ei. 224.
Perſæ pacem petunt à Conſtantino. 145.
Perſeverantiam in peccatis docet impius Eunomius. 178.
SS. Petri & Pauli atque etiam Chriſti Domini in primitiva Eccleſia Imagines. 90.
Philippus Imperatorum primus dicitur Chriſtianus. 155. Epiſcopo morem gerit ibid.
Philoſtorgius Eunomianus Euſebio Nicomedienſi devotus, ſcriptor ſuſpectus. 45. mendax in Conſtantino M. 14.
Photius acerrimus Criticus. 108. ejuš judicium de libris quatuor Vitæ Conſtantini. ibid. ſeqq. defert hos libros interpolatos ex decem libris Euſebii hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. ibid. ejus ſententia de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi. ibid.
Pictura Sacrarum imaginem apud Chriſtianos antiquiſſimæ. 90.
Poli Cardinalis ſententia de libris Vitæ Conſtantini. 110. de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi. 138.
Pomponius Lætus miratur cauſam dilationis baptiſmi Conſtantini. 175.
Poſſevini ſententia de libris quatuor Vitæ Conſtantini. 112.
Probæ Centonis rejectio inter apogrypha. 98.
Prælium Licinianum primum. 149. quot millia cæſa in eo. 118.
Preces quantæ vis & efficaciæ. 39.
Presbyter quidam occultus Arianus decipit Conſtantiam Conſtantini M. Sororem. 35. venit in notitiam & gratiam ipſius Conſtantini ibid. Arium excuſat apud Imperatorem. 36. non audet hæreſis morbum aperire Conſtantino. 42. Solus hic notus teſtis eſt ocularis baptiſmi Conſtantini Nicomedienſis, qui morienti Conſtantino adfuit. ibid. 53. accipit ab Imperatore teſtamentum, illudque corrumpit. 43. 45. teſtamentum non ſeniori, ſed juniori Conſtantini filio tradit. ibid. 46. Proditionis ſuę mercedem petit à Conſtantio. 45. adjutorem habet loci Epiſcopum Euſebium Nicomedienſem. ibid. perfamiliaris factus eſt Conſtantio Imperatori. 50. ejus Tragediæ, quas poſt mortem pii Conſtantini M. ludere cœpit. ibid. Hoc adjutore utuntur Euſebius impius Epiſcopus Nicomedienſis, ejuſque ſequaces Euſebiani, ſive Ariani, in Aula Conſtantii. 45. 50. ſeducit Aulicos & Imperatricem. 45. 51. 52. habet doli mali in proditione teſtamenti Conſtantini adjutores Eunuchos. ibid. in magno habetur honore in Aula Conſtantii. 51. 52. Conſtantio Imp. percharus. ibid. Quis hic presbyter? fors Acacius Luſcus Epiſcopus Cæſareenſis, Euſebii Pamphili diſcipulus & ſucceſſor. 54. ut teſtis ocularis baptiſmi Con-

Conſtãtini Nicomed. nullius fidei. 70. ſuſpectus Auctor de Epiſtola Euſebii nomine ad Conſtantiam Aug. ſcripta. 89. fors is ipſe qui ritu Catholico Conſtantino moribundo adminiſtravit Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ unctionis. 202. vide *Acacius Luſcus*, & *Auctor* librorum quatuor de Vita Conſtantini.

Q

Quadrigis inſtar Aurigæ inſidens cum cœlica manu ex ſculptus Conſtantinus in nummis. 127.
Quadruplex ſententia de baptiſmo Conſtantini. 4.

R

Rebaptizatio eſt dogma Arianorum. 262. 264. 266. hanc numerat S. Auguſtinus inter Arianorum errores. 14. 264. & S. Ambroſius. 265. à quibus introducta. ibid. hanc Auctor Vitæ monſtantini in hoc Imperatore mendaciter aſſerit. 191. ſeq. 219.
Rebaptizatus non fuit Conſtantinus Nicomediæ. 21.
Recentiores non probant. 30.
Regulæ ad diſcernendum hiſtorias veras à falſis. 134. 286. ſeqq.
Romæ non à Melchiade Papa, nec ſub eo, ſed à Silveſtro fuit baptizatus Conſtantinus. 10.

S

Sacerdos quidam hæreticus proditor teſtamenti Conſtantiniani. 45. vide *Presbyter*.
Sacerdos afforis Orthodoxus intus Arianus Miniſter Sacramentorum moribundo Conſtantino aſtitit. 202.
Sacerdotes ſemper præſtò ſunt Conſtantino tempore belli. 149.
Sacramenta non produntur Catechumenis. 189.
Sacramentum baptiſmatis ab Arianis iteratur. 218. 264. ſuſpectum & dubium apud Arianos. 266.
Sacramentum ordinis ab Arianis iteratur. 218.
Sacramentum Pœnitentiæ lavacrum quotidianum. 163. 181. hoc ſuſcepit Conſtantinus ante mortem Helenopoli. 162. ſeqq. 202.
Scriptor Vitæ Conſtantini omninò alius quam Euſebius Cæſareenſis. 86.
Schelſtrates proponit & urget Conſtantinum Nicomediæ rebaptizatum. 19. ſeq. 261. non audet huic ſententiæ ſubſcribere. 22. ſeqq.
Sententia de baptiſmo Conſtantini quadruplex. 4.
Sententia de baptiſmo Conſtantini Romano, ubique ſemper defenſa. 5.
Sententia, quâ aſſeritur Conſtantinum ſub Melchiade Papa baptizatum, refellitur. 10. ſeq.
Sententia, quâ aſſeritur Conſtantinum rebaptizatum, exploditur.

Sen.

Digitized by Google

Sententia de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi, ubi fundata ? 25. exponitur, perſtringitur, & tanquam Ariani hominis confictum mendacium refutatur per totum.
Sermo Proſphoneticus Conſtantini haud dici poteſt fictitius. 122.
S.Silveſter I.Papa Miniſter Baptiſmi Conſtantini extitit. 10. ejus locum obtinet Oſius in Concilio Nicæno. 121. ejus nomen ſcribere dedignatur Auctor Vitæ Conſtantini. ibid.
Spiritu Prophetico approbat Paulus primus Eremita fidem S. Athanaſii. 223.
Synodus Mediolanenſis, ad quam referuntur ea, quæ Acta ſunt in Concilio Sardicenſi. 239.
Synodus Sardicenſis Oecumenica. 235.
Syri nullum ſuppoſitionis aut fabulæ vitium agnoverunt in hiſtoria de baptiſmo Conſtantini Romano. 103.

T

Tabulæ teſtamenti Conſtantini falsò Euſebio Nicomedienſi adſcriptæ. 45. has accipit presbyter hæreticus.ibid.corrumpuntur ibid.
Taraſius Patriarcha. 86.
Teſtamentum Conſtantini. Vide *Tabulæ teſtamenti*.
...*amentum* haud rectè vocatur baptiſmus. 249.
Teſtis unus non probat. 70.
Teſtis oculatus baptiſmi Conſtantini Nicomedienſis. ibid. 53. non eſt Euſebius Pamphili Cæſareenſis. 24. 30. quis alius. Vide *Presbyter quidam*.
Teſtimonia pro dicti baptiſmi confirmatione Chronici Alexandrini. 27. diſſipatur.282. Trecentorum Patrum Ariminenſium. 27. mendicum & falſum demonſtratur. 226. ſeqq.SS.Martyrum Joviani & Hercoliani. 28. non admittitur. 249. S. Ambroſij. 28. eſt obſcurum & ambiguum, neque favet huic baptiſmo. 250. ſeqq. per totum.S. Hieronymi. 28. eſt interpolatam. 275. Socratis,Theodoreti, & Sozomeni. 28. 29. ſunt fundata in incerti de Vita Cōſtantini ſcriptoris auctoritate. 281. 277.S. Iſidori. 29. nititur corrupto S. Hieronymi Chronico.277.
Teſtimonium primarium de baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi in dubium revocatur. 30.
Textus primarius & integer de baptiſmo Nicomedienſi. 25. explicatur & refutatur. 144. ſeqq.169. ſeqq. 185. ſeqq. 203. ſeqq.
Textus Decreti Gelaſiani propter Euſebii libros explicatur 95.ſeqq.
Theodorus Perinthus Arianus. 50.
Theodoſius ſanguine tinctus excluditur ab Eccleſia. 155.
Theognis Ep. Nicænus ſimulatè ſubſcribit Actis Concilii Nicæni. 34. in exilium pellitur. ibid. revocatur. 36. ejus & Euſebii Nicomedienſis tentamina in S.Athanaſium. 50. contendit, ut poſt mortem M. Conſtantini Arii regnet opinio. ibid. delet ſuam ſubſcriptionem in Actis Nicæni Concilii. 125.
Theopaſchitæ nugantur contra cul-

Eu-

ium Imaginum. 86. adducunt Euſebium Pamphili pro teſte. ibid. an rectè. 89. 90.

Titulus falſus in Epiſtola Melchiadis. 8. ſeq.

Titulus dubius, imò falſus librorum quatuor de Vita Conſtantini. 113. non probat hos libros eſſe Euſebii Pamphili. 80.

Tyria Synodus Euſebianorum deponit S. Athanaſium. 37.

V

V*Alens* Imp. Arianus intrat Eccleſiam ad Verbum Divinum audiendum. 148.

Valeſius laudatur. 104. ipſe rectè tribuit Acta Silveſtri Euſebio Pamphili. 75.

Verba Juniorum ſunt verba Seniorum. 30.

Verbum Divinum aſſerit Arius ore ſacrilego creatum & mutabile. 32

Veritas eſt anima hiſtoriæ. 131. eſt ſincera. 135.

Veteres, qui poſt Auctorem Vitæ Conſtantini de baptiſmo Nicomedienſi ſcripſerunt, decepti omnes. 277. 281.

Veteres Auctores ſuſpecti, aut hæretici, quomodo legendi. 129.

Vicennalia Conſtantini quando celebrata. 82. hæc celebravit Conſtantinus Nicomediæ & Romæ. ibid.

Victoria Conſtantini contra Maxentium ad Tiberim ſanguinolenta. 118. in Campis Cibalenſibus. ibid. in Thracia. ibid.

Virorum Eruditorum judicia de libris quatuor Vitæ Conſtantini. 108. ſeq. de Textu baptiſmi Nicomedienſis. 136. ſeq. de Chronico S. Hieronymi. 270. ſeqq. de Textu ex illo Chronico pro confirmatione baptiſmi Nicomedienſis adducto. 274.

Vitæ Conſtantini Sciptor. Vide *Auctor*.

Ultima Voluntas quæ? 46.

Votum de re meliori. 176.

Votum Conſtantini baptiſmum ſuſcipiendi in Jordane fictitium. 175.

Urſacius & Valens Ariani rogarunt veniam in Concilio Mediolanenſi. 228. 236.

Z

Z*Enus* Ep. Patavinus, non Conſtantinum M. ſed ejus filium putat rebaptizatum. 17.

Er